BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
5 G
2

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III. 10. 6

12-F-G.2 1

HIERONYMI

SAVONARO-
LÆ FERRARIENSIS,

ORDINIS PRÆDICATO-
rum, vniuerſæ Phi-
loſophiæ

EPITOME.

EM DE DIVISIONE, ORDI-
*ne atque vſu omnium ſcientiarum, nec
non de Poëtices ratione, opuſcu-
lum quadripartitum.*

Omnia

N: IESSENII à IESSEN,
oſophiæ, Medicinæque Do-
ctoris & Profeſſoris,

& ſtudio emendatio-
uctioráque edita.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Cum gratia & Priuilegio.

VVITEBERGÆ
In typis Simonis Gronenbergij, ſumtum
impendente Andrea Hoffmanno, Bibliop.
M. D. XCVI.

ILLVSTRISSIMO POTENTISSIMOQVE PRINCIPI, DOMINO, DN. FRIDERICO VVILHELMO, Duci, Tutori, ac Proëlectori Saxoniæ, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, Henncbergæ Comiti, Domino ſuo Clementiſsimo

S. D.

HAN: IESSENIVS à Ieſſen, Doctor & Profeſſor.

Quo in loco olim apud heroas, FRIDERICE VVILHELME, Dux & Proëlector Saxoniæ, Princeps beatiſsime, literæ fuerint, Xerxes, Philippus, Alexander, Ptolemæi, Cæſares, qui militari ſcientiæ literarum diſciplinas junxêre, ac literas regiam ſupelle-

ctilem, & præcipua ornamenta dicere non veriti, apertè oſtendunt. Alexander Macedo quidē, vt è plurimis vnum nominem, tanti ſapientiæ ſtudia fecit, vt pro ijs non minus, quàm pro tot us Orbis terrarum imperio a tioſus fuerit. Is Homeri Iliaa tanto ſtudio amauit, vt eam re militaris viaticum appellaret, & eandem dormiens ſub ceruica cum pugione teneret. Superioribi temporibus non minori labore quàm magno ſumtu, illuſt p nè facinore ſplendidiſſima M cæa familia, capta Conſtanti poli, miſeréque depopulata, viros eos eruditos, rarioresq́; libr pientiæ theſauros, qui publica

ruinam

ruinam incolumes euaſerant, in Italiam deuexerunt, ſinuq́ proprio receperunt. Id quod Argyropolus, Trapezuntius, Gaza, & alij, nec non multi ſeruati libri teſtantur, qui mox, tanquam fœcundiſſimi ſcientiarum ſemina, per Italiam effuſa, puriores literas & nouas iam pepererunt. Hunc tantorum hominum conatum nemo quaſi vilem mirabitur, ſed magnum potiùs imitabitur, ſi quantopere quemlibet ignominiæ & obſcuritatis, adeóq́ mortalitatis metus angat, cogitet, ſecumq́ reputet, quàm cætera tempore ſeneſcant omnia, ſoláq́ hæc literarum monumenta temporis diuturnitatem non ſentiant. Ego profectò,

Princeps Illuſtriſsime, quotiescunq; librorum meorum ordines, vbi cuiuslibet autoris integumento nomen appoſui, aſpicio: videor eorum, qui ſcripsere, ſanctiora quædam ſepulchra contueri, i quibus meliorem partem an. contemplor. Quæ licet Elyſio con tineatur: hic tamen quoq; litera rum beneficio reſpirat. Horum è go certè monumenta aliorum tu mulis longè diuturniora eſſe cen ſeo, quæ ſibi marmorea conſtruunt, ſiquidem data ſunt ipſis quoq; fa ta ſepulchris. Cedant ergo librorum & literarum immortalitati & ipſæ equeſtres ſtatuæ, aliquando defecturæ: concedant ærea ſigna, non diutiſſimè duratura.

Nam

Nam quis mihi ex veterum præſtantium regum tumulus dabitur? Fortaßis etiam non doctißimi hominis, Pythagoræ, aut Socratis. Vtroq; tamen, ſi audacia facta, ſcientiſsimè dicta, literis adeò immortali memoriæ ab aūs mandata, luſtres, nihil in terrarum orbe recentius, nihil ore mortalium celebratius intueberis. Atq; hoc eſt, quod Plinius jubet: Effinge aliquid, excude, quod ſit perpetuò tuum. O cœlo delapſam vocem! Nam reliquæ rerum noſtrarum alium atque alium poſt nos dominum ſortiuntur. Hoc vnicum noſtrum eſſe deſinit, ſi ſemel cœperit. Exhortationem hanc intuiti priſcorum plurimi,

non regia palatia, non ſummas apud populum dignitates, tam longæuam in poſteritate celebrationem, quàm ſolam literarum præſtantiam, ſibi vendicare crediderunt. Hanc ob cauſſam Dionyſius Iunior, Multos ſe tium liberalium Doctores alere vt per hos alijs perpetuò admirationi eſſet, dicebat. Credibile eſt, hoc fine Philoſophos, Oratores, ac Poëtas plurimos Regibus ac Mecœnatibus libros ſuos inſcripſiſſe, non vt horum metu obtrectatores, procacesq́; hominum linguas abſterrerent: Illorum ſiquidem contemtus hos leues contemnere, & genus hoc maledicum non ipſi Deo, nedum homi-

hominum vlli, quicquid etiam ſuſtinendum ſit, parcere conſueuiſſe, noſſe erat: ſed vt potiùs, ſtudia hæc maximè decere, ornaréque Principes, vulgo etiam oſtenderent, ſuisq́; ingenijs, quo eſſe cultior maior nequit, eos colerent. Qui verſum & ipſi excellentioribus honorari non deſiderabant, ipſis cum autoribus immortalitati inſcribi contenti. Idem & ego, Excelſiſſime Princeps, licet non pari ſucceſſu, iam ſecundùm ago. Quēadmodum enim ante triennium, Ægyptiorum, Chaldæorumq́; Philoſophiam libello Zoroaſtris titulo, Tibi humilimè obtuli: Ita nunc Hieronymi Sauonarolæ, Italiæ Lutheri, Theologi & Philoſophi

 eximij

eximij, Ariſtotelicæ Philoſophiæ Epitomen, à me e tenebris erutam, vndique caſtigatam, multiſque in locis auctam ſub Illuſtriſsimo tuo nomine publico, Tuæq; Celſitudini pari ſubiectione do, dedicoq;. Quantopere enim bonorum autorum editione delecteris, & eorundem lectione occuperis, hinc nemini obſcurum eſt, quòd ex eo tempore, quo Te Reipublicæ adminiſtrandæ dediſti, itaq; Tibi eripuiſti, vt omnium domus Tua vigilia defendat, omnium otium tuus labor, omnium delitiæ tua induſtria, omnium vacatio Tua occupatio exiſtat, adeò, vt Te tuarum rerum quicquam agere parcè ſaltem liceat. Quicquid ab his

negotijs temporis Tibi reliquum, id omne in Parnaſo tuo, quem amœniſſimum in Torgenſi tuo Capitolio omnis generis aues, veluti Muſæ, ſuauiſſimo concentu perſonant, ſeria, attentáque lectione peragas. Inde rurſus, ſoluto quaſi cum dijs ſenatu, frequentes Procerum Imperij Legatos auditũ deſcendas, grauis oratione, vultu humanus, ſententia iuſtus, iudicio diuinus, omnibus admirandus. Ex hoc verò literarum bonarum commercio vnũ præ cæteris, Princeps ſapientiſſime, cum nemine ferè, nedum paucis, commune obtines, dum in ſummo rerum faſtigio conſtitutus, non more fortè illius, qui altam turrim conſcenderit, ſ(i)ipſum

ſeipſum tàm altũ, quàm procera turris ſit, exiſtimet, cuiq́; omnia, quæ ſub turri ex alto proſpiciat, puſilla videntur, ea tu verè talia eſſe opineris: ſed potiùs ob ipſam animi altitudinem, quaſi in Olympi vertice conſtitutus, nullis perturbationum nebulis impetitus, ſano iudicij oculo ſingula tanta eſſe, non quanta foris apparent, ſed quanta intus reuera ſunt, & quanta ſua ſe virtute ſingula faciunt, egregiè perſpicis. De hac ſumma tua modeſtia, iudiciique dexteritate, præter exteras nationes, inprimis Sacrum Romanum Imperium teſtabitur. Cuius cauſſam cum Inuicto CAESARE RVDOLPHO *II, & cæteris*

Stati-

Statibus, in proximis Comitijs egiſti, déque eius ſalute ita delibe-ràſti, vt hoc tibi, quamdiu ſupererit Germanoimperij nomen, gratias ſemper cur agat, habiturum ſit, duraturúmque tam diu, quamdiu diuini tui illius moniti memor: Societatem lapidum fornicationi ſimilimam, quæ caſura niſi inuicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtineri. Sed alter ſurgat Cicero oportet, qui tuas, Princeps, ſublimiſsimas virtutes, præclariſsimáque erga omnes merita, ſtylo exprimat. Hæc interim, quæ do, accipe, Princeps, vt ſoles, pro ſumma clementia tua, omnia benigniſsimè, quando non licet niſi pro fructibus folia tibi reddere. Eoq; libenti-

bentius ſuſcipe, quod & olim gentilium dij euanido fumo ſupplicari ſibi paſsi ſint. Et cùm nil aliud poſsim, votum hoc addo: Vige, Princeps, Imperij columna præcipua: Viue Illuſtriſsimo CHRISTIANI ELECTORIS, *magnæ memoriæ, ſemento; Toti Saxoniæ; Faue literis, doctiſque omnibus. Et cum Celſiſsima Saxoniã domo aduerſa verſus ſaxeus dege, germina, & vale. E Muſeo Melanchthonis, die Iohannis Baptiſtæ, Anno Chriſtianorum. 1596.*

IOHAN: IESSENIO à IESSEN,
Sauonarolæ de Philoſophia Commentarios denuo publicanti.

DE re Philoſopha, quæ Sauonarola peritè
Diſſeruit, tacitis obſoluêre libris.
Abs te Philoſophis lex, Sauonarola, dabatur:
Lux à Ieſſenio reddita priſca tibi eſt.
Iuſtam Philoſophis legem dare, gloria magna eſt:
Philoſophis lucem reddere, non minor eſt.

Fridericus Taubmannus.

SI ſua quemque manet magnorum fama laborum:
Hanc quis, IESSENI, te meruiſſe neget?
Dum, Phœbo monitore, Sophiam Sauonarolæ
Eſt labor antiquo reſtituiſſe loco:
Scilicet, ipſe, velut rediuiuus, cernitur autor
Per te: Rem gratam tu facis vnde bonis.
Qui cupis idcirco ſolidæ guſtare Sophiæ
Fundamenta labris, huc citò verte manum.
Perlege: Perlecto, dices, mihi crede, libello:
Hinc hauſi ſtudijs commoda mille meis.

Stephanus Ieſſenſky à Ieſſen.

EFFIGIES HIERON. SAVONAROLÆ.



En Monachus ſolers: rerum ſcrutator acutus:
Martyrio ornatus, Sauonarola pius.
Hic faciem ſpectes. Cuius ſi noſcere acumen
Appetis ingenij: volue, reuolue librum.

Chriſtophorus Pflug.

HIERONYMI SAVONAROLÆ F. ORDI: PRÆD:

Epitome Logica

Summma & diſpoſitio libri primi.

IN hoc libro primo, qui eſt de principijs ſyllogiſmi, in Logica principaliter conſiderati, duo auctor, ſecundum duo genera principiorum; ſiquidem ab his in omni arte & methodo incipiendum, ſyllogiſmi determinat. Nam priùs agit de principijs remotis, quæ ſunt voces incomplexæ: deinde de proximis, quæ ſunt voces complexæ. Quo ad prima principia, ponit definitionem vocis pro fundamento in 1. concluſione: & quia non omnis vox deſeruit logico, ſubintellectis diuiſionibus vocis, declarat membra ſeu ſpecies eius in 2. 3. 4. & 5. in qua declarat vocem ſignificatiuam ad placitum, quæ eſt intenta à logico. Quia verò & hæc diuiditur per vocem primæ intentionis, & ſecundæ, declarat vtranque, primam ſcilicet in 6. & ſecundam in 7. Secundò agit de vocibus ſecundæ intentionis, de quibus principaliter intendit logica, cùm ſit de ſecundis inten-

tionibus, licet adiunctis primis: & quia hæ voces rediguntur ad quinque prædicata, determinat de illis, ſcil. de genere in 8. de ſpecie in 9. ſubiungens de generaliſsimo, in 10. de ſpecialiſsimo, in 11. & de ſubalternis in 12. Hæc enim omnia ſpectant ad tractatum de genere, & ſpecie. de differentia autem quæ eſt tertium prædicabile, in 13. de proprio in 14. & de accidente in 15. Sic enim ordinantur. Quia verò hæc omnia dicuntur & vniuerſalia & prædicabilia, ſubiungit quid vniuerſale, in 16. quid prædicabile in 17. & quid indiuiduum, quod contra illa diuiditur, in 18. Tertiò volens determinare de vocibus primæ intentionis, quæ dicuntur prædicamenta, præmittit diuerſitatem taliũ vocum, & ex parte vocis, declarando quid vox vniuoca, in 19. quid æquiuoca in 20. quid analoga in 21. & quid denominatiua in 22. Sic enim diuerſificatur vox primæ intentionis ex parte ipſius vocis, & ex parte rei ſignificatæ, declarando quomodo hæ voces ſignificant diuerſas naturas rerum ſc. vel ſubſtantias vniuerſales, in 23. vel ſingulares, in 24. vel accidentia vniuerſalia, in 25. vel ſingularia, in 26 ſubdens in 27. regulam pro diſtinguendis vocibus vnius prædicamenti, à vocibus alterius; quibus præmiſsis agit de ipſis vocibus primæ intentionis ſecundum ordinem prædicamentorum à concluſione 28 vſq; ad 37. Prius autem determinat in his, de voce ſigni-

gnificante ad aliquid, quàm de voce ſignificante qualitatem, licet qualitas ſit ens abſolutum, quod eſt prius reſpectiuè, quale eſt ad aliquid ſive relatio, quia relatio vt plurimùm fundatur in quantitate, ideo poſt quantitatem determinat de illa: & quia voces primæ intentionis habent oppoſitionem ad inuicem, ſecundum oppoſitionem rerum ſignificatarũ, conſequenter agit de oppoſitione illarum, prius quidem declarando, quomodo habent oppoſitionem in 38. deinde proſequendo tales oppoſitiones, ſecundum ordinem in 39. 40. 41 & 42. Quo ad principia verò proxima ſyllogiſmi, quæ ſunt enunciationes, quia fiunt ex nomine & verbo, tanquã ex partibus, primò agit de illis, quia prius de partibus eſt agendum quàm de toto. Quia autem hæc duo dicuntur voces ſecundæ impoſitionis, & vniuerſaliter ſunt partes orationis apud logicum, præmittit declarationem vocis primæ impoſitionis, in 43. & ſecundæ in 44. & quomodo ſola hæc duo ſunt partes orationis in 45. deinde agit de ipſo nomine in 46. & de verbo in 47. Priùs autem agit de nomine quàm de verbo, quia nomen ſignificat ſubſtantiam rei, verbum autem actionem & paſſionem, quæ ſequuntur ſubſtantiam, & egrediuntur ab illa.

Secundò agit de enunciatione, quæ dicitur de ineſſe, declarando genus eius, quod eſt oratio, in 48. definiendo ipſam in 49. declaran-

membra eius ſiue ſpecies in quas diuiditur, & ſecundum qualitatem in 50. 51. in quibus declarat quid affirmatiua, & quid negatiua. Hæ enim diuidunt enunciationem ſecundum qualitatem, & præmittit affirmatiuam negatiuæ, quia eſt prior, & ſecundum quantitatem in 52. 53. 54. 55. incipiens ab vniuerſali, quæ eſt prior alijs; ſcil. particulari, indefinita, & ſingulari. In hæc enim diuiditur enunciatio ſecundum quantitatem: & quia poſſunt habere oppoſitionem ad inuicem præſertim diuerſificatæ per affirmationem & negationem, agit tertiò de tali oppoſitione, incipiens à contradictorijs, quæ plus alijs opponuntur, in 56. quas ſequuntur contrariæ, de quibus in 57. & has ſubcontrariæ, de quibus in 58. has autem ſubalternæ, quæ minùs omnibus opponuntur, de quibus in 59. & quia de ſingularibus eſt ſpecialis difficultas, oſtendit quomodo opponũtur in 60. & quomodo ſe habent ad verũ & falſum, quæ ſumuntur ſecundum earũ oppoſitionem, ſpecialiter in contingentibus in 61. Quartò pro complemento huius libri agit de propoſitionibus modalibus hoc ordine: Quia primò declarat, quæ ſint propoſitiones modales apud logicum, in 62. quomodo diuerſificantur ſecundũ quantitatẽ, in 63. Secundo præmiſſo quomodo ſe habet poſsibile ad neceſſarium & contingens, in 64. agit de æquipollentijs harum propoſitionum in 65

66. 67. & 68. demum agit de oppoſitione earundem, oſtendens quomodo accipitur, in 69. & quæ opponantur, in 70, & 71. Atque his liber primus abſoluitur.

DE PRINCIPIIS SYLLOGISMORVM LIBRI primi.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Vox eſt ſonus animaliscauſſatus ab anima ex percuſsione reſpirati aëris ad arteriam vocalem cum quadam imaginatione.

Nam ſoni inanimatorum corporum, & illi qui fiunt abſque imaginatione, vt eſt tuſſis, & qui non fiunt in arteria vocali ex percuſsione reſpirati aëris, vt ſunt quidam ſoni, quos quædam animalia aquatica cum branchijs faciunt, non ſunt propriè voces, ſicut nec illi, qui per fiſtulas fiunt à tibicinibus, teſte 2. de anima Ariſtotele.

2 Vox ſignificatiua eſt, quæ præter ſonum auditum aliquid intellectui repræſentat

Vt hæc vox, Homo, quæ præter ſonum ſuum rem præſentat intellectui rem ipſam, quæ eſt homo.

3 Vox non ſignificatiua eſt, quæ aliud repræſentat intellectui præter ipſum ſonum.

Vt hæc vox, Bu ba, vel coax. Nihil enim repræſentatur intellectui ex prolatione harum vocum præter ſonum.

Vox ſignificatiua naturaliter eſt, quæ omnibus hominibus præter ſonum ſuum repræſentat idem.

Vt latratus canum, qui ſignificat præter illum ſonum iram canum apud omnes. Et ſimiliter gemitus infirmorum, ſignificat triſtitiam apud omnes.

5 Vox ſignificatiua ad placitum eſt, quæ non idem per illum ſonum apud omnes repræſentat.

Arbitrio enim hominum voces rebus impoſitæ, vt hæ: Lapis, lignum, aurum, & huiuſmodi aliæ, quæ apud Græcos & Hebræos vel nihil, vel non idem quod apud Latinos ſignificant. Quamuis ergo res & mentis conceptus ſint idem apud omnes, non tamen voces & literæ, quæ eaſdem res vel eoſdem mentis conceptus denotant. Voces enim ad exprimendos animi conceptus mutuos ab hominibus inuentæ. Literæ verò ad conſeruandas, quæ per ſe conſeruari non poſſunt, voces.

6 Vox primæ intentionis eſt, quæ ſignificat conceptum, qui eſt immediatè acceptus à re, & eſt ſimilitudo eius, & in ea immediatè fundatur.

Vt hæc vox, Homo, quæ inuenta eſt à Latinis ad exprimendum conceptum, qui habetur de natura humana, qui quidem accipitur ab ipſa natura humana, & eſt ſimilitudo ſiue imago eius, & in ea immediatè fundatur, quia natura humana eſt eius obiectum immediatum.

7 Vox ſecundæ intentionis eſt, quæ ſignificat conceptum mentis, acceptum immediatè, non à re intellecta, ſed à modo intelligendi ipſam rem. Et immediatè in ipſius rei primo conceptu fundatur.

Nam poſtquam intellectus concepit naturam humanam ſecundum primam intentionem, poſtea incipit eam comparare ſingulis hominibus, & cùm videt, quòd omnibus ſingularibus hominibus conuenit, format alium conceptum de natura humana, quia primò eam ſecundum ſe conſiderabat, nunc autem conſiderat eam ſecundū quod eſt in multis, vel in omnibus hominibus. Et iſte conceptus dicitur ſecunda intentio, qui acceptus eſt non à re immediatè, quæ eſt natura humana, ſed ab illo modo intelligendi, quo eam intellexit omnibus hominibus conuenire. Et ſic vocat eam vniuerſalem, vel ſpeciem, vel communem. Vnde iſtæ voces, genus, ſpecies, differentia, proprium, accidens, indiuiduum, vniuerſale, prædicabile, & ſi quæ ſunt huiusmodi, voces ſunt ſecundæ intentionis.

8 Genus eſt, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid.

Prædicari alterum de altero, eſt enunciare hoc eſſe illud. Vt cum dico: Homo eſt animal; Animal dicitur prædicatum, quia de homine enunciatur, homo autem quòd ſuſcipit nomen & præ-

dicationem animalis, dicitur ſubiectum. Illa autem dicuntur differre ſpecie, quæ ſunt diuerſarum naturarum, quæ quidem diuerſitas cognoſcitur ex diuerſitate figuræ, & propriarum operationum, ut homo, & leo, & equus, qui differunt ſpecie, ut patet ex figura, & propria vniuſcuiuſq; operatione. Illa autem differunt numero ſolùm, quæ habent eandem naturã ſpecificam, ſed tamen ſunt diuerſæ res, vt ſinguli homines. Dicuntur autem differre numero, quia in numerando differunt, dũ ſemper alius & alius accipitur. Illud autem dicitur prædicari in quid, quod reſponderi poteſt ad interrogationem factam per quid, vt cùm dico: Quid eſt homo, non rectè reſpondetur, albus vel rationalis, ſed animal. Igitur animal prædicatur in quid de homine. Quicquid igitur prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, in eo quod quid eſt, genus, vt animal & corpus.

9 Species eſt quod ſubeſt generi, & prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid.

Quia enim ſpecies & genus ad inuicem referuntur, & ſpecies eſt alicuius generis ſpecies, & genus alicuius ſpeciei, vel aliquarum ſpecierum genus eſt, idcircò neceſſe eſt ſpeciem in deſcriptione generis poni, & genus in deſcriptione ſpeciei. Vnum enim non poteſt eſſe nec intelligi ſine reliquo. Quamuis autem animal & corpus, quæ ſunt genera, prædicentur de pluribus differentibus numero in eo quod quid, non tamen hoc fa-

faciunt in quantum genera, ſed in quantum ſpecies. Tunc enim aſſumunt ſibi rationem ſpeciei. Quicquid enim ſubeſt generi, & prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid, eſt ſpecies.

10 Genus generaliſsimum eſt illud, quod ita eſt genus, vt nunquam ſit ſpecies.

Supra ipſum enim aliud genus conſtitui nequit. Et ſunt decem illa genera generaliſſima: Subſtantia. Quantitas. Ad aliquid. Qualitas. Agere. Pati. Eſſe in loco. Eſſe in tempore. Situm eſſe. & habere. Licet enim quædam ſint communiſſima, vt ſunt res, ens, verum, vnum, bonum, & aliquid. & ſi qua alia ſint huiuſmodi: Non tamen ſunt genera, quia non prædicantur de illis decem, ſecundum eandem rationem vel æqualiter & vniuocè. Hoc autem magis patebit inferiùs.

11 Species ſpecialiſsima eſt, quæ ita eſt ſpecies: quod non eſt genus.

Infra ipſam enim nulla ſpecies inuenitur, vt eſt homo, capra, leo, quæ non diuiduntur in diuerſas ſpecies, ſed in indiuidua.

12 Subalterna genera ſunt, quæ & genera ſunt, & ſpecies, ad aliud quidem & ad aliud relata.

Vt ſunt corpus & animal, quæ ſunt inter generaliſſimum, quod eſt ſubſtantia, & inter ſpecialiſſimum, quod eſt homo. Si enim referantur ad ſubſtantiam, ſunt ſpecies. Si autem ad hominem, ſunt genera. Vnde habent duas habitudi-

nes, ex quibus diuerſa vocabula ſortiuntur. Genus autem generaliſſimum habet ſolùm vnam habitudinem, ſc. ad inferiora, ex qua ſortitur nomen generis. Si autem ad ſuperiora referatur, non ſortitur nomen ſpeciei, ſed inferioris. Similiter ſpecies ex vna tantùm habitudine, ſc. ad ſuperiora ſortitur nomen ſpeciei. Ex habitudine autem ad inferiora, nullum aliud nomen ſortitur præter nomen ſpeciei.

13 Differentia eſt, quod prædicatur de pluribus ſpecie differentibus in eo quod quale.

Quædam enim res differunt aliquando per aliquod accidens, ſicut Socrates differt à Platone, quia ille albus eſt, iſte verò niger: vel cygnus à coruo. Iſta ergo accidentia, quibus hæ res differunt, ſiue à re poſſint ſeparari, ſiue non, non poſſunt propriè dici differentiæ rerum ſimpliciter, ſed differentiæ accidentales. Illam igitur appellamus propriè hoc in loco differentiam, quæ facit differre alterum ab altero ſecundum ſubſtantiam, vt eſt rationale & ſenſibile. Vnde cùm dicitur in eo quod quale, ſcilicet ſubſtantialiter, non accidentaliter accipiendum. Prædicari autem in quale illud dicitur, quod reſpondetur per interrogationem factam per quale. Vnde cùm dico, qualis eſt homo: Rectè reſpondetur, rationalis. Igitur rationale prædicatur in quale. Nota autem quòd etſi ſint quædam differentiæ ſpecierum ſpecialiſſimarum, quæ conuertuntur cum ſpecie,

vt

vt de ſola illa ſpecie prædicentur: tamen data eſt definitio hoc modo, quòd ſcilicet differentia prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, quia illæ tales differentiæ à nobis ignorantur. Vnde deſcripta eſt differentia pro his, quæ ſunt nobis notæ. Hæ autem ſunt, quæ prædicantur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quale. Ad complectendum autem omnes differentias poſſet ſic differentia definiri, quòd ſcilicet eſt, quod prædicatur de ſpecie, vel de pluribus differentibus ſpecie in quale ſubſtantialiter.

14 Proprium autem eſt inſeparabile accidens, quod ſoli alicui ſubiecto ineſt, & omni contento ſub eo, ſi eſt ſpecies vel aliud vniuerſale, & ſemper.

Accidens enim dicitur non eo modo, quo ſtatim diffinietur, ſed eo modo, quo quicquid non eſt de ſubſtantia rei, eſſe accidens rei dicitur, cùm ineſt ei. Eſt enim proprietas, quæ ſequitur ſubſtantiam rei, quæ à re ſeparari non poteſt, vt riſibile in homine. Solet etiam dici proprium quod omni ineſt, ſed non ſoli, vt hominem eſſe bipedem. Sed hoc non eſt propriè dictum. Et ſimiliter, quod ſoli, ſed non omni, vt hominem eſſe medicum. Et quod omni & ſoli, ſed non ſemper, vt caneſcere homini tantùm in ſenectute accidit. Et hæc duo magis propriè dicuntur. Sed maximè proprium eſt illud, quod dictum eſt. Vnde dicitur proprium quarto modo.

Acci-

15 Accidens eſt, quod adeſt & abeſt. Vel poteſt intelligi adeſſe vel abeſſe præter ſubiecti corruptionem.

Eſt enim natura, quæ alteri ineſt ſemper, quia per ſe eſſe non poteſt. Et tamen ſubiectum, in quo exiſtit, poteſt eſſe ſine ea & cum ea, ſecundum rem vel ſecundum intellectum præter ſui corruptionem, vt albedo in homine. Nam homo poteſt eſſe ſine albedine, & ſi ei adueniat, non corrumpetur. Et ſimiliter nigredo in coruo. Poteſt enim intellectus concipere quòd coruus ſit, & non ſit niger, ſed albus, vel alio colore præditus.

16 Vniuerſale eſt, quod eſt in multis, & prædicatur de multis.

Vt ſunt ea quæ dicta ſunt, ſcilicet genus, ſpecies, differentia, &c.

17 Prædicabile dicitur quicquid eſt aptum natum prædicari de pluribus.

Vt eſt homo, animal, & huiuſmodi communia. Nam indiuiduum non propriè prædicabile dicitur, quia de vno ſolo prædicatur, ſcil. de ſeipſo.

18 Indiuiduum eſt illud, quod in ſeipſum eſt indiuiſum, & diuiſum à quolibet alio à ſe.

Ea enim, quæ ſunt communia, dicuntur in ſeipſa diuiſa, pro eo, quòd multis communicari poſſunt. Indiuiduum autem quia in formis imum eſt, nec in alias ſpecies diſtribui poteſt, nulli cõmunicari poteſt, vt Socrates, Plato, qui cùm

ſint diſtincti à cæteris rebus, de alijs prædicari nequeunt.

19 Vox vniuoca eſt, quæ pluribus conuenit ſecundum eandem rationem ab ipſa voce ſumtam.

Quia enim vox mediantibus conceptibus ſignificat, vel etiam ipſos conceptus, qui conceptus ſunt quaſi rationes rerum, quia, vt dicit Ariſtoteles, ratio quam ſignificat nomen, eſt diffinitio, & vna vox poteſt plures res ſignificare. Idcircò accidit aliquando, quòd vna vox pluribus rebus conuenit, quæ ſub vno conceptu comprehenduntur, ſiue ſub vna ratione illi voci correſpondente vel accepta ab illa voce. Et tunc illa vox dicitur vniuoca ſeu vniuocatio; & res ſub illa voce comprehenſa appellantur vniuoca. Sicut hæc vox, [illegible] quæ omnibus hominibus conuenit, qui o- [illegible] ſub vna ratione & vno conceptu comprehenduntur, id eſt, ſub ratione naturæ humanæ, quæ omnibus æqualiter conuenit, qui quidem conceptus illi voci, Homo, correſpondet, quia nihil aliud ſignificat, quàm ipſam naturam humanam, vel eius conceptum. Hæc igitur vox Homo, dicitur vox vniuoca, & omnes homines in hac voce vniuocantur. Vnde vniuoca dicuntur, quorum nomen commune eſt, & ratio ſubſtantiæ ab illo nomine ſumpta eſt eadem.

20 Vox æquiuoca eſt, quæ pluribus conuenit ſecundum diuerſas rationes ab illa voce ſumptas.

Aliquando enim vna vox pluribus conuenit rebus,

rebus, quæ non comprehenduntur ſub vno conceptu illi voci correſpondente, quia illi voci plures rationes correſpondent. Vt hæc vox canis, quæ conuenit piſci marino, ſyderi cœleſti, & cani latrabili, ſed ſub diuerſis rationibus illi voci reſpondentibus. Nam intellectus aliam rationem naturæ caninæ accipit in vno, & aliam in altero, quia alia & alia ratione dicitur canis ſydus cœleſte, & piſcis marinus, & latrabilis canis. Hæ igitur res dicuntur æquiuoca, quia nomen eis ſolum commune eſt, & ratio ſubſtantiæ ab illo nomine ſumta eſt diuerſa. Et vox illa quoque dicitur æquiuoca, vel meliùs æquiuocatio.

21 Analoga vox eſt, quæ pluribus conuenit rebus ſecundum rationes, partim diuerſas & partim eaſdem ab illa voce ſumtas.

Nam aliquando vna vox pluribus conuenit rebus, quæ habent rationes partim eaſdem, partim diuerſas ab illo nomine ſumtas, quia in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt. Et tunc illa vox analoga vocatur, vt hæc vox ſanum, quæ conuenit animali, in quantum eſt ſubiectum ſanitatis, & vrinæ, in quantum eſt ſignum eiuſdem ſanitatis, & medicinæ, in quantum eſt effectiua eiuſdem. Hæ igitur rationes differunt in hoc, quòd in vna ponitur ſubiectum, in altera ſignum, in tertia verò effectiuum. Conueniunt autem omnes in ſanitate, & ibi terminantur ſicut diuerſæ lineæ ad eũdem punctum. Res ergo iſtæ dicuntur conuenire in hac voce (ſanum) ſecundum analogiam.

Vox

22 Vox denominatiua ſiue denominans, eſt, quæ ab aliqua re ſumitur, cuius nomen ab ea differt in fine pronunciationis, & conuenit in principio.

Vt hæc vox Iuſtus, quæ ſumitur à Iuſtitia, quæ eſt in iuſto, & differt a nomine iuſtitiæ in fine pronunciationis, & conuenit in principio, vt per ſe patet. Studioſus ergo etſi à virtute dicatur, non tamen denominatur. Et ſimiliter mulier muſica, à muſica diſciplina denominatiuè non dicitur.

23 Quædam voces ſignificant ea, quæ non ſunt in ſubiecto ſicut accidens, & prædicantur de ſubiecto.

Vt homo, animal, & corpus. In ſubiecto enim illud dicitur eſſe tanquam accidens, quod cùm ſit in altero, non tamen eſt pars eius, nec poteſt eſſe ſine eo, vt albedo, quæ in margarita eſt, non eſt pars margaritæ, & ſine margarita eſſe non poteſt. Manus autem & pes etſi in altero ſint, non tamen ſicut accidens, quia partes ſunt corporis, homo verò & corpus, & ſimilia, in altero non dicuntur eſſe, nec tanquam partes, nec tanquam accidentia: Prædicantur tamē de ſubiecto, id eſt, de inferiore. Aliter enim capitur ſubiectum, cùm dicitur: Quædam eſſe in ſubiecto, & aliter, cùm dicitur: quædam prædicari de ſubiecto. Per ſubiectum enim primo loco nominatum, intelligitur ſubſtratum, hoc eſt, id quod accidenti ſubſternitur. Per ſubiectum autem ſecundo loco dictum intelligimus id, quod inferius eſt ſecundum prædicationem.

Omnes

Omnes verò ſecundæ ſubſtantiæ, id eſt, ſubſtantiæ communes, non ſunt in ſubiecto, & prædicantur de ſubiecto. Quæ ſint autem ſecundæ ſubſtantiæ, ſtatim dicetur.

24 Quædam ſignificant ea, quæ nec ſunt in ſubiecto, nec prædicantur de ſubiecto.

Vt Socrates & Plato, & cætera indiuidua ſubſtantiæ. Ex eo enim quòd ſunt ſubſtantiæ, non ſunt in ſubiecto, quia ſubſtantia non eſt in ſubiecto, ex eo verò quòd ſunt indiuidua, non dicuntur de ſubiecto, id eſt, de inferiore.

25 Quædam ſignificant ea, quæ ſunt in ſubiecto, & prædicantur de ſubiecto.

Vt color, albedo, & linea, & cætera accidentia communia. Ex eo enim quòd ſunt accidentia, ſunt in ſubiecto, quia omne accidens eſt in ſubiecto. Quia verò ſunt communia, dicuntur de ſubiecto, id eſt, de inferiore.

26 Quædam ſignificant ea, quæ ſunt in ſubiecto, ſed non dicuntur de ſubiecto.

Vt hæc albedo, hæc dulcedo, & quælibet indiuidua accidentium. Quia enim ſunt accidentia, ſunt in ſubiecto, ratione dicta. Quia verò indiuidua, non dicuntur de ſubiecto, quia carent inferiore.

27 Voces, quæ pertinent ad vnum genus generaliſsimum, ad aliud propriè pertinere non poſſunt, niſi æquiuocæ ſint.

Voces enim & res ſibi inuicem correſpondent. Et diuerſorum generum, & non ſubalter-

natim

natim poſitorum, id eſt, quorum vnum non eſt ſub altero, diuerſæ ſunt ſpecies & differentiæ. Sunt veræ ſpecies eorum, & veræ differentiæ.

28. Quædam voces ſignificant ſubſtantiam.

Subſtantia autem eſt res per ſe exiſtens: & nulli inhærens ſicut accidens. Vt homo, animal & Socrates, & alia huiuſmodi. Diuiditur autem in primam & ſecundam. Subſtantia autem prima eſt ſubſtantia indiuidua, quæ proprié eſt ſubiectū omnium accidentium, vt Socrates & Plato: & hic lapis, & hoc lignum. Subſtantiæ autem ſecundæ ſunt genera & ſpecies, quæ de ſubſtantia prima prædicatur, ſine qua in rerum natura eſſe non poſſunt. Vnde corruptis primis ſubſtantijs, nihil remanet in natura: Quia ſine ipſis nec ſunt ſecundæ ſubſtantiæ, nec accidentia. Omnis ergo vox huiusmodi res ſignificans eſt vox ſubſtantiæ.

29 Quædam voces ſignificant quantitatem.

Eſt autem quantitas menſura ſubſtantiæ, qua omnia menſuramus. Et quædam eſt continua. vt linea, ſuperficies, corpus, id eſt, trina dimenſio: Quæ nihil aliud eſt, niſi longitudo, latitudo, & profunditas corporum. Et ſimiliter locus, qui eſt ſuperficies locantis: & tempus. Quædam autem eſt diſcreta, vt numerus. Et ſecundum hanc quantitatem vnum quoque dicitur æquale vel inæquale. Qualibet ergo vox huiusmodi res ſignificans, eſt vox de prædicamento quantitatis.

30. Quædam voces ſignificant ad aliquid ſiue relationes.

Ad aliquid autem eſt id, cuius eſſe eſt ad alterum, vt Dominus & pater. Dominus enim eſt ſerui dominus: & ſeruus domini ſeruus. Et pater filij pater, & filius patris filius. Et ſimiliter ſimile ſimili ſimile, & magnum ad paruum, & paruum ad magnum refertur. Relatio eſt autem id, quod inter hæc extrema intelligitur eſſe: vt paternitas vel filiatio, quæ intelligitur eſſe inter patrem & filium: & ſic de alijs. Contra Platonem autem, cuius relatio abſolutis etiam nominibus conuenit (ſiquidem nil tam abſolutum, quin illi aliquis adhæreat reſpectus) illa tantùm, quæ aliorum ſunt, non verò quæ aliorum eſſe dicuntur, relatiua eſſe aſſerimus: Quorum ea natura, vt vnum non definiatur, nec intelligatur, nec exiſtat ſine altero. Quælibet ergo vox hæc ſignificans eſt de prædicamento relationis.

31 Quædam voces ſignificant qu[illegible]tem.

Qualitas autem eſt accidens, ſecundum quod vnumquodque dicitur quale. Et quædam eſt habitus, id eſt, qualitas de difficili mobilis, vt virtus & ſcientia, quando eſt fortiter radicata. Quædam eſt diſpoſitio, id eſt, qualitas de facilè mobilis: vt cùm quis habet ſcientiam alicuius rei, quæ faciliter poſſet ab eo remoueri. Quædam eſt naturalis potentia vel impotentia, vt cùm quis eſt bene naturaliter diſpoſitus ad currendum, illa diſpoſitio dicitur naturalis potentia, à qua dicitur ille curſor. Vel cùm quis naturaliter eſt facilis

ad

ad patiendum nociua, illa mala diſpoſitio dicitur naturalis impotentia. Quædam eſt paſsio, id eſt, qualitas, quæ ſubitò ex aliqua paſſione innaſcitur: Sicut pallor, qui naſcitur ex timore, vel rubor ex erubeſcentia: quando ſcilicet eſt talis, quæ poſſit aliquo ſenſu percipi, id eſt, à viſu, auditu, olfactu, guſtu, vel tactu. Verùm quando non ſubitò naſcitur, ſed eſt fixa in ſubiecto, alijs de cauſſis dicitur paſsibilis qualitas, non quia patitur, ſed quia cauſſat paſſionem in ſenſu, id eſt, informat ſenſum ſua ſimilitudine, vt albedo, & quilibet color, & odor, & ſonus, & ſapor, & caliditas, & frigiditas, & ſi qua ſunt ſimilia his. Quædam verò eſt figura, vt circulus, quadratum, & aliæ ſpecies figurarum. Quædam eſt forma, hoc eſt, ipſius figuræ qualitas, ſecundum quam dicimus hanc figuram formoſam, illam verò mediocrem: vnde & homines dicimus formoſos. Secundum has igitur qualitates dicuntur res ſimiles vel diſſimiles. Contrarietas autem maximè eſt in paſſibilibus qualitatibus & paſſionibus. Omnis ergo vox huiuſmodi res ſignificans, pertinet ad prædicamentum qualitatis.

32 Quædam voces ſignificant actionem vel agere.

Vt calefactio & frigefactio: vel calefacere & frigefacere.

33 Quædam ſignificant paſsionem vel pati,

Vt ſiſceptio : & ſuſcipere vel calefieri, & ſimilia.

34 Quædam vbi.

Vbi autem eſt eſſe in loco : vt eſſe in domo, eſſe in ciuitate.

35. Quædam ſitum eſſe.

Situm eſſe à ſitu nomen habet. Eſt autem ingreſſus, curſus, accubatio, inclinatio, ſeſſio : quò fit, vt ingredi, currere, accumbere, inclinare, ac ſedere ſub hoc genere conſtituantur.

36. Quædam quando.

Quando autem eſt eſſe in tempore, vt eſſe in die, eſſe in anno.

37. Quædam verò habere vel habitum.

Habere idem declarat, quod veſtitum & armatum eſſe, cuius genera ſunt plùra : Aut enim habere quiſpiam dicitur vt qualitat[illegible] ta valetudinem, grammaticen : vel vt quan[illegible] tem: ita quis magnitudinem trium cubitorum habere dicitur : vel vt ea, quæ ad corpus pertinent, vt habere veſtem : vel in parte, vt in digito annulum : vel tanquam partem, vt manum : vel tanquam in vaſe, vt in amphora vinum : vel vt poſſeſſionem, vt domum & agrum, atq; etiam mulierem habere dicitur.

38. Quædam voces ſunt ſibi inuicem oppoſitæ.

Hoc autem non eſt ſic intelligendum quaſi vox ipſa ſecundum ſe ſit oppoſita voci : ſed intelligendum eſt illas voces oppoſitas eſſe, quæ res oppoſitas

ſitas ſignificant: Sicut vox inboneſta dicitur, quæ aliquod turpe ſignificat. Quia ergo multæ res ſunt ſibi inuicem oppoſitæ: dicimus etiam voces res oppoſitas ſignificantes ſibi inuicem opponi.

39. Contradictoriæ voces ſunt illæ, quarum vna cum negatione, altera verò ſine negatione profertur.

Vt homo: non homo.

40. Contrariæ autem, quæ contrarias qualitates ſignificant.

Sicut hæ voces: Calidum & frigidum; Album & nigrum. Contraria enim ſunt, qualitates, quæ non poſſunt ſimul eſſe in eodem ſubiecto: & maximè diſtant ſub eodem genere. Album enim & nigrum ſub genere coloris maximè diſtant: Nulli enim alij colores tantum diſtant ſicut album & nigrum. Et quædam habent medium, vt album & nigrum, quæ habent medios colores: quædam verò minimè: vt ſanum & ægrum in animali. Aliquando autem medium nominatur per negationem vtriuſque extremi: vt inter bonum & malum, quod neque bonum eſt, neque malum.

41 Oppoſitæ voces ſecundum habitum & priuationem ſunt illæ, quarum vna aliqua formam ſignificat, altera verò illius formæ priuationem.

Priuatio enim eſt negatio formæ in ſubiecto apto nato habere illam formam, vt cæcitas, quæ priuat viſionem in oculo apto nato videre. Cæcitas ergo & viſio ſunt priuatiuè oppoſita: & vi-

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

ſio quidem habitus eſt ſiue forma, cæcitas verò priuatio habitus & formæ.

42 Voces autem oppoſitæ ſecundum relationem ſunt, quæ ſignificant relatiua.

Vt pater & filius: de quibus iam dictum eſt.

43. Vox primæ impoſitionis eſt, quæ ſignificat rem, non vocis conditionem.

Sicut hæc vox: Lapis, aurum, & lignum.

44. Vox ſecundæ impoſitionis eſt, quæ ſignificat non ipſas res, ſed vocem ipſam vel vocis conditionem.

Vt hæ voces: Nomen, & Verbum, Participium, oratio, propoſitio enunciatiua, & ſi quæ ſunt huiuſmodi. Primò enim homines impoſuerunt vocabula rebus: Deinde ipſis vocabulis propter diuerſas eorum proprietates. Et quædam vocabula, quæ per caſus flectuntur, nomina vocauerunt: quædam, quæ non flectuntur, verba: quædam verò compoſita, orationes. Et ſic multa genera vocum conſtituerunt.

45 Apud logicos duæ tantùm ſunt partes orationis, ſcilicet nomen & verbum.

Omnes enim voces ſignificatiuas per ſe vocant nomina vel verba, vnde & aduerbia cum nominibus collocantur. Participia verò ſunt quaſi quoddam medium inter nomen & verbum: Nam & flectuntur per caſus ſicut & nomina, & ſignificant cum tempore ſicut verba. Verùm quia id, quod apud logicos propriè eſt verbum, cum nomine ſemper facit orationem, verum vel falſum

ſigni-

ſignificantem, quod participium cum alio nomine iunctum facere non poteſt ſine verbo. melius ſecundum logicos participium cum nomine quàm cum verbo collocabitur. Cæteræ verò voces, quæ nihil per ſe ſignificant, ſed conſignificant, vt hæc vox: Omnis vel nullus, quidam, aliquis, & cæteræ huiuſmodi, cum coniunctionibus & diſiunctionibus, & cæteris orationum colligationibus, ſyncategorica, id eſt, conſignificatiua appellant.

46 Nomen eſt vox ſignificatiua ad placitum, ſine tempore, cuius nulla pars ſignificat, ſeparata, finita, & in recto.

Significare enim cum tempore eſt cum ſignificato principali trahere ſecum aliquam differentiam temporis. Cùm enim dicitur lego, hoc verbum ſignificat actũ legendi, & trahit ſecum tempus præſens. Nomen igitur poteſt ſignificare tempus, vt hoc nomen, dies, vel hora, nequaquam autem cum tempore ſignificabit. Partes quoque eius non ſignificant ſeparatæ. Quamuis enim partes huius nominis magiſter, quæ ſunt magis & ter ſeparatæ ſignificent: Non tamen ſignificant in quantum ſunt partes huius nominis magiſter, alioquin ſignificarent partem, magiſtri, quod nequaquam verum eſt.

Dicitur autem finita, quia nomen cùm ſit vox ſignificatiua, habet determinatã ſignificationem: vox autem infinita, vt hæc vox non homo indeterminatam: vnum enim negat, & nihil ponit. Vnde ſimiles voces cum negatione ſumtæ nomina infinita vocantur, ſed non ſunt propriè

nomina. Similiter caſus nominum non ſunt propriè nomina. Namque nomina cum verbo ſemper faciunt orationem veram vel falſam, ſed ſi dixero: Ciceronis eſt, nullam feci orationem vel veram vel falſam. Nomen ergo in recto ſumitur.

47. Verbum eſt vox ſignificatiua ad placitum cum tempore, cuius nulla pars ſignificat ſeparata, finita, & recta.

Infinitum quippe verbum, vt non lego, non amo, & ſimiliter obliquum, vt currebat, cucurrit, apud logicum propriè non ſunt verba. Vtitur autem logicus verbo indicatiui modi, præſentis temporis, præſertim hoc verbo ſubſtantiuo, ſum, es, eſt, in præſenti tempore. Et hoc eſt maximè verbum apud ipſum, in quod reliqua verba reſoluuntur. Cætera patent ex iis, quæ dicta ſunt de nomine.

48. Oratio eſt vox ſignificatiua ad placitum, cuius aliqua partium ſignificat ſepar[illegible]

Vt Homo eſt animal. Eſt autem quædam oratio imperfecta, vt homo albus. Quædam ſunt perfectæ, & harum quædam ſunt imperatiuæ, quædam optatiuæ, quædam deprecatiuæ, quædam indicatiuæ, Logicus autem cæteris prætermiſſis de ſola indicatiua tractat, quam enunciatiuam vocat.

49. Enunciatiua eſt oratio ſignificans verum & falſum.

Vt Deus eſt immortalis. Et diuiditur in affirmationem & negationem.

50. Affirmatio eſt enunciatiua aliquid de aliquo enuncians. *Vt*

Vt homo eſt rationalis. Equus eſt animal hinniens.

51. Negatio eſt enunciatiua, aliquid ab altero remouens.

Vt homo non eſt lapis. Deus non eſt angelus.

52. Enunciatiua vniuerſalis eſt, quæ de vniuerſali vniuerſaliter enunciat, vel ab eo vniuerſaliter aliquid remouet.

Vt omnis homo eſt animal, vel nullus homo eſt inſenſibilis. Vniuerſale autem dico illud, quod de pluribus prædicatur, cui cùm additur ſignum vniuerſalitatis, dicitur tunc aliquid vniuerſaliter de eo enunciari, ſi aliquid de eo enunciatur, vel ab eo aliquid vniuerſaliter remoueri, ſi aliquid ab eo remouetur, vt patet in exemplis poſitis. Signum autem vniuerſalitatis eſt, quod per ſe n[illegible] ſignificat, ſed cum vniuerſali iunctum indicat, quod pro omnibus vel pluribus vel nullis accipitur, vt omnis, quilibet, nullus, vterque, & ſimilia.

53. Particularis eſt, quæ de vniuerſali particulariter enunciat, vel ab eo particulariter remouet aliquid.

Vt aliquis homo eſt albus, aliquis homo non eſt albus. Signum autem particularitatis eſt, quod indicat, vniuerſale pro aliquo eſſe accipiendum, vt quidam, aliquis, & talia.

54. Indefinita eſt, quæ de vniuerſali nec vniuerſaliter, nec particulariter enunciat, vel ab eo aliquid remouet.

Vt homo eſt riſibilis, Homo non eſt immortalis.

55. Singularis eſt, quæ de ſingulari aliquid enunciat, vel ab eo aliquid remouet.

Vt Plato eſt, Plato non eſt.

56. Vniuerſalis affirmatiua & particularis negatiua, vniuerſalis negatiua & particularis affirmatiua ſunt contradictoriæ. Quarum lex eſt, quòd non poſſunt eſſe vnquam ſimul veræ, nec ſimul falſæ.

Vt omnis homo eſt iuſtus: Aliquis homo non eſt iuſtus. Nullus homo eſt iuſtus: Et aliquis homo eſt iuſtus. Hæc enim lex ita vera eſt, vt nullus intellectus poſſit concipere contrarium: vnde & eſt principium & fundamentum primum omnium concluſionum.

57. Vniuerſalis affirmatiua, & vniuerſalis negatiua ſunt contrariæ. Quarum lex eſt, vt nunquam poſsint eſſe ſimul veræ, ſed bene ſimul falſæ.

Vt omnis homo eſt albus: Nullus homo eſt albus. Si enim eſſent ſimul veræ, etiam duo contradictoria eſſent ſimul vera. Quia ſi vniuerſalis eſt vera, etiam particularis ei correſpondet, ſeu ſubalternata illi eſt vera, & ſic iſta etiam eſſet vera: Aliquis homo non eſt albus: ſi iſta eſt vera: Nullus homo eſt albus. Hæc autem eſt contradictoria primæ poſitæ, id eſt, iſti: Omnis homo eſt albus: duo ergo contradictoria erunt ſimul vera. Similiter ſi iſta eſt vera: Omnis homo eſt albus: Sequitur iſta quoque vera: Aliquis homo eſt albus;

qua

quæ contradicit illi: Nullus homo eſt albus. Et ſic duo contradictoria erunt ſimul vera, quod eſt incogitabile. Non ergo poſſunt contraria ſimul eſſe vera, cùm tamen ſint ſimul falſa, vt patet in exemplo poſito.

58. Particularis affirmatiua & particularis negatiua ſunt ſubcontrariæ. Quarum lex eſt, vt non poſsint eſſe ſimul falſæ, ſed bene ſimul veræ.

Vt aliquis homo eſt iuſtus, & aliquis homo non eſt iuſtus. Sunt enim ſimul veræ, vt ex ſe patet. Si autem eſſent ſimul falſæ, earum contradictoria eſſent vera, quæ ſunt duo contraria. Duo igitur contraria eſſent ſimul vera: quod iam improbatum eſt.

59. Vniuerſalis affirmatiua & particularis affirmatiua, & ſimiliter vniuerſalis negatiua, & particularis negatiua de eiſdem terminis ſunt ſubalternæ. Quarum lex eſt, quod ſi vniuerſalis eſt vera, & particularis, non tamen è conuerſo. Et ſi particularis eſt falſa, vniuerſalis quoq; eſt falſa, non tamen è conuerſo.

Vt omnis homo eſt animal: Aliquis homo eſt animal. Et: Nullus homo eſt lapis: Aliquis homo non eſt lapis. Si enim uniuerſalis eſset vera, & particularis falſa: duo contraria eſſent ſimul vera, quia tunc contradictoria illius particularis eſſet vera, quæ eſt uniuerſalis, & contraria alteri uniuerſali.

60. Singularis autem affirmatiua ſemper eſt contradictoria ſingulari negatiuæ de eiſdem terminis. *Vt*

Ut Socrates currit, & Socrates non currit. Nō enim poſſunt eſſe ſimul vera, nec ſimul falſa.

61 In ſingularibus contingentibus de futuro neceſſe eſt alterum contradictoriorum eſſe verum, & alterum falſum coniunctim, non autem diuiſim.

Vt neceſſe eſt, cras eſſe vel non eſſe nauale bellum. Non tamen neceſſe eſt eſſe cras nauale bellum, nec neceſſe eſt, ipſum non eſſe. Coniunctim dico, quando neceſſitas cadit ſuper diſtinctionem. Diuiſim autē, quando cadit ſuper partes eius.



62. Propoſitiones modales, quibus vtitur communiter logicus, ſunt, quæ fiunt cum his modis: Neceſſarium, poſsibile, impoſsibile, & contingens.

In quibus quidem ſemper modus eſt prædicatum & dictum ſubiectum. Dictum autem voco orationem, quam modus determinat, vt cùm dicitur: Neceſſe eſt Deum eſſe, dictum eſt, Deum eſſe, & eſt ſubiectum, de quo neceſſitas enunciatur.

63. Iſtæ propoſitiones ſunt vniuerſales, particulares, indefinitæ, vel ſingulares, ratione dicti, non autem ratione modi.

Nam ſi dictum vniuerſaliter ſumitur, propoſitio dicitur vniuerſalis, & ſimiliter particularis, vel indefinita, vel ſingularis, ſi particulariter, indefinitè vel ſingulariter accipiatur.

64. Poſsibile eſt tanquam genus: ad contingens & neceſſe.

Nam quicquid neceſſe eſt eſſe, & poſſibile eſt eſſe: ſed non è conuerſo. Et ſimiliter, quicquid contingit eſſe, poſſibile eſt eſſe, ſed non è conuerſo. Oportet enim quod omne neceſſe eſſe & contingens eſſe ſit, poſſibile eſſe vel impoſſibile. Illud autem quod eſt neceſſarium vel contingens, non poteſt dici impoſſibile: igitur poſſibile erit. Verum eſt tamen, quòd contingens, quod dicitur de iis propriè, quæ poſſunt eſſe & non eſſe, aliquando impropriè extenditur ad neceſſarium, vt illud dicatur contingere, quod neceſſe eſt eſſe, &

ſic contingens, & poſſibile non differunt. Et hoc modo nunc accipimus contingens, quamuis ſit impropriè dictum. Poſteriùs autem eius ſignificationem propriam proſequemur.

65. Propoſitio de neceſſario, & poſsibili æquipollent, ſi modi & dicta diſsimiliter ſe habeant.

Hoc eſt, ſecundum diſſimilitudinem affirmationis & negationis, ita quòd ſi modus in vna ſit affirmatus, in altera ſit negatus. Et ſimiliter ſi in vna ſit dictum negatum, in altera ſit affirmatum. Vt neceſſe eſſe, non poſſibile non eſſe.

66. Propoſitio de poſsibili & contingenti æquipollent, ſi modi & dicta ſimiliter ſe habeant.

Vt poſſibile eſſe, contingit eſſe.

67. Propoſitio de poſsibili æquipollet illi de impoſsibili, ſi modi diſsimiliter ſe habeant & dicta ſimiliter.

Vt poſſibile eſſe. Non impoſſibile eſſe.

68 Propoſitio verò de neceſſario & impoſsibili æquipollent, ſi dicta diſsimiliter ſe habeant & modi ſimiliter.

Vt neceſſe eſſe. Impoſsibile non eſſe.

69. Contradictio in his propoſitionibus fit per affirmationem & negationem modi,

Vt neceſſe eſſe. Non neceſſe eſſe.

70. Propoſitio, quæ eſt: Neceſſe eſſe, cum omnibus aliis, quæ ſibi æquipollent, eſt contradictoria huic: Non neceſſe eſſe, & omnibus

bus ſibi æquipollentibus. Et eſt contraria huic: Neceſſe eſt non eſſe, & omnibus ſibi æquipollentibus. Et ſubalterna ei, & omnibus æquipollentibus ſibi, eſt hæc: Non neceſſe eſt non eſſe, cum omnibus ſibi æquipollentibus.

Hæc verò: Non neceſſe eſt eſſe, cum omnibus ſibi æquipollentibus, eſt ſubcontraria huic: Non neceſſe eſt non eſſe. Et ſubalterna huic: Neceſſe eſt non eſſe. Quæ cum omnibus ſibi æquipollentibus, eſt huic contradictoria: Non neceſſe eſt non eſſe, & omnibus æquipollentibus ſibi.



Hæc autem omnia patent faciliter in præcedenti figura, & probantur hæ duæ concluſiones per leges ſuprà poſitas, & per rationes earum circa propoſitiones oppoſitas eſſe vel non eſſe ſignificantes.

De vocabulis itaq; ſimplicibus, & enunciatione ex his compoſita, quantum ad ſyllogiſmos componendos vtile eſt, copioſè dictum puto. Nunc autem cætera breuiùs abſoluamus.

DE RATIONE DIVIDENDI.

LIBER SECVNDVS.

Summa & diſpoſitio libri II.

PRincipiis ſyllogiſmi declaratis, cùm ad hujus cognitionem plurimùm conferat definitio, hanc verò diuiſio venetur: Priùs hoc libro de hac agit autor. Et initio præmiſſa multiplicitate diuiſionum in 1. concluſione primò de diuiſionibus per ſe agit. Secundò de diuiſionibus per accidens. Per ſe enim eſt prius, eo quod eſt per accidens. Tertiò comparat diuiſiones inter ſe. Quo ad primum incipit

cipit à diuiſione generis, quæ eſt prior alijs, de qua multa docet, ſcil. in quæ debet fieri, ſcilicet in ſpecies, ſi fieri poteſt, in 2. per quas differentias, cùm per illas facienda eſt, in 3. Quomodo debet fieri per oppoſita, in 4. & quia non omnis oppoſitio eſt ad propoſitũ, remouet contradictoriam in 5. ſubdens quomodo debet ſumi, ſi quandoque contingat per illam fieri, in 6: in 7. verò remouet priuatiuam, & ſimiliter ſubdit, quomodo debet ſumi, quando per illam licet fieri in 8: in 9, autem remouet relatiuam, & poſtea oſtendit, quomodo poſsit fieri per oppoſitionem contrariorum, in 10. deducens & hoc in 11. in quot membra debet fieri, ſcilicet in duo; demum diuiſionis oſtendit multiplicitatem in 12. & conuerſionem cum diuiſo in 13. Ex his omnibus manifeſtatur diuiſio generis: poſtquam agit de diuiſione totius in partes, quæ tenet ſecundum locum inter diuiſiones per ſe, in 14. Eſt poſt hanc de diuiſione vocis, in ſuas ſignificationes, in 15. quam tertio loco poſuerat inter diuiſiones per ſe. Quo ad ſecundũ autem ſcil. diuiſiones per accidens, de tribus agit ordinatè, ſcilicet de diuiſione ſubiecti in accidentia, quæ eſt prima inter has, in 16. De diuiſione accidentis in ſubiecta, quæ eſt ſecunda, in 17. Et de diuiſione accidentis in accidentia, quæ eſt tertia, in 18. Quo ad tertium, primò oſtendit differentiam

inter diuiſionem per ſe,& diuiſionem per accidens, in 19. Secundò inter diuiſionem generis, & diuiſionem totius ac vocis. Totius quidem in 20. Vocis autem in 21. Tertiò inter diuiſionem totius & vocis, in 22. quæ eſt vltima.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Diuiſionum multæ ſunt ſpecies.

Quædam enim ſunt per ſe, vt diuiſio generis in ſpecies, & totius in partes, & vocis in ſignificationes. Quædam verò per accidens, vt diuiſio ſubiecti in accidentia; & accidentis in ſubſtantias, & accidentis in accidentia.

2. Diuiſio generis in ſpecies fieri debet, niſi nominibus careant.

Nam genus totum quoddam eſt reſpectu ſpecierum, & de ipſis prædicatur, ſed comparatum differentijs ſe habet ad eas, vt materia ad formam. Vnde non propriè de ipſis prædicatur, nec in eas diuiditur, niſi propter penuriam vocabulorum, quò fit vt pro ſpeciebus differentijs vtamur.

3. Differentiæ illæ ſolæ ad diuiſionem generis ſunt aptæ, quando per eas diuidimus genus, quæ per ſe inſunt.

Nam hæ ſolæ informant ſpeciem, & ad definiendum ſunt aptæ. Et ideò hæ ſolæ loco ſpecierum poni debent.

4. Oportet ea, quæ diuidunt genus vel aliud quid, à ſe aliqua oppoſitione diſiungi.

Aliter

Aliter non differrent ad inuicem. Omnis enim differentia eſt per aliquam oppoſitionem. Vbi autem inter membra diuidentia nulla eſt differentia, nulla poteſt eſſe diuiſio. Non enim diuiditur bene animatum, ſi dicatur: Quoddam eſt animal, & quoddam eſt homo: Quia homo & animal non opponuntur, imò ſunt idem.

5. Et quæ diuidunt genus, non debent opponi ſecundum affirmationem & negationem, niſi propter penuriam vocabulorum.

Quia negatio non poteſt eſſe ſpecies, nec etiam differentia: Tollit enim & nihil ponit. Tunc autem potiſſimum hæc poteſt fieri diuiſio, cùm vnum nomen ſpeciebus impoſitum non eſt: Tunc enim ſpeciem neceſſe eſt negatione componere: vt cùm dicimus: imparium numerorum alij primi, alij non primi.

6. Si propter penuriam vocabulorum cogimur diuidere genus per affirmationem & negationem, primo loco non eſt ponenda negatio.

Aliter autem aut nullum, aut tardum dabit intellectum, cùm negatio ſit quaſi infinitum quoddam, & id quod prius eſt, poſterius diceretur. Nam affirmatio eſt prior negatione, nec intelligitur negatio ſine affirmatione.

7 Per oppoſitionem priuationis & habitus non fit diuiſio generis, niſi propter penuriam vocabulorum.

Quia priuatio nec eſt ſpecies, nec differentia.

8. Si autem ſit diuiſio generis per priuationem & habitum, priùs debet habitus poni, & ſecundo loco priuatio.

Propter eandem rationem, quæ dicta eſt de negatione & affirmatione.

9. Per oppoſitionem relatiuam diuiſio generis fieri non debet.

Tum quia relatiua ſubſtantialiter non à ſe diſcrepant, tum quia vnum in definitione alterius ponitur.

10. Per oppoſitionem contrariorum maximè eſt facienda diuiſio generis.

Quia contraria poſſunt eſſe veræ ſpecies & veræ differentiæ.

11. Omnis diuiſio debet eſſe bimembris, ſi vocabula non deficiunt.

Quia vni propriè vnum eſt contrarium. Animaduertendum autem, quod contrariorum alia carent, alia habent media. Si carent, iure ipſo diuiſio bimembris eſt: Sin habent, non neceſſariò bimembris eſt: vt ſi dicamus: Colorum alij albi, alij nigri, alij medij. Verùm ſtudendum ſemper, vt ad bimembrem reducatur, vt: Colorum alij extremi, alij medij. Extremorum alij albi, alij nigri.

12. Poteſt idem genus multipliciter diuidi.

Nam continet multas ſpecies & differentias, vt animalium quædam ſunt rationalia, quædam irrationalia. Et animalium quædam habent pedes, & quædam non. Et animalium quædam

ſunt

ſunt volatilia, quædam gradientia ſuper terram, & quædam natant in aquis, & ſimilia.

13. Omnis diuiſio generis in ſeipſam conuerti debet.

Id eſt: Membra diuidentia, diſiunctiuè ſumpta, debent cum diuiſo conuerti. Aliter non eſſet perfecta, eò quòd membra diuidentia vel plus, vel minùs continerent, quàm diuiſum.

14. Totum diuidi debet in ſuas partes.

Vnde ſi multiplicem habet compoſitionem, etiam multiplicem diuiſionem habebit. Homo enim diuiditur in materiam & formam, item in manus, pedes, & caput, itēm in carnes & oſſa. Et ſi eſt totum vniuerſale, vt genus hominum, vel populus diuiditur etiam in partes ſuas. Vt hominum quidam ſunt in Aſia, quidam in Africa, quidam verò in Europa. Similiter etiam ſi eſt totum potentiale, vt anima humana, quæ partim eſt intellectiua, partim ſenſitiua, & partim vegetatiua. Qualecunque enim ſit totum, ſemper diuiditur in ſuas partes. Non enim habet aliquid aliud, in quod diuidi poſſit.

15. Vox ſiue ſit ſimplex, æquiuoca, ſiue oratio ambigua, diuiditur vel in ſuas ſignificationes, vel in diuerſos modos ſignificandi, vel in diuerſas determinationes.

In ſignificationes quidem. Vt canum alius eſt terreſtris, alius marinus, alius cæleſtis. Vel iſta vox canis modò ſignificat terreſtrem, modò marinum, modò cæleſte ſydus. In diuerſos modos

 ſigni-

ſignificandi. Vt cùm dico, hæc vox infinitum alio modo ſignificat in magnitudine, alio modo in numeris, alio verò modo in formis. In diuerſas verò determinationes, vt cùm dico: Redde quod debes. Poſſum enim hoc determinare ad codicem, vel ad veſtem, pecuniam, & ad alia his ſimilia. Eſt autem maximè vtile cognoſcere multiplicitatem vocum, & earum diuiſionem contra ſophiſticas deceptiones.

16. Subiectum diuiditur in accidentia.

Vt cùm dico: Animalium quædam ſunt alba, quædam nigra, quædam verò medio colore colorata.

17. Accidens diuiditur in ſubiecta.

Vt alborum quædam ſunt animalia, quædam lapides, quædam ligna, vel aliqua huiuſmodi.

18. Accidens diuiditur in accidentia.

Vt cùm dico: Alborum quædam ſunt dulcia, quædam amara, quædam acida, vel huiuſmodi.

19. Diuiſio per ſe à diuiſione per accidens differt.

Quia diuiſiones per accidens viciſſim poſſunt permutari. Vt ſi dico: Alborum quædam ſunt dulcia, quædam amara. Rurſum poſſum diuidere: Dulcium quædam ſunt alba, quædam nigra. Et rurſum: nigrorum quædam ſunt dulcia, quædam amara. Sed hoc non poteſt fieri in diuiſionibus per ſe. Non enim diuiditur ſpecies vel differentia in genera, nec ſignificatum vocis in voces, nec pars in tota.

Generis

20. Generis etiam diuiſio à totius diuiſione differt.

Quia totum diuiditur in partes quantitatiuas vel integrales, & eſt poſterius illis, & forma earum. Sed genus diuiditur in partes ſubiectiuas: Et eſt naturaliter prius eis, & ſe habet vt materia reſpectu differentiæ.

21. Generis quoque diuiſio à vocis diuiſione differt.

Tum quia genus non diuiditur in ſuas ſignificationes, eò quòd ſignificat vnam materiam tantùm: Sed in ſpecies, quas poteſtate continet, non actu: tum quia eſt vniuerſalis ſpeciebus ſecundum naturam, tum quia de ipſis prædicatur vniuocè. Diuiſio autem vocis eſt in ſuas ſignificationes, & illa vox, quæ diuiditur, eſt vniuerſalior ſuis ſignificationibus ſecundum vocem: non autem ſecundum naturam, ſed magis ſecundum arbitrium hominum, nec prædicatur de eis vniuocè. Et ſimiliter non eſt eadem apud omnes, quia voces ſunt ſignificatiuæ ad placitum: Genus autem apud omnes eodem modo ſe habet.

22. Diuiſio etiam totius, à vocis diuiſione differt.

Partibus enim totum conſtat, & in partes diuiditur: Et ſublata vna parte, totum perit. Sed vox non conſtat ex his quæ ſignificat, nec in partes diuiditur, ſed in ſignificationes: vnde ſublata vna re, quam ſignificat, non propter hoc vox perit. Differentiæ autem diuiſionum

per accidens ſunt per ſe nota, & ideò nihil de eis ad præſens dicatur, præter id, quod ſuprà dictum eſt. Atque hæc, quantum introductionis breuitas patitur, de diuiſione ſint dicta.

DE RATIONE DEFINIENDI

LIBER TERTIVS.

Summa & diſpoſitio libri III.

Declarata in præcedenti diuidendi ratione: Autor in hoc verum definiendi modum tradit. Et primò quidem de ipſa definitione abſolutè: Secundò, de partibus eam conſtituentibus: Tertiò, de eius proprietatibus agit: Quartò, quibus & non competat: Demum, quomodo inuenienda ſit, oſtendit. Quo ad primum, declarat duo, ſcil. quot modis dicatur in 1. concluſione, & quid ſit, in 2. Nam multiplex priùs diſtinguitur, & poſtea definitur. Quo ad ſecundum, primò oſtendit, ex quot partibus, & quibus, in 3. Secundò, & ex qualibus non conſtet, à 4. vſque ad 9. E qualibus verò fiat, in 10. Vnde ſuperius per inferius non definiri, deducit in 11. Tertiò, quo ordine illa poni in definitione debeant

ant, in 12. Quo ad tertium, declarat plures proprietates eius, ſcil. quomodo definitiones aſsimilantur numeris, in 13. quomodo ſe habet ad definitum, in 14. quomodo ad contenta ſub definito, in 15. Et ſubiungit duas regulas ad illam cognoſcendam, alteram negatiuam, in 16. alteram affirmatiuam in 17. Quo ad quartum primò tradit regulam, quid agendum, quando id, quod debet definiri, æquiuocum ſit, in 18. Secundò remouet tria à definitione, ſcil. Deum in 19. Tranſcendentia in 20. & ſingularia in 21. Tertiò aſsignat tria, quibus competit definitio, ſcil. ſpeciem in communi, in 22. ſpeciem ſubſtantiæ, in 23. & ſpeciem accidentis in 24. Demum oſtendit modum inueniendi definitiones, per viam ſcil. diuiſionis, in 25.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Definitio multipliciter dicitur.

Aliquando enim accipitur pro vocis tantùm, aut quacunque rei declaratione; Et hoc modo definimus indiuidua: Aliquando autem accipitur pro oratione aliquid manifeſtante, in qua aliquid ponitur loco generis, & aliquid loco differentiæ, quamuis illud non ſit verum genus, nec vera differentia: vt cùm definitur aliquando genus generaliſſimum, vtpote cùm dicimus: Subſtantia eſt

ens per ſe exiſtens. Aliquando capitur pro oratione aliquid declarante, in qua ponitur verum genus, ſed non vera differentia: Sed loco differentiæ ponitur proprium, vt cùm dico de homine, quòd eſt animal riſibile. Et hæc oratio propriè deſcriptio vocatur. Aliquando autem accipitur propriè pro oratione, in qua ponitur verum genus, & vera differentia: De qua hoc loco dicturi.

2. Definitio eſt oratio ſignificans eſſentiam rei.

Oratio quippe eſt, quia nomen vnicum definire non poteſt. Conſtet enim genere & differentia, quæ rei eſſentiam explicant, oportet definitio. Nam genus prædicatur in quid, & differentia in quale ſubſtantialiter.

3. Definitio omnis ex duobus terminis tantùm fieri debet, niſi penuria vocabulorum aliter fieri cogat.

Nam cuiuſcunque definibilis vnum tantùm proximum genus, vnaq; tantùm vltima differentia eſt, ex quibus propriè fieri debet definitio, quia hæc perfectiùs patefaciunt definitum, & ab omni alio diſtinguunt.

4. Non debet definitio obſcuris nominibus conſtare.

Nam ad declarandum, oſtendendumq; definitum affertur.

5. Non debet ex nominibus æquiuocis fieri definitio.

Quia aliter non conſtaret ex genere & differentia, quæ prædicantur vniuocè.

Non

6. Non debet quis metaphoricè aut extraneè loqui definiendo, nec niſi conſuetis vti nominibus.

Ponitur namq; definitio, vt rem notam faciat. Obſcura verò fit oratio, cùm plura ſignificantia vel tranſſumta loco conſuetorum & propriorum nominum aſſumuntur: Et cùm omninò ex definitione rei non euidens definitio contrarij eſt.

7. Non debet in ea aliquid ſuperfluè poni, nec diminutè.

Superfluum enim impedit intellectum: diminutum verò non explicat totam rei eſſentiam.

8. Non debet pro genere poni in definitione aliquid tranſcendens, nec aliqua differentia, quæ competat omnibus contentis ſub genere definiti.

Conſtat enim definitio ex proprio genere, & ex propria differentia. Aliter enim non exhiberent totum definitum.

9. Non debet idem per idem definiri variato nomine.

Quia ſic non manifeſtaret definitum, ſed remaneret æquè ignotum.

10. Definitio debet fieri per notiora, & priora ſecundum naturam.

Per eam enim definiti exprimitur eſſentia. Vnde datur per genus & differentiam, quæ ſunt priora & notiora ſecundum naturam eo, cuius ſunt genus & differentia. Excipiuntur autem, quorum vnum ſine reliquo definiri nequit, relatiua.

Supe-

11. Superius non debet definiri per inferius.

Quia ſuperiora ſunt inferioribus notiora, & priora.

12 Primum locum debet obtinere genus in definitione, & ſecundum differentia.

Priora enim & communiora debent præcedere in definitione, eò quòd ſunt notiora, & à notioribus incboandum eſt. Genus autem notius eſt quàm differentia, quia communius eſt & vniuerſalius: Cùm namque ambo ſint obiecta intellectus noſtri, genus eſt notius noſtro intellectui quàm differentia, quia eſt vniuerſalius. Vniuerſale autem eſt obiectum intellectus proprium, ſicut particulare obiectum proprium ſenſus. Quare quod eſt magis vniuerſale quàm differentia, erit magis obiectum noſtri intellectus, quàm differentia, ideoq; notius intellectui noſtro: Notius igitur genus quàm differentia. Quantum autem ad differentias, ſciendum, non eſſe quamcunque differentiam deſumendam, ſed propriam, quæ non ſolùm ſit cauſſa ſpeciei, ſed etiam cauſſa accidentium in ſpecie illa inuentorum. Aduertendum autem, quòd cùm hæ differentiæ vltimæ ſint, eæq; nos vtplurimùm lateant, per accidentia propria circumſcribi poſſunt, quemadmodum humanam formam per riſibilitatem circumſcribimus. Quo fit, vt accidentia illa eligere expediat, quæ formam potiùs, quàm materiam conſequuntur: Quemadmodum & differentiæ potiùs à forma, quàm à materia pe-

ti debent. Nam & quæ differunt ſecundum ſpeciem, non differunt propter diuerſitatem ſuarum materiarum, ſed quia in formis eſt contrarietas.

13. Definitiones ſunt ſicut numeri.

Sicut enim ſpecies numerorum appoſita vel remota vna vnitate variant: ita & appoſita vel remota vna differentia, definitiones.

14. Definitio debet conuerti cum definito.

Vtrumque enim idem ſignificat.

15 Definitio debet competere omnibus contentis ſub definito.

Cùm enim definitio & definitum ſint idem, etiam de eiſdem prædicantur.

16. Si definitione aſsignata non ſtatim fit notum, cuius eſt definitio, aut definitio contrarii, non bene aſsignata eſt.

Quia, vt dictum, definitio & definitum idem ſignificant, & contrariorum eadem eſt diſciplina.

17. Si pro nominibus poſitis in definitione eorum definitiones ponantur, clarior erit definitio.

Sic definientibus magis notis, maximè notum erit definitum.

18. Si aliquid eſt æquiuocum, quod definiri debet, priùs quo ſenſu accipiatur, diſtinguendum.

Ita error euitabitur & confuſio.

19. Deus propriè definiri nequit.

Tum quia Deus non eſt ſub genere aliquo,

ſed

ſed eſt ſuper omne genus, tum quia non eſt compoſitus ex genere & differentia, nec ex aliquo alio, ſed eſt actus puriſſimus.

20. Tranſcendentia & generaliſsima propriè definiri non poſſunt.

Quia non habent ſupra ſe genus.

21. Singularia etiam non definiuntur.

Quia non immediatè ſubſunt generi, & non differunt ſecundum differentias eſſentiales, ſed ſolùm ſecundum materiam. Definitio autem eſſentialiter facit differre definitum ab omni alio, quod non eſt ipſum.

22. Solæ ſpecies definiri queunt.

Quia generibus ſubijciuntur, & per ſpecificas differentias diſtinguuntur. In prædicamentis autem cùm quædam ſuprema ſint, genus nempe generaliſſimum, quædam infima, nimirum indiuidua, veluti genera ſubalterna, & ſpecies ſpecialiſſimæ: definitiones iure ipſo non generis erunt ſupremi, quia ſuperiori caret genere, non indiuiduorum, quia ſpecificis deſtituitur differentijs. Quare ſolùm mediorum, hoc eſt, generũ, quæ ſubalterna ſunt, & ſpecierum, quæ ſpecialiſſimæ conſtituuntur.

23. Species ſubſtantiæ proprijſsimè definiuntur.

Quia hæ habent eſſentiam nullo modo dependentem: Vnde in earum definitione non aliquod extraneum ponere, ſed ſolum proximum genus, & propriam differentiam, neceſſe eſt.

Species

24. Species accidentium non ita propriè definiuntur.

Quia eſſe earum, ſeu eſſentia, ſeu exiſtentia dependet à ſubſtantia. Accidentis enim eſſe eſt ineſſe. Vnde oportet in eorum definitionibus aliquod extraneum ponere, id eſt, ſubiectum, à quo dependent ſecundum eſſe. Ideò per additamentum definiri dicuntur.

25. Definitio colligitur per diuiſionem.

Omnis definitio duobus modis inueſtigatur: vel per compoſitionem, aut diuiſionem, vt definitiones ſubſtantiarum: vel per reſolutionem aut analogiã rerum differentium, vt definitiones accidentiũ, 2. poſter. Diuiſione, cui Plato fauit, aliquid definituri initiò genus primum illius rei, quod ſub quopiam decem illorum, quaſi centuriatũ militem ſub ſuo imperatore contineri neceſſe eſt, inuentum, in differentias diuidamus. Dein eam, quæ aptari definiendæ rei poteſt, generi coniungamus differentiam. Quòd ſi tum adæquata definiendæ ſpeciei illa eſt differentia, iam perfecta definitio. Sin autem eſt adhuc quid communius, rurſum genus cum differentia diuidatur, & conueniens ſpeciei finiendæ differentia iungatur: Et hoc pacto, diuidendo vniendoq; proceditur, quouſq; ad adæquatam ſpeciei differentiam peruentum ſit. Gratia exempli, definituro hominẽ, quærendum prius genus, quod eſt ſubſtantia. Deinde diuidenda ſubſtantia in differentias, id eſt, in corporeum & in incorporeũ. Et quia homo eſt corpus, corporeũ cum ſubſtantia con-

coniungendum, & emerget ſubſtantia corporea. Sed quia latior hæc definitio: rurſum diuidenda ſubſtantia corporea in animatum & inanimatum. Quia verò homo eſt animatus, animatum ſubſtantiæ corporeæ iungendum, & orietur ſubſtantia corporea animata. Sed cùm adhuc definitio latior ſit: denuò ſubſtantia corporea animata in ſenſibile & in inſenſibile diſpeſcenda: Ac quia homo ſenſibilis, ſubſtantia corporea animata ſenſibilis definiatur; Et quia nedum hæc homini adæquata, vlterius in rationale & irrationale diuidatur. Et quia homo rationalis eſt: addatur priori definitioni rationale, & facta erit perfecta Hominis definitio. Nec progredi diuiſionem vlterius opus eſt. Si ergo hoc totum, ſubſtantia corporea, animata, ſenſibilis, accipiatur pro genere, & loco eius ponatur animal, quod eſt Hominis genus proximum, tota definitio ex duobus terminis conſtabit ſecundum tertiam concluſionem, quæ erit: Animal rationale.

Et hæc breuiter de definitione & definito, & definitionis inueſtigatione dicta ſufficiant.

De for-

DE FORMIS SYLLO-GISMORVM CATEGORICO-rum, eſſe vel non eſſe mon-ſtrantium.

Liber Qvartvs.

Summa & diſpoſitio libri IV.

SEquitur nunc de Syllogiſmo tractatus: Et quia ſimpliciora priora ſunt, priùs auctor de ſyllogiſmo ſimpliciter in hoc libro hoc ordine agit. Et primò quidem de ipſo ſyllogiſmo: Secundò de modis eius in ſpecie: Tertiò, quædam, quæ conſequuntur dicta, ſubiungit. Quo ad primum, primò definit ſyllogiſmũ in communi, in 1. concluſione. Secundò, quia diuiditur in perfectum & imperfectum, declarat vtrunque: Perfectum quidem in 2. imperfectum verò in 3. Tertiò, quia per diuerſas figuras diſtinguitur, declarat figuras eius, in 4. 5. 6. iuxta ordinem harum figurarum, ſubiungens de ſyllogiſmo expoſitorio, quid ſit, in 7. Quartò tradit duas regulas, quæ ſunt directoriæ omnium ſyllogiſmorum, ſcil. quid ſit eſſe in toto, ſiue dici de omni, in 8. Et quid ſit eſſe in nullo, ſiue dici de nullo, in 9. Quo ad ſecundum, quia conuerſio propoſitionum

ad notitiam modorum ſyllogiſmi confert: Priùs agit de illa ſecundum ordinem propoſitionum, oſtendens, quomodo conuertantur affirmatiuè.ſcil. vniuerſalis,in 10. & particularis, in 11. Et quomodo negatiuè, ſcil. vniuerſalis in 12. & particularis in 13. Deinde agit de modis ſyllogiſmi in ſpeciali, ſecundum ordinem figurarum: De modis quidem primæ, in 14. 15. 16. & 17, priùs declarans vniuerſales, quàm particulares, & priùs affirmatiuos quàm negatiuos: Sic enim exigit ordo. Et ſubiungit horum modorum perfectionem in 18. De modis autem ſecundæ, in 19. 20. 21. & 22. agens priùs de vniuerſalibus, quàm de particularibus, vt dictum eſt in prima. De modis verò tertiæ, in 23. 24. 25. 26. 37. & 23. ſeruans prædictum ordinem. Nam priùs agit de illis, qui habent præmiſſas ambas vniuerſales, & poſtea de illis, qui conſtant ex vna particulari, & in vtroque ordine priùs de affirmatiuis quàm de negatiuis. Et quia omnes modi dicti concludunt directè: ſubiungit duos modos, qui concludunt indirectè: Alterum habentem ambas præmiſſas vniuerſales: Alterum habentem vnam particularem, in 29. Quo ad tertium oſtendit primò virtutem modorum dictorum, ad concludendum plura, in 30. Secundò reductionem omnium aliorum ad primos duos, in 31. & dependentiam à primo, in 32. Tertiò ſuffici-

cientiam, & modorum dictorum, in 33. & figurarum, in 34. [illegible], ex quibus fiunt [illegible] in 35. [illegible] docet regulam de quantitate & qualitate propoſitionũ, in 36. Et denique, [illegible] quæve difficilis ad concludendum, in 37. 38. & 39. ponens in vltima [illegible], quæ etiam eſt vltima libri huius, propria nomina ſupradictorum modorum, cum eorundem declarationibus.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Syllogiſmus eſt oratio, in qua poſitis quibuſdam aliud quiddam ab his, quæ poſita ſunt, ex neceſsitate accidit eò, quòd hæc ſunt.

Vt cùm dicitur: Omnis angelus eſt incorruptibilis. Gabriel eſt angelus: Ergo Gabriel eſt incorruptibilis. In hac enim oratione poſitis illis duabus propoſitionibus primis, ex neceſſitate accidit illa tertia, non propter aliam cauſſam, niſi quia illæ poſitæ ſunt. Qui enim concedit primas duas, cogitur ex neceſſitate concedere tertiam.

2. Perfectus ſyllogiſmus eſt, qui nullo indiget præter ea, quæ aſſumta ſunt, vt appareat ex neceſsitate concludere.

Nam ſunt quidam ſyllogiſmi, qui per ſe adeò ſunt manifeſti, vt probatione non ege-

egeant: Et hi dicuntur perfecti. Quidam autem indigent probatione, & per manifeſtos ſyllogiſmos probantur.

3 Imperfectus ſyllogiſmus eſt, qui aliquo vel aliquibus indiget, vt per eoſdem terminos, qui priùs erant aſſumti, appareat ex neceſsitate concludere.

Imperfecti enim ſyllogiſmi, vt dictum eſt, per alios perfectos demonſtrantur. Et hoc fit aliquando per conuerſionem vnius propoſitionis, aliquando per conuerſionem duarum. Et idcircò dictum, quòd aliquo vel aliquibus indigent. Hoc verò magis inferiùs patebit.

4. Syllogiſmus primæ figuræ eſt, quando illud, quod in vna propoſitione ſubjicitur, in altera prædicatur.

Vt cùm dico: Omne b eſt a. Omne c eſt b: Ergo omne c eſt a. In prima enim b erat ſubiectum, in ſecunda autem prædicatum.

5. Syllogiſmus ſecundæ figuræ eſt, quando idem eſt in vtraque prædicatum.

Vt nullum a eſt b. Omne c eſt b: Ergo nullum c eſt a. b enim in vtraque prædicatur.

6. Syllogiſmus tertiæ figuræ eſt, quando idem eſt ſubiectum in vtraque.

Vt omne b eſt a. Omne b eſt c: Ergo aliquod c eſt a. Nam b in vtraque ſubijcitur.

7. Syllogiſmus expoſitorius eſt, quando duo probantur conuenire, quia conueniunt in aliquo tertio.

Vt

Ut, ſi volo probare, quòd aliquod animal ſit homo: ſic arguam: Plato eſt homo. Plato eſt aliquod animal: Ergo aliquod animal eſt homo. Et hæc probatio per ſe manifeſtiſſima eſt. Si enim Plato eſt aliquod animal, & etiam eſt homo, nulli poteſt eſſe dubium, quin aliquod animal ſit homo.

8. In toto eſſe vel de omni prædicari eſt, quando nihil eſt ſumere ſubiecti, de quo non dicatur prædicatum.

Ut omnis homo eſt animal. Nam animal eſt in toto homine, & de omni homine prædicatur, quia nihil eſt ſumere ſub homine, de quo non dicatur animal.

9. In nullo eſſe, vel de nullo prædicari eſt, quando nihil eſt ſumere ſubiecti, à quo non remoueatur prædicatum.

Ut nullus homo eſt lapis. Nam lapis in nullo eſt homine, & de nullo homine prædicatur, quia nihil eſt ſumere ſub homine, à quo non remoueatur lapis.

10. Vniuerſalis propoſitio negatiua in ſeipſam conuertitur.

Nam ſi nullum b eſt a, etiam nullum a eſt b. Quòd ſi negas, aliquod igitur a eſt b: Quia neceſſe eſt alterum contradictoriorum eſſe verum. Sit igitur c illud a, quod eſt b: Igitur cùm c ſit b, & etiam ſit a: Sequitur, quòd aliquod b eſt a, per ſyllogiſmum expoſitorium, quo per vnum tertium, in quo conueniunt a & b, probamus etiam eadem inter ſe conuenire, ſcil. quòd aliquod b eſt a. Sed

prius aſſumtum fuit, quòd nullum b eſt a. Duo ergo contradictoria erunt ſimul, quod eſt impoſſibile.

11. Particularis affirmatiua in ſeipſam conuertitur.

Si enim aliquod b eſt a, etiam aliquod a eſt b. Quòd ſi negas, dabitur contradictorium eius, quod eſt: Nullum a eſt b. Sed hæc in ſeipſam conuertitur, vt dictum eſt in præcedenti concluſione. Ergo nullum b eſt a. Sed prius poſitum fuit, aliquod b eſſe a. duo igitur contradictoria erunt ſimul.

12. Propoſitio vniuerſalis affirmatiua in particularem conuertitur.

Si enim omne b eſt a, etiam aliquod a eſt b: Aliter nullum a erit b. Igitur & nullum b erit a. Sed iam poſitum eſt, omne b eſſe a. Igitur duo contraria erunt ſimul vera, quod libro primo, concluſione 57. negatum.

13 Particularis negatiua non conuertitur.

Non enim in affirmatiuam conuertitur; quia negatiua non infert affirmatiuam, vt inferiùs probabitur. Nec in negatiuam vniuerſalem, quia non ſequitur: Si aliquod animal non eſt homo, quòd nullus homo ſit animal. Nec in particularem negatiuam, id eſt, in ſeipſam, quod item non ſequitur: Si aliquod animal non eſt homo, quòd aliquis homo non ſit animal: Ergo nullo modo conuertitur.

14. Prima figura C. B. A.

Quando tres termini ita ſe habent, quòd poſtremus eſt in toto medio, & medius in toto

toto primò : neceſſe quoque eſt,poſtremum eſſe in toto primo.

Terminum voco in quem reſoluitur propoſitio, vt ſubiectum & prædicatum: poſtremum verò, vel maiorem extremitatem, dico illum terminum, qui de medio prædicatur. Primum autem, vel minorem extremitatem eum, de quo prædicatur medium. Voco autem medium illum, qui ſubijcitur & prædicatur. Vnde in hac figura maior propoſitio eſt illa, in qua eſt maior extremitas ſiue poſtremus terminus: Minor verò, in qua eſt primus terminus ſiue minor extremitas, qualitercunque varietur ordo propoſitionum in prolatione vel in ſcripto. Sint ergo iſti tres termini C. B. A. Si a eſt in toto b, & b in toto c, neceſſe eſt a eſſe in toto c. Si enim a eſt in toto b, nihil erit ſumere ſub b, de quo non dicatur a. Cùm ergo c totum ſumatur ſub b, neceſſe erit a de omni c prædicari. Sic enim fuit ſuperiùs definitum, eſſe in toto & prædicari de omni. Formatur autem ſic ſyllogiſmus: Omne b eſt a. Omne c eſt b: Ergo omne c eſt a.

15. Quando autem poſtremus eſt in nullo medio, & medius in toto primo, neceſſe eſt poſtremum in nullo eſſe primo

Nam ſi a in nullo eſt b, nihil ſumitur ſub b, à quo non remoueatur a. Si igitur b ſit in toto c: nihil ſumitur ſub c. de quo non dicatur b. Totum ergo c eſt ſub b. Igitur in nullo c neceſſe eſt eſſe a. Et formatur ſic ſyllogiſmus: Nullũ b eſt a. Omne c eſt b: Ergo nullum c eſt a.

Si

16. Si autem poſtremus ſit in toto medio, & medius in aliquo primo: neceſſe eſt poſtremum in aliquo primo eſſe.

Idem enim eſt, in aliquo primo eſſe medium, & de primo medium particulariter prædicari affirmatiuè. Et ratio huius ſyllogiſmi eſt eadem, quæ fuit ratio primi. Et formatur ſic: Omne b eſt a. Aliquod c eſt b; Ergo aliquod c eſt a.

17. Si autem poſtremus ſit in nullo medio, & medius in aliquo primo: neceſſe eſt poſtremum ab aliquo primo remoueri.

Poſtremum ab aliquo primo remoueri idem dico, quod poſtremum particulariter negatiuè prædicari de primo. Et ratio quoque huius ſyllogiſmi eſt ea, quæ fuit ratio ſecundi. Et ſic formatur. Nullum b eſt a. Aliquod c eſt b: Ergo aliquod c non eſt a.

18. Iſti quatuor ſyllogiſmi ſolùm perfecti ſunt.

Nam per ſe ſunt manifeſti, & nulla conuerſione propoſitionum, vt eorum neceſſitas appareat, indigent: Imò per hos probantur alij. Sin verò alia, præterquam dictum, propoſitionum & terminorum fieret collocatio; aut nullus, aut imperfectus oriretur ſyllogiſmus.

19. Secunda figura A. B. C.

Quando autem medius terminus de nullo poſtremo dicitur, & eſt in toto primo: neceſſe eſt poſtremum eſſe in nullo primo.

Poſtre-

Poſtremum autem, vel maiorem extremitatem in ſecunda figura voco illum terminum, qui primò ſubÿcitur medio: Minorem verò vel primum, qui ſecundo loco eidem ſubÿcitur. Maior ergo propoſitio hic eſt illa, quæ in primo loco ſyllogiſmi collocatur, minor verò quæ in ſecundo. Vnde tam in hac figura, quàm in ſequenti multum refert præponere atque poſtponere propoſitiones. Formatur ergo ſic ſyllogiſmus. Nullum a eſt b. Omne c eſt b: Ergo nullum c eſt a. Probatur autem per conuerſionem primæ, quæ conuertitur in ſeipſam iuxta concluſionem primam: Qua propoſitione conuerſa ſyllogiſmus erit ſecundus primæ figuræ? Syllogiſmus ergo iſte eſt imperfectus, quia probatione indiget: Et ſimiliter imperfecti ſequentes omnes. Per primam enim figuram probantur.

20. Similiter ſi medius ſit in toto poſtremo & in nullo primo: neceſſe eſt poſtremum in nullo eſſe primo.

Si enim omne a eſt b, & nullum c eſt b: neceſſe eſt nullum c eſſe a. Quia ſi ſecunda & tertia, quæ eſt concluſio, in ſeipſas conuertantur, erit ſyllogiſmus ſecundus primæ figuræ.

21. Si autem medius in nullo ſit poſtremo, & in aliquo ſit primo, neceſſe eſt poſtremum ab aliquo primo remoueri.

Si enim nullum a eſt b, & aliquod c eſt b: neceſſe eſt aliquod c non eſſe a. Nam ſi prima conuertatur, erit ſyllogiſmus quartus primæ figuræ.

22. Si autem medius ſit in toto poſtremo, & remoueatur ab aliquo primo: neceſſe eſt ab aliquo primo poſtremum remoueri.

Si namq. omne a eſt b, & aliquod c non eſt b: neceſſe eſt aliquod c non eſſe a. Nam ſi hæc concluſio non eſt vera, exiſtentibus veris præmiſſis, eius contradictorium erit verum, quod eſt: Omne c eſt a. Quòd ſi *coniungatur cum illa: Omne a eſt b: ſequetur, quòd omne c eſt b, in primo primæ figuræ, & ſic duo contradictoria erunt ſimul vera. Nam poſitum eſt illam eſſe veram: Aliquod c non eſt b. Et iſta: Omne c eſt b, quæ eſt eius contradictoria, concluſa è veris fuit. Quæ probatio per impoſſibile dicitur, quòd ſyllogiſmum eſſe bonum negans, ad concedendum impoſſibile deducatur.*

23. Tertia figura B. A. C.

Si autem poſtremum ſit in toto medio, in quo etiam toto ſit primum: neceſſe eſt poſtremum eſſe in aliquo primo.

Si enim omne b eſt a, & omne b eſt c: neceſſe eſt aliquod c eſſe a. Quia ſi ſecunda conuertatur in particularem, fiet tertius ſyllogiſmus primæ figuræ. Voco autem ſecundam propoſitionem, ſeu minorem in tertia figura, eam, quæ ſecundum tenet locum: Et primam vel maiorem, quæ primum. Et ſimiliter poſtremum dico vel maiorem extremitatem, illum terminum, qui primò de medio prædicatur. Primum verò, vel minorem extremitatem illum terminum, qui ſecundariò de medio.

24. Si autem poſtremum ſit in nullo medio

dio, in quo toto ſit primum: neceſſe eſt poſtremum ab aliquo primo remoueri.

Si enim nullum b eſt a, & omne b eſt c: neceſſe eſt, aliquod c non eſſe a. Nam minore conuerſa in particularem, fit ſyllogiſmus quartus primæ figuræ.

25. Quando verò poſtremum eſt in aliquo medio, in quo toto eſt primum: neceſſe eſt, poſtremum eſſe in aliquo primo.

Si enim aliquod b eſt a, & omne b eſt c: neceſſe eſt, aliquod c eſſe a. Si enim prima propoſitio in ſeipſam conuertatur: fiet ſyllogiſmus tertius primæ figuræ, concludens, quòd aliquod a eſt c. Quæ quidem concluſio, ſi in ſeipſam conuertatur, erit ea, quæ fuit concluſio propoſiti ſyllogiſmi: Scilicet, aliquod c eſſe a.

26. Si autem poſtremum eſt in toto medio, & primum in aliquo: neceſſe eſt, poſtremum eſſe in aliquo primo.

Nam ſi omne b eſt a, & aliquod b eſt c: neceſſe eſt aliquod c eſſe a. Conuerſa enim ſecunda in ſeipſam: erit ſyllogiſmus tertius primæ figuræ.

27. Si verò poſtremum ab aliquo medio remoueatur, & ſit primum in toto eodem medio: neceſſe eſt poſtremũ ab aliquo primo remoueri.

Et probatur eodem modo ſicut probatus fuit quartus ſecundæ figuræ. Si enim aliquod b non eſt a, & omne b eſt c: neceſſe eſt aliquod c non eſſe a. Nam ſi concluſio non eſt vera, eius

eius contradictorium erit verum, quod eſt: Omne c eſt a. Quod cum ſecunda propoſitione iunctum infert: Omne b eſſe a. Et cùm iam poſitum ſit, quòd aliquod b non eſt a: Sequitur, quòd duo contradictoria ſint ſimul vera.

28. Si autem poſtremum in nullo ſit medio, & primum ſit in eodem aliquo medio: neceſſe eſt poſtremum ab aliquo primo remoueri.

Si enim nullum b ſit a, & aliquod b ſit c: neceſſe eſt aliquod c non eſſe a. Nam ſi ſecunda in ſeipſam conuertatur, fiet quartus ſyllogiſmus primæ figuræ.

29. In omnibus his figuris poteſt ex affirmatiua & negatiua fieri ſyllogiſmus, concludens primum de poſtremo.

In prima quidem figura ſic: Omne b eſt a. Nullum c eſt b: Ergo aliquod a non eſt c. Nam ſi præmiſſæ conuertantur, fiet ſyllogiſmus quartus primæ figuræ. Et ſimiliter, ſi dicatur: Aliquod b eſt a. Nullum c eſt b: Ergo aliquod a non eſt c. Conuerſis enim præmiſſis fiet idem ſyllogiſmus quartus.

In ſecunda autem figura ſic: Aliquod a eſt b. Nullum c eſt b: Ergo aliquod a non eſt c. Si enim negatiua conuertatur, fiet ſyllogiſmus quartus primæ figuræ. Et ſimiliter, ſi dicatur: Omne a eſt b. Nullum c eſt b: Ergo aliquod a non eſt c. Nam ſi minor in ſeipſam conuertatur, & maior primò conuertatur in particularem, & deinde illa

particularis in ſeipſam: fiet idē ſyllogiſmus quartus primæ figuræ. In tertia verò figura ſic: Aliquod b eſt a. Nullum b eſt c: Ergo aliquod a non eſt c. Vel ſic: Omne b eſt a. Nullum b eſt c: Ergo aliquod a non eſt c. Nam ſi affirmatiua conuertatur in vtroque: fiet ſyllogiſmus quartus primæ figuræ.

30. In quocunque ſyllogiſmo concluditur aliqua propoſitio, poteſt concludi etiam omnis alia propoſitio, quæ ex illa ſequitur.

Nam ſi vniuerſalis concluditur: Poteſt etiam concludi particularis, quæ in ipſa includitur. Et vbicunque concluditur aliqua, quæ poteſt conuerti in alteram: poteſt etiam concludi ea, in quam conuertitur: quia in illa includitur. Sed ob id multiplicare modos ſyllogiſmorum non oportet: Quia ſyllogiſmus, qui verè vnus eſt, immediatè ſuam concluſionem infert. Quando autem aliquis ſyllogiſmus infert illam, quæ ex immediata ſua concluſione ſequitur: non eſt dicendus vnus ſyllogiſmus, ſed duo. Non enim illa concluſio ſequitur ſolùm ex virtute præmiſſarum, ſed ex virtute earum primò ſequitur propria concluſio, & ex illa concluſione per alterum ſyllogiſmum ſequitur illa, quæ conſequitur ad eam: vnde tacitè ſunt duo ſyllogiſmi: Aliter infiniti penè eſſent modi ſyllogiſmorum.

31. Omnes ſyllogiſmi ad primos duos primæ figuræ reſoluuntur.

Nam tertius primæ figuræ per impoßibile reſol-

reſoluitur ad ſecundum ſecundæ figuræ ſic: Omne b eſt a. Aliquod c eſt b. Ergo aliquod c eſt a. Nam ſi concluſio non eſt vera, accipiatur eius contradictorium, quod eſt: Nullum c eſt a: Quòd ſi iungatur cum prima, fiet ſyllogiſmus prædictus hoc modo: Omne b eſt a. Nullum c eſt a: Ergo nullum c eſt b. Quod eſt contradictorium ſecundæ. At quartus primæ reſoluitur in primum ſecundæ figuræ ſic: Nullum b eſt a. Aliquod c eſt b: Ergo aliquod c non eſt a. Si enim contradictoriũ concluſionis coniungatur cum maiore, fiet ſyllogiſmus prædictus ita: Nullum b eſt a. Omne c eſt a: Ergo nullum c eſt b. Quod eſt contradictorium minoris. Igitur cùm omnes ſyllogiſmi in quatuor primæ figuræ reſoluantur, & tertius & quartus eiuſdem figuræ in primum & ſecundum ſecundæ reſoluantur, qui tandem ad ſecundum primæ reducuntur: Sequitur, omnes in primos duos finaliter reſolui.

32. Omnes ſyllogiſmi à primo primæ figuræ virtutem habent.

Nam cùm omnes à primis illis duobus virtutem habeant, & ſecundus à primo: Sequitur tandem, quòd omnes à primo efficaciam habent. Quòd autem ſecundus à primo habeat virtutem ſuam, patet: Quia primus ex affirmatiuis ſolùm conſtat, Secundus verò negatiuas habet: Negatiua autem non habet efficaciam concludendi, niſi ab affirmatiua, vt ex ſuperioribus patet. Nam nullus ſyllogiſmus eſt, qui non habeat aliquã affirmatiuam:

Ex

Ex negatiuis autem ſolis nihil ſequitur. Huc accedit ratio, quòd in vnoquoq; genere neceſſe eſt dare vnum primum, & maximè tale, quod aliorum, vt ſint talia, cauſſa eſt.

33. Præter iſtos ſyllogiſmos, qui poſiti ſunt, nulli alii de eſſe vel non eſſe inueniuntur neceſſarii.

Nam qualitercunq; varient termini vel propoſitiones, inuenientur inſtantiæ, quibus non ex neceſſitate concludere efficietur. Id quod fuſiùs in prioribus oſtenſum ab Ariſtotele. Quæ quia magnam vtilitatem non afferant, ſatis nobis attigiſſe fuit.

34. Tres igitur ſunt figuræ ſyllogiſmorum, & non plures.

Quia cùm ad probationem cuiuſcunq; concluſionis aliquod medium requiratur, quod extrema cōiungat, & ex vna ſola propoſitione nihil ſequatur, vt dicit Ariſtoteles: Oportet quòd ſaltem bis ante conluſionem illud medium ſumatur, id eſt, in duabus propoſitionibus. Aut igitur in vna prædicabitur, & in altera ſubijcietur: Et ſic habes primam figuram. Aut in vtraq; prædicabitur: Et ſic habes ſecundam. Aut in vtraq; ſubijcietur, & ſic habes tertiam. Nec datur alius variandi modus.

35. In omni ſyllogiſmo ſufficit tres terminos ponere, & duas propoſitiones.

Si enim plures vel termini vel propoſitiones addantur, quàm dictum eſt: aut nullus fiet ſyllogiſmus, aut aliqui termini & aliquæ propoſitiones erunt ſuperfluæ, & impediunt intellectū. Patet

id

id ex ſuprà dictis : Vbi omnes ſyllogiſmi ex tribus terminis tantùm, & duabus propoſitionibus conſtituti.

36. In omni ſyllogiſmo neceſſe eſt, alteram duarũ propoſitionum eſſe vniuerſalem : Et ſimiliter alteram affirmatiuam.

Ex ſolis enim particularibus, & ex puris negatiuis nihil ſequitur.

37. Propoſitio vniuerſalis affirmatiua difficilima eſt ad conſtruendum.

Quia ſolùm in prima figura, & in primo modo conſtrui poteſt.

38. Propoſitio particularis negatiua eſt facilima ad conſtruendum.

Quoniam in omnibus figuris, multiſq; modis poteſt conſtrui.

39. Propoſitio vniuerſalis affirmatiua eſt facilima ad deſtruendum.

Nam deſtruitur per particularem negatiuam, quæ eſt facilima ad conſtruendum.

40. Vniuerſalis negatiua difficiliùs conſtruitur, quàm particularis affirmatiua.

Quia ſcil. conſtruitur in paucioribus modis quàm particularis. Vt verò meliùs modi iſtarum figurarum memoriæ inhæreant: quibuſdam nominibus artificio plenis deſignati, & his verſibus ſecundum ordinem ſyllogiſmorum & figurarum ita deſcripti :

Bar-

Barbara, celarent, darij, ferio, baralipton,
Celantes dabitis fapeſmo friſeſomorum.
Ceſare, cameſtres, feſtino, baroco, darapti,
Felapton, diſamis, datiſi, bocardo, feriſon.

In his autem dictionibus quatuor ſunt vocales, ſcil. a. e. i. & o. Quarum a ſignificat vniuerſalem affirmatiuam, e vniuerſalem negatiuam, i particularem affirmatiuam. O verò particularem negatiuam. Nota verò, quòd ſicut ordinantur vocales in nomine alicuius modi: ita & eodem ordine propoſitiones per illas vocales in illo modo ſignificatæ collocandæ. Sunt quoque ibi quatuor conſonantes in principio nominum, videlicet, b. c. d. f. Quibus denotatur, quemlibet alium modum à primis quatuor primæ figuræ, quorum nomina ſunt illæ quatuor dictiones primæ in primo verſu poſitæ, ſecundum ordinem ſyllogiſmorum ſuperiùs poſitum, debere probari per illum modum ex illis quatuor, qui ei correſpondeat in prima conſonante. Inueniuntur etiam aliæ quatuor conſonantes in eis, vt ſ. p. c. m: quarum ſ ſignificat, quòd propoſitio per vocalem præcedentem deſignata, immediatè debeat conuerti in ſeipſam ſeu ſimpliciter, quando ille modus, in quo eſt ille conſónans, probatur. p verò conuertendum per accidens, hoc eſt, vniuerſalem in particularem, notat. c autem, quòd probatio illius ſyllogiſmi per impoſſibile fiat. m verò, quòd quando inſtituitur reſolutio ſyllogiſmi, propoſitiones præmiſſæ tranſponantur, hoc eſt, quòd de maiori fiat

minor, & econuerſo. Id quod tamen non neceſſariò fit: quia in prima figura nihil refert præponere vel poſtponere propoſitiones, cùm ſemper illa ſit prima vel maior, in qua eſt maior extremitas, id eſt, terminus, qui de medio prædicatur, vt ex ſuperioribus patet. Primæ ergo quatuor dictiones ſunt nomina primorum quatuor primæ figuræ. Et primæ quatuor tertij verſus ſunt nomina ſyllogiſmorum ſecundæ figuræ. Et ſex quarti ſequētes ſunt nomina ſyllogiſmorum tertiæ figuræ. Et dictiones eo modo ordinantur, ſicut & ſyllogiſmi. Duæ verò dictiones vltimæ ſecundi verſus ſunt nomina eorum, qui concludunt primum de poſtremo, quos poſuimus in 20 concluſione. Horum autem trium, ſcil. paralipton, celantes, & dabitis non meminimus. Nam qui hos ponunt, concludere indirectè, id eſt, primum de poſtremo, dicunt. Deinde ad eos, quibus reſpondet in prima conſonante, nullam aliam habent differentiam, & ideò non niſi propoſitionem, quæ ſequitur ex concluſione immediatè ſequente ex ſyllogiſmis eis reſpondentibus, id eſt, barbara, celarent, & darij, concludunt. Vnde vnuſquiſque eorum duplicatus potiùs, quàm ſimplex ſyllogiſmus eſt: Quo modo variari in omnibus figuris ſyllogiſmi poſſent, vti 20. concluſione dictum. Poſtremò admoneare, primi & ſecundi verſus vltimas dictiones, ton, & orum, nil præterquam complementum verſibus præſtare. Et hæc de ſyllogiſmis, eſſe vel non eſſe monſtrantibus.

DE

DE SYLLOGISMIS MODALIBVS.

Liber Qvintvs.

Summa & diſpoſitio libri V.

SYllogiſmũ de ineſſe, qui eſt ſimplex, ſyllogiſmus modalis, quemadmodum & propoſitio modalis propoſitionem de ineſſe ſequitur. Priùs enim cõſideratur natura rei in ſe, poſtea modus eius. De tali igitur ſyllogiſmo in hoc libro: & quia omnes ſyllogiſmi modales reducuntur ad ſyllogiſmum de neceſſario & contingenti, tantùm de illis agit. Primò quidem de ſyllogiſmo de neceſſario, ſecundò de ſyllogiſmo de contingenti: Neceſſarium enim eſt prius contingenti. Quoad primum, quia conuerſio propoſitionum confert, vt ſuperiùs dictum, ad cognitionem ſyllogiſmorum: primò declarat conuerſionem in propoſitionibus de neceſſario, priùs manifeſtans illas, quæ conuertuntur in ſeipſas, ſcil. vniuerſalem negatiuam in 1. concluſione, & particularem affirmatiuam in 2. Deinde illam, quæ conuertitur in aliam, ſcil. vniuerſalem affirmatiuam in 3. ſubdens in 4. de particulari negatiua: quia nequit conuerti, hoc ſeruato ordine, quòd vniuerſale ſit prius particulari, & affirmatio negatione.

Secundò oſtẽdit,quomodo in his propoſitio-nibus debet vel poteſt fieri ſyllogiſmus ſimul in omnibus figuris,in 5. Tertiò, quomodo in ſingulis ſigillatim,& quomodo in prima,oſtẽ-dit in 6; quomodò in ſecunda in 7: quomo-do in tertia, in 8: ſubdens, an poſsit ſyllogi-ſmus alio modo fieri in his figuris,in 9. Quo ad ſecundum, ſeruans ordinem prædictum, primò agit de conuerſione propoſitionum de contingenti, incipiens ab illis, quæ conuer-tuntur ſecundum conſequentiam,& declarat priùs vniuerſales in 10: Deinde particulares in 11. manifeſtat. Poſtea, an conuertantur in ſeipſas vel in alias, & oſtenſo, quæ non poſ-ſunt conuerti in ſeipſas, ſcil. vniuerſales, in 12. & quæ poſſunt,in 13.14.15.16. præmit-tens affirmatiuas negatiuis, & quæ conuer-tantur in ſe,illis,quæ conuertuntur in alias,vt patet. Secundò oſtendit,quomodo in his pro-poſitionibus fieri ſyllogiſmus poſsit in prima figura,in 17.18.19.20.21. Multipliciter enim poteſt fieri, ſecundum diuerſam combinatio-nem & mixtionem propoſitionum, tàm de ineſſe quàm modalium. In ſecunda figura, quomodo non fiat ſyllogiſmus, deducit in 22. Qua ratione autem poſsit fieri,in affirma-tiuis quidem,in 23: In negatiuis autem,in 24. declarat. In tertia demũ, quomodo tripliciter fieri poſsit, ſiue ſint ambæ præmiſſæ de con-tingenti,quod in 25. quo ad affirmatiuas qui-

dem:

dem: & in 26. quo ad negatiuas, ſiue non, in 27. manifeſtat & oſtendit.

Concluſio ſiue regula prima.

Propoſitio vniuerſalis negatiua in ſeipſam conuertitur de neceſſario.

Nam ſi neceſſe eſt, nullum b eſſe a: etiam neceſſe eſt, nullum a eſſe b. Quòd ſi non eſt neceſſe, nullum a eſſe b: poſſibile eſt ergo, aliquod a eſſe b, iuxta regulam 65. primi libri. Sit ergo aliquod a, b. Nam poſſibili poſito ineſſe, nullum ſequitur impoſſibile. Poſſibile enim eſt, quod poteſt eſſe. Si igitur aliquod a eſt b, etiam aliquod b erit a, iuxta 11. concluſionem præcedentis libri. Sed antè aſſertum fuit, neceſſe eſſe nullum b eſſe a: Ergo duo pugnantia, & oppoſita futura ſimul.

2. Particularis affirmatiua quoque in ſeipſam conuertitur.

Si enim neceſſe eſt, aliquod b eſſe a: Etiam neceſſe eſt, aliquod a eſſe b. Nam ſi non eſt neceſſe, aliquod a eſſe b: poſſibile eſt, nullum a eſſe b, per regulam 65. prædictam. Sit ergo nullum a b: Igitur & nullum b erit a, per 1. præcedentis libri regulam. Hoc autem contradicit poſito. Nam poſitum fuit, neceſſe eſſe, aliquod b eſſe a.

3. Vniuerſalis autem affirmatiua in particularem conuertitur.

Si enim neceſſe eſt, omne b eſſe a: Etiam neceſſe eſt aliquod a eſſe b. Si enim non neceſſe

 eſt,

eſt, aliquod a eſſe b: poſſibile erit, nullum a eſſe b. Ponatur ergo ita eſſe, quòd nullum a ſit b: Igitur & nullum b erit a. Quod eſt contra poſitum. Et eſt eadem hæc cum præcedenti ratio.

4. Particularis negatiua non conuertitur.

Non enim conuertitur in affirmatiuam. Quia negatiua & affirmatiua inuicem pugnant. Nec in negatiuam: Quia quamuis ſit neceſſarium, aliquam ſubſtantiam non eſſe hominem: non tamen neceſſe eſt, nullum hominem eſſe ſubſtantiam, vel aliquem non eſſe ſubſtantiam, imò impoſſibile.

5. Si ambæ propoſitiones ſint modales de neceſſario, fiunt ſyllogiſmi in omnibus figuris eodem modo, ſicut in propoſitionibus de ineſſe.

Habent enim eaſdem probationes. Nam propoſitiones de neceſſario eodem modo conuertuntur, ſicut & propoſitiones de ineſſe. Excipiuntur tamen duo, ſcil. quartus ſecundæ figuræ, & quintus tertiæ, qui in hoc loco non per impoſſibile demonſtrantur, ſicut priùs factum eſt, ſed per ſyllogiſmum expoſitorium: Quod tamen finaliter ad contradictionem, & ad impoſſibile deducit. In baroco quidem ſic: Neceſſe eſt omne a eſſe b. Et neceſſe eſt aliquod c non eſſe b. Sequitur, quòd neceſſe eſt aliquod c non eſſe a. Nam ponatur, quòd illud c, quod neceſſe eſt, non eſſe b, ſit d: Neceſſe igitur erit d non eſſe b. Si igitur ſyllogiſmus non eſt

eſt bonus, concedatur contradictorium conſequentis, quod eſt: Non neceſſe eſt aliquod c non eſſe a: Igitur poſſibile eſt, omne c eſſe a, iuxta regulam 65 allegatam. Sed iam poſitum eſt, d eſſe c. Poſuimus enim, quòd d eſſet illud c, quod neceſſe eſt non eſſe b. Poſſibile eſt ergo d eſſe a. Prima autem propoſitio dicit, quòd neceſſe eſt, omne a eſſe b. Igitur poſſibile erit, quòd d ſit b, cùm poſſit eſſe a. Sed aſſertum fuit, quòd neceſſe eſt, d non eſſe b: Ergo duo contradictoria futura ſimul. Nam ſi neceſſe eſt, d non eſſe b, impoſſibile eſt d eſſe b, per regulam 68 primi libri. Poſſibile ergo erit, d eſſe b, & impoſſibile erit, ipſum d eſſe b: quod implicat contradictionem, iuxta regulam 71. & vltimam primi libri. In bocardo autem ſic: Neceſſe eſt aliquod b non eſſe a. Neceſſe eſt omne b eſſe c: Ergo neceſſe eſt aliquod c non eſſe a. Sit enim d illud b, quod ex neceſſitate non eſt a: Ex neceſſitate ergo d non eſt a. Si igitur ſyllogiſmus non eſt bonus, accipiatur contradictorium conſequentis, quod eſt: Non neceſſe eſt aliquod c non eſſe a: Igitur poſſibile eſt omne c eſſe a, per regulam 65 ſæpe dictam. Sed antè dictum eſt: Neceſſe eſt omne b eſſe c. Si igitur omne b ex neceſſitate eſt c, & omne c poſsibile eſt eſſe a, certè poſsibile erit etiam omne b eſſe a. Poſitum autem iam eſt, d eſſe b, quia ſtatuimus illud eſſe b, quod ex neceſsitate non eſt a. Poſsibile igitur eſt etiam, d eſſe a, quod eſt contra poſitum. Nam aſſeruimus, quòd neceſſe eſt, d non eſſe a. Bonus ergo fuit ſyllogiſmus.

E 4 Si

6. Si autem prima propoſitio ſit de neceſſario, & ſecunda de ineſſe in prima figura ſeruatis cæteris conditionibus, quæ ad eam requiruntur, fiet ſemper ſyllogiſmus perfectus, concludens propoſitioné de neceſſario.

Et hoc probatur per dici de omni, & de nullo: vt priùs fecimus in prima figura de ineſſe.

7. In ſecunda autem figura, ſi vniuerſalis negatiua ſit neceſſaria; altera exiſtente de ineſſe: erit quoque concluſio neceſſaria.

Per conuerſiones enim propoſitionum, quæ eodem modo fiunt in neceſſarijs, & in ijs, quæ ſunt de ineſſe: ad primam figuram tales reſoluentur ſyllogiſmi.

8. In tertia autem figura, ſi in affirmatiuis vniuerſalis affirmatiua, quæcunque fuerit illa, & in negatiuis vniuerſalis negatiua fuerit neceſſaria, altera exiſtente de ineſſe: ſyllogiſmus erit bonus.

Hoc autem manifeſtum fiet ſtudioſo ex conuerſionibus propoſitionum: vt ſæpe dictum.

9. Si autem aliter ordinentur propoſitiones & modi, quàm dictum eſt, in iſtis tribus figuris, non ſequetur concluſio neceſſaria: Sed ſi qua concluſio ſequitur, ipſa erit concluſio de eſſe vel non eſſe.

Innoteſcet hoc diſcurrenti per ſingulos modos. Vnde in baroco & bocardo non fit concluſio neceſſaria: ſed tantùm de non eſſe. Quod enim neceſſe eſt eſſe vel non eſſe: eſt, vel non eſt.

Pro-

10. Propoſitio vniuerſalis affirmatiua de contingenti, conuertitur ſecundum conſequentiam in vniuerſalem negatiuam, & e conuerſo.

Hoc loco contingens propriè pro eo, quod poteſt eſſe indifferenter, & non eſſe, accipimus. Dico autem eas conuerti ſecundum conſequentiam; quia vna alteram infert, & ex altera altera ſequitur ex neceſſitate. Si enim contingit, omne b eſſe a: etiam contingit nullum b eſſe a. Sic enim accipimus contingens, quod nec eſt neceſſarium, nec impoſſibile: ſed poteſt eſſe & non eſſe.

11. Propoſitio quoque particularis affirmatiua de contingenti, in particularem negatiuam conuertitur ſecundum conſequentiam, & econuerſo.

Si enim contingit, aliquod b eſſe a: etiam contingit, aliquod b non eſſe a, & econuerſo: propter eandem rationem, quæ dicta eſt.

12. Vniuerſalis negatiua de contingenti non conuertitur in ſeipſam, ſicut nec vniuerſalis affirmatiua.

Nam non ſequitur, ſi contingit, nullum b eſſe a, quòd contingat etiam nullum a eſſe b. Quòd ſi ſequitur: etiam continget omne a eſſe b, per præcedentem concluſionem 10. Cùm autem poſitum ſit, quòd contingat nullum b eſſe a: etiam continget, omne b eſſe a, per eandem regulam. Igitur oportebit concedere, quòd ſi conuertitur vniuerſalis negatiua etiam conuertatur in ſeipſam

vniuerſalis affirmatiua: quod falſum eſt. Non enim, ſi contingit, omnem hominem eſſe album: etiam contingit, omne album eſſe hominem.

13 Propoſitio particularis affirmatiua in ſeipſam conuertitur cõuerſione propriè accepta.

Si enim contingit, aliquod b eſſe a: etiam cõtingit, aliquod a eſſe b. Si autem hoc non contingit: ſit c illud b, quod contingit eſſe a. Si igitur c contingit eſſe a: infero, quòd etiam aliquod a contingit eſſe c. Quòd ſi non contingit: eueniet, vel quia neceſſarium eſt, nullum a eſſe c: vel quia neceſſarium erit, omne a eſſe c. Sed nullum horum conſiſtere poteſt cum aſſerto. Nam ſi datur primum: etiam neceſſarium erit, c non eſſe a, iuxta 1. concluſionem, ſuperiùs datam: Sed hoc eſt contra poſitum. Similiter ſi detur ſecundum, etiam neceſſarium eſt, c eſſe a, per concluſionem 3. Quod item contra poſitum eſt: vbi ſtatutum, quòd c contingat eſſe a.

14. Propoſitio vniuerſalis affirmatiua in particularem conuertitur.

Nam ſi contingit, omne b eſſe a: etiam contingit, aliquod a eſſe b. Sin verò hoc non contingit: Sequetur, quòd vel neceſſe ſit, omne a eſſe b, vel nullum a eſſe b. Sed ſi primum datur, etiam neceſſe erit, aliquod b eſſe a, per concluſionem 3. Quod aduerſatur poſito. Nec ſecundum dari poteſt: Quia etiam neceſſe eſſet, nullum b eſſe a, per 1. concluſionem: Quod item poſito contrarium.

15. Particularis verò negatiua in ſeipſam conuertitur.

Nam ſi contingit, aliquod b non eſſe a: etiam contingit, aliquod a non eſſe b. Si enim contingit, aliquod b non eſſe a: etiam contingit, aliquod b eſſe a, per concluſionem 11. Ergo contingit etiam aliquod a eſſe b, per concluſionem 13. Ergo etiam contingit, aliquod a non eſſe b, per eandem concluſionem 11. Igitur concluſio prior bona.

16. Propoſitio vniuerſalis negatiua in particularem conuertitur.

Si enim contingit, nullum b eſſe a: etiam contingit, aliquod b non eſſe a: Quia ſi vniuerſalis eſt vera, etiam particularis eſt vera, per regulam primi libri 59. Ergo etiam contingit, aliquod a non eſſe b, per concluſionem immediatè præcedentem. Itaq; ſi contingit, nullum b eſſe a: etiam contingit, aliquod a non eſſe b.

17. In prima figura, ſi ambæ propoſitiones ſint de contingenti, vel maior ſit de contingenti, & minor de ineſſe vel de neceſſario, ſeruatis cæteris circumſtantijs: erit ſyllogiſmus perfectus, colligens propoſitionem de contingenti.

Hoc patet per dici de omni, & dici de nullo.

18. Si autem ambæ ſint negatiuæ vniuerſales de contingenti, vel ſi minor ſit negatiua de contingenti, erit ſyllogiſmus.

Intellige, fore ſyllogiſmum non ex vi propoſitionum, ſed ex conuerſione earum ſecundum conſequentiam, vt dictum eſt in 10. & 11. concluſione. Veruntamen ſi maior eſſet particularis, nunquam fieret ſyllogiſmus.

Si

19. Si autem minor ſit de contingenti, maiori exiſtente de neceſſario, vel de ineſſe: in primo & in tertio modo primæ figuræ fiet ſyllogiſmus imperfectus, colligens propoſitionem de contingenti, ſecundum quod contingens accipitur pro poſsibili.

Qualiter contingens quandoq; pro poſſibili accipiatur, dictum fuit libro primo, regula 64. Si enim neceſſe eſt, omne b eſſe a, vel ſi omne b eſt a, & contingit, omne vel aliquod c eſſe b: contingit etiam, id eſt, poſſibile eſt, omne vel aliquod c eſſe a.

Nam ſi contingit, omne c eſſe a: neceſſe eſt, aliquod c non eſſe a, per regulas 65. & 66. in primo poſitas. At quoque ſi contingit, omne c eſſe b, ponatur ita eſſe: Omne igitur c eſt b. Cùm igitur neceſſe ſit, aliquod c non eſſe a: verum eſt dicere, aliquod c non eſt a; Sed omne c eſt b, per poſitum: Ergo aliquod b non eſt a. Syllogiſmus eſt in quinto tertiæ figuræ, id eſt, in bocardo. Sed iam fuit poſitum, quòd omne b eſt a, vel neceſſe omne b eſſe a: Ergo contradictoria ſunt ſimul. Similiter in particulari ſi non contingit aliquod c eſſe a, neceſſe eſt nullum c eſſe a, per regulam 65. prædictam: Nullum igitur c eſt a. Poſitum eſt autem, aliquod c eſſe b. Igitur aliquod b non eſt a, per ſyllogiſmum ſecundum tertiæ figuræ, ſcil. per felapton. Hæc verò concluſio aſſertioni contraria.

20. In ſecundo autem & quarto modo primæ figuræ, ſi minor eſt de contingenti, &

& maior de ineſſe vel de neceſſario, concluditur propoſitio de contingenti, pro vt contingens accipitur pro non neceſſario.

Quandoq; enim illud, quod non eſt neceſſarium, contingere dicimus, vt quia non eſt neceſſarium hominem currere, contingere dicimus hominem currere. Concluſio autem ſecundi modi ſi rectè intelligatur, erit de dicto particulari, vel indefinito affirmato, & neceſſariò negato, vtpote, non neceſſe eſt omne c eſſe a. In ſecunda igitur fiat ſyllogiſmus ſic: Nullũ b eſt a. Contingit omne c eſſe b: Ergo contingit nullum c eſſe a, id eſt, non eſt neceſſe, aliquod c eſſe a. Sic enim nunc accipitur contingens. Quod ſi negatur ſyllogiſmus: igitur ſtantibus præmiſſis neceſſe erit, aliquod c eſſe a. Ponatur ergo minor propoſitio ineſſe, vt ſcil. omne c ſit b. Maior autem dicebat, nullum b eſſe a. Quæ ſi coniungatur cum iſta: Aliquod c eſt a, quæ ab aduerſario poſita eſt, eo quod poſitum eſt ab eo, quòd neceſſe eſt aliquod c eſſe a: Sequitur in tertio ſecundæ figuræ, id eſt, in feſtino, quòd aliquod c non eſt b. Quod aduerſatur illi, quod poſitum, id eſt, omne c eſt b. Et eadem probatio eſt, ſi maior ſit de neceſſario. In quarto autem hoc modo fit ſyllogiſmus: Nullum b eſt a. Contingit aliquod c eſſe b; Ergo contingit aliquod c non eſſe a, id eſt, non eſt neceſſe, omne c eſſe a. Si enim eſt neceſſe, omne c eſſe a, ponatur minor ineſſe, id eſt, quòd aliquod ſit b. Cùm igitur prima propoſitio ſit hæc: Nullum b eſt a, & hæc etiam poſita ſit à cõ-

tradicente, omne c eſt a: Aſſertum enim ab eo, quòd neceſſe ſit omne c eſſe a, ſequitur in primo ſecundæ figuræ, id eſt, in ceſare, quòd nullũ c ſit b. Id quod illi, aliquod c eſſe b aſſerenti, theſi aduerſatur. Pariter, ſitné ipſa maior de neceſſario, probatur.

21. In prima quoque figura, ſi minor ſit de contingenti negatiua, maiori exiſtente vniuerſali de ineſſe, vel neceſſario, ſit ſyllogiſmus

Non quidem ex propoſitionibus aſſumtis, ſed per conuerſionem minoris, quæ conuerſio quidem eſt ſecundum conſequentiam, ſicut dictum eſt in 10 & 11. concluſione: Et ſic poterit reduci ad ordinem aliorum ſyllogiſmorum. Si tamen minor non ſit de contingenti, nunquam fieret ſyllogiſmus: Similiter ſi maior, vel etiam ambæ particulares eſſent. Id quod per omnes terminos facta oſtendit diductio.

22. In ſecunda autem figura, ex ambabus de cõtingenti, nullus omninò ſit ſyllogiſmus.

Si enim aliquis fieri poſſet, eſſet reſolubilis ad primam figuram. Omne enim imperfectum reducitur ad perfectum, à quo ſuſtentatur: Sed hoc fieri nequit, quia vniuerſalis negatiua non conuertitur in ſeipſam in propoſitionibus de contingenti, per quam conuerſionem maximè figura ſecunda ad primam reſoluitur. Nec poſſunt per impoßibile probari, quia manifeſtiſſimè dantur inſtantiæ, quibus monſtratur, omninò nullum ſyllogiſmũ huiuſcemodi in hac figura fieri, quarum vna eſt, non ſequi: Contingit nullum animal eſſe album.

Et

Et contingit; omnem hominem eſſe album: Ergo contingit, nullum hominem eſſe animal. Præmiſſæ enim ſunt veræ, & conſequens falſum. Idem & in alijs.

23. Si autem affirmatiua ſit de contingenti, altera exiſtente de ineſſe, vel de neceſſario vniuerſali negatiua, fiet ſyllogiſmus.

Per conuerſionem enim negatiuæ in ſeipſam reſoluetur ad ſyllogiſmos primæ figuræ, qui iam probati ſunt. Si tamen negatiua eſſet de contingenti, nihil fieret propter cauſſam in præcedenti concluſione dictam.

24. Si autem ambæ ſint negatiuæ, fiet ſyllogiſmus.

Non ex vi propoſitionum, ſed ex conuerſione illius de contingenti in affirmatiuam, vt ſæpe dictum eſt. Si autem negatiua particularis ſit de ineſſe vel neceſſario, vel ambæ ſint particulares, vel affirmatiuæ, nihil fit: quia nequit fieri reſolutio in primam figuram.

25. In tertia autem figura, ſi ambæ propoſitiones fuerint de contingenti, fiet ſyllogiſmus per omnes modos eius.

Quia omnes poterunt in primam figuram reſolui, vel per conuerſiones propoſitionum, vel per conuerſiones ſecundum conſequentiam, vt ſæpe diximus.

26. Si autem ambæ fuerint negatiuæ de contingenti, fit ſyllogiſmus.

Non quidem ex virtute propoſitionum, ſed ex conuerſione, vt toties dictum eſt. Si

27. Si verò vna ſit de ineſſe vel neceſſario, altera exiſtente de contingenti, quæcunque fuerit illa, erit ſyllogiſmus; & ſimiliter ſi ambæ ſint negatiuæ.

Hoc autem manifeſtum erit per conuerſionem propoſitionum, ex quibus ad primam figuram reducentur, vel etiam per impoſſibile. Per primam enim figuram omnes iudicandi ſunt. Hos autem ſyllogiſmos breuiter, quia exigui vſus ſunt, conſultò tranſeo. Notandum tamen id etiam eſt, æquè vt in prima, ita & in ſecunda & tertia figura, concluſionẽ de contingenti diuerſimodam. Et aliquando propriè, aliquando pro poſſibili, aliquando verò pro non neceſſario capi. Id autem ex reſolutione ad primam cognoſcitur, in qua, de quo contingenti concluſio ſequatur, in quolibet ordine propoſitionum declaratum. Et tantùm de ſyllogiſmis propoſitionum modalium.

DE POTESTATE FACIENDI SYLLOGISMOS.

LIBER SEXTVS.

Summa & diſpoſitio libri VI.

Eclarata tàm in ſyllogiſmis de ineſſe, quàm in modalibus, forma ſyllogiſtica, illi vt, cùm opus fuerit, formari

mari poſsint, notitiam poteſtatis faciendi habere oportet, quæ nihil aliud eſt, quàm inueniendi medii in qualibet materia ſcientia, & poteſtatis illatiuæ, tàm terminorũ quàm propoſitionum, notitia. De hac ergo hoc libro poteſtate agit autor. Primò autẽ docet inuenire medium ad probandũ omne genus propoſitionum, ſcilicet affirmatiuã vniuerſalem, quæ eſt prima, in 1. concluſione: vniuerſalem negatiuam, quæ eſt ſecunda, in 2: particularem affirmatiuam, quæ eſt tertia, in 3: Et particularem negatiuam, quæ eſt vltima, in 4. ſubiungens in 5. communem omnibus regulam. Secundò contra negantes, quæ fit in ſyllogiſmis, ſequelam generalem tradit, probantem conſequentiam, regulam ab oppoſito ſcil. conſequentis, docétque illam dupliciter exerceri, vno modo in 6. alio modo in 7. Et quia in tali probatione aſſumuntur quãdoque falſa, ſic exigente tali modo probandi, id quod communiter fit per ſyllogiſmũ ad impoſsibile, ideo prædictæ regulæ addit, quomodo ex falſis ſequitur quandoque verum, in 8. & quomodo fiat ſyllogiſmus ad impoſsibile, in 9.

Tertiò tradit regulas generales ad cognoſcendam vim illatiuam, in 10. 11. 12. quæ tàm ex parte conſequentis, quàm antecedentis petuntur. Quartò deſcendit ad ſpeciales regulas, tàm in terminis, quàm in propoſi-

poſitionibus: Et primò quidem in propoſitionibus ſimpliciter, à 13 vſque ad 20. docens vim illatiuam inter ſuperius & inferius, in 13. 14: inter propoſitiones vniuerſales, particulares, indefinitas, & ſingulares, in 15. 16. 17. inter correlatiua, in 18. inter conuertibilia, in 19. & inter diſparata, in 20. Secundò verò in propoſitionibus, quæ variant per aliquid additū, ſiue illud additum tollat vnitatem propoſitionis, ſicut cùm arguitur à diuiſis prædicatis ad coniunctum, de quo modo arguendi agit in 21. Et à coniuncto ad diuiſa, de quo in 22. ſiue non tollat vnitatem, ſicut; cùm additur dictio infinitans terminum, de qua in 23. 24. vel reduplicatiua, de qua in 25. ſiue excluſiua, de qua in 26. 27. ſiue exceptiua, de qua in 28. Vltimò, quæ in concluſione aliqua probanda vitanda, vel non curanda ſint, in 29. 30. & 31. edocet concluſionibus.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Si vis probare vniuerſalem affirmatiuam in ſyllogiſmo, quære terminum, qui vniuerſaliter prædicatur de ſubiecto propoſitionis probandæ, & de quo eiuſdem propoſitionis prædicatum vniuerſaliter prædicetur.

Vt ſi vis probare, quòd omnis homo ſit ſubſtantia, accipe animal vel corpus.

Si

2. Si autem vis probare vniuerſalem negatiuam, quære terminum, qui de altero terminorum propoſitionis probandæ vniuerſaliter prædicetur, & ab altero vniuerſaliter remoueatur.

Nam ſi vniuerſaliter prædicetur de ſubiecto, poteris eam probare in ſecundo primæ figuræ, & in primo ſecundæ. Si autem de prædicato, probabitur in ſecundo ſecundæ figuræ.

3. Si verò vis probare propoſitionem particularem affirmatiuam, quære terminum, de quo alter terminorum propoſitionis probandæ vniuerſaliter prædicetur, & qui cum altero ſaltem particulariter conueniat.

Nam ſi de ipſo prædicatum propoſitionis probandæ vniuerſaliter prædicetur, poterit ſyllogizari in tertio modo primæ figuræ, & in primo & quarto tertiæ. Si autem vniuerſaliter de ipſo prædicatur ſubiectum, probabitur in tertio tertiæ. Dico autem, quòd cum altero conueniat particulariter, id eſt, quòd vel ipſe de altero prædicetur particulariter, vel alter de ipſo. Addidi verò, ſaltem: Quia ſi de ipſo non ſolùm particulariter, ſed etiam vniuerſaliter prædicaretur, non minùs cõcluderet ſyllogiſmus, vt patet in primo tertiæ.

4. Sin autem vis probare propoſitionem particularem negatiuam, quære terminum, qui cum altero terminorum propoſitionis conueniat, & ab altero remoueatur.

Si enim nullo modo conuenit cum prædicato, & particulariter de ipſo prædicetur ſubiectum,

poterit concludi in quarto primæ, & in vltimo tertiæ. Si autem vniuerſaliter, concluditur in ſecundo tertiæ. Sin verò de ſubiecto particulariter prædicetur: concludetur in tertio ſecundæ. Si verò de prædicato vniuerſaliter prædicetur, & particulariter remoueatur à ſubiecto: fiet ſyllogiſmus in quarto ſecundæ. Si demum de ipſo ſubiectum vniuerſaliter prædicetur, & ab eodem particulariter prædicatum remoueatur: concludetur in quarto tertiæ.

5\. Non ſunt ſumendi pro medio termini communiſsimi, nec ſingulares.

Quia vel nunquam vel rarò ad aliquid probandum efficaciter procedi poterit. De ipſis enim nihil vniuerſaliter affirmatiuè prædicatur, nec etiam negatiuè, nec ipſi quoque de aliquo negatiuè prædicantur. Termini autem ſingulares de nullo prædicantur, & de ipſis nihil enunciatur vniuerſaliter. Non enim dicimus: Omnis Socrates, vel: Nullus Socrates. Oportet autem in omni ſyllogiſmo, medium terminum cum aliquo copulari vniuerſaliter, vel affirmatiuè, vel negatiuè.

6\. Ex contradictorio conſequentis bonæ conſequentiæ infertur ex neceſsitate contradictorium antecedentis.

Sit ergo hæc argumentatio bona. B eſt a: Ergo b eſt c. Dico. quòd ex neceſſitate infertur, ſi b non eſt c, quòd b non eſt a. Quòd ſi non ſequitur: detur, quòd b non ſit c, & tamen quòd b ſit a. Sed iam poſuimus, quòd ſi b eſt a; b quoque

ſit

ſit c: Igitur b erit c, & non erit c. Quod contra-*dictionem implicat.*

7. Ex contradictorio conſequentis cum altera præmiſſarum, infertur contradictorium alterius præmiſſæ.

Hæc regula patet ex præcedenti. Eſt enim eiuſdem cum illa ſententiæ.

8. Ex falſis verum & falſum poteſt inferri: Sed ex veris non niſi verum.

Si enim homo eſt aſinus, ſequitur, quòd homo eſt animal, quod eſt verum: Et etiam ſequitur, quòd homo eſt rudibilis, quod eſt falſum. Sed ſi antecedens eſt verum: neceſſe eſt, conſequens eſſe verum, aliter conſequentia non erit bona. Sit enim iſta conſequentia: a eſt: Ergo b eſt. Si exiſtente antecedente vero, conſequens ſit falſum: contradictorium eius erit verum, quod eſt: b non eſt. Sed ſi b non eſt a, non eſt per regulas immediatè præcedentes. Igitur a eſt, & a non eſt: Quod implicat contradictionem.

9. Syllogiſmus ducens ad impoſsibile vtilis eſt ad probandum omnes propoſitiones.

Syllogiſmus enim iſte plurimùm apud diſputantes in vſu eſt; Et fit hoc modo: Sumitur enim propoſitio falſa, quam volumus reprobare, quæ hypotheſis dicitur, quia conceditur, & datur ab aduerſario, vnde ab eo eam ſupponimus, & coniungitur ei altera propoſitio manifeſtè vera, & ex ijs duabus in aliquo ſyllogiſmo concluditur aliqua

alia propoſitio manifeſtè falſa, vel impoßibilis, ex cuius poſtea contradictorio vero cum propoſitione manifeſtè vera priùs aſſumta, conclude contradictorium hypotheſis iuxta regulas 6 & 7. & ſic reprobamus, & damnamus hypotheſin aduerſarij, ducentes ipſum ad impoßibile. Quia ſi vult hypotheſin eſſe veram, cogitur etiam concedere contradictoriorum hypotheſin eſſe veram: Quod eſt omninò impoßibile. Vt ſi quis dicat: Animam intellectiuam eſſe mortalem vel corruptibilem: ibi hanc accipio propoſitionem: Nullum mortale eſt capax beatitudinis, quæ coniuncta illi hypotheſi concludit, quòd anima intellectiua non eſt capax beatitudinis, in quarto primæ figuræ. Sed quia conſequens eſt manifeſtè falſum, ideò poſtea aſſumo eius contradictorium, quod eſt: Omnis anima intellectiua eſt capax beatitudinis. Quòd ſi cum ea, quam priùs aſſumſi, coniungatur: concludit contradictoriorū hypotheſis in primo ſecundæ figuræ. Et hoc modo hypotheſin deſtruxi, deducendo reſpondentem ad concedendum duo contradictoria: Nam vnum ſponte conceßit, alterum verò vi argumenti. Et hoc modo argumentandi ſuperiùs in probationibus ferè omnium concluſionum vſi ſumus.

10. Si aliquid antecedit ad antecedens, illud idem antecedit ad conſequens: Et ſi aliquid ſequitur ad conſequens, etiam ſequitur ad antecedens.

Conſequens enim includitur in intellectu antecedente-

cedentis. Et ideò quicquid includitur in intellectu conſequentis, quod includitur in antecedente, neceſſe eſt etiam ipſum includi in intellectu antecedentis. Et ſimiliter omne antecedens includit conſequens. Quicquid ergo includit antecedens, etiam includit conſequens.

11. Si aliquid conſiſtit cum antecedente, illud idem conſiſtit cum conſequente, & ſi quid repugnat conſequenti, illud idem repugnat antecedenti.

Si enim non conſiſtit cum conſequente, erit contradictorium conſequentis. Ergo nec conſiſtet cum antecedente, quia ex contradictorio conſequentis, infertur contradictorium antecedentis, vt dictum ſuprà. Ideò etiam neceſſe eſt, quòd ſi repugnat aliquid conſequenti, quod repugnat antecedenti, quia infert ipſius contradictorium per regulam eandem.

12. Si antecedens eſt poſsibile vel neceſſarium: neceſſe eſt conſequens eſſe ſimile.

Poſsibile enim poteſt eſſe verum: Neceſſarium autem ſemper eſt verum. Si ergo antecedens eſſet poſsibile, & conſequens non, ex veris ſequeretur falſum, contra regulam 8. Et ſi antecedens eſſet neceſſarium & conſequens poſsibile, cùm poſſibile poſsit eſſe falſum: Etiam ex vero poſſet ſequi falſum, contra eandem regulam.

13. Ab inferiori ad ſuum ſuperius affirmatiuè abſq; ſigno vniuerſali, ſuppoſitione materiali vel confuſa non impediente, eſt bona argumentatio.

Nam ſuperius includitur in intellectu inferioris, vt ſi homo eſt, animal eſt. Sed cum ſigno non ſequitur, vt: Omnis homo eſt riſibilis: Ergo omne animal eſt riſibile. Aut: homo eſt ſpecies: Ergo ſubſtantia eſt ſpecies. Iſte enim terminus ſpecies impedit conſequentiam, quia facit, vt ſubiectum ſupponatur materialiter.

14. A ſuperiori autem ad inferius diſtributiuè & vniuerſaliter eſt bona conſequentia.

Nam vniuerſale includit particulare. Quando tamen arguitur affirmatiuè, requiritur quædam ſuppoſitio. Non enim valet: Omne animal currit: Ergo omnis homo currit: Niſi ſupponatur, quòd omnis homo ſit animal. Nam nullo homine exiſtente non valeret argumentum. A ſuperiori autem ad inferius ſine diſtributione tenet negatiuè, vt animal non currit: Ergo homo non currit, vel: Lapis non eſt animal: Ergo non eſt homo. Cùm enim inferius contineat ſuperius: negato ſuperiori, negatur inferius.

15. Ab vniuerſali ad particularem eſt bona conſequentia, ſed non econuerſo. Non tamen valet ad ſingularem, niſi fiat ſuppoſitio, quod in vniuerſali includitur.

Prima pars patet ex regula præcedenti, & ex 59. primi libri. Secunda etiam patet ex præcedenti. Non enim ſequitur: Si omnis homo currit, quòd Socrates currat, niſi ſupponatur, quòd ſit homo. Vnde dicitur, quòd non valeat, niſi cum debito medio.

16. A particulari ad indefinitam ſuam,& econuerſo,eſt bona conſequentia.

Nam particularis & indefinita parùm differunt, vel nihil, quantum ſpectat ad conſequentiam.

17. A particulari vel indefinita ad ſingulares diſiunctiuè cum debito medio, eſt bona conſequentia.

Vt aliquis homo currit, & iſti ſunt omnes homines: Ergo vel hic homo currit, vel iſte currit,& ſic de alijs. Si enim nec hic, nec iſte currit, omnibus enumeratis, certè nullus curreret: Quod *eſt contradictorium antecedentis.*

18. Ab vno correlatiuorum ad reliquum in propoſitionibus de ſecundo adiacente eſt bona conſequeutia.

Vt ſi pater eſt, filius eſt,& econuerſo. Voco autem propoſitiones de ſecundo adiacente illas, in quibus non eſt aliud prædicatum præter verbum, & maximè hoc verbum, Eſt. De tertio autem illas, in quibus eſt aliud prædicatum præter verbum. Vt homo eſt animal. Nam in propoſitionibus de tertio adiacente non fit bona conſequentia ſemper. Non enim, ſi pater eſt ſenex, filius eſt ſenex. Ratio autem regulæ eſt: Quia relatiua ſimul ſunt.

19. Ab vno conuertibili ad reliquum in propoſitionibus de ſecundo adiacente eſt bona conſequentia.

Vt homo eſt: Ergo riſibile eſt. Et ratio

eſt, quia conuertuntur ad inuicem: Ponunt ergo ſe inuicem.

20. Ab vno diſparato affirmato ad aliud negatum eſt bona conſequentia, ſed non e conuerſo.

Diſparata voco, quæ tantùm à ſe diuerſa ſunt, nulla contrarietate pugnantia. Vt homo eſt animal: Ergo homo non eſt lapis. Ratio conſequentiæ eſt: Quia diſparata ſimul eſſe non poſſunt. Non tamen econuerſo: Quia ex negatiua minimè affirmatiua ſequitur.

21. A prædicatis diuiſis ad coniunctum, ſi non ſint accidentalia, & vnum alterum non includat, eſt bona conſequentia.

Quæ enim in vno ſubſtantialiter coniunguntur, etiam inter ſe poſſunt coniungi. Si enim homo eſt animal, & eſt rationalis: Eſt ergo animal rationale. Sed non poteſt hoc ſemper in accidentibus fieri. Vt ſi homo ſit bonus, & ſit citharœdus: non ob id oportet ſequi, quòd ſit bonus citharœdus. Et ſimiliter ſi vnum includat reliquum. Vnde non ſequitur: Homo eſt animal, & eſt ſubſtantia: Ergo eſt animal ſubſtantia: Quia fieret negatio. Sufficit enim dicere: Ergo eſt animal. Qui enim animal dicit: dicit & ſubſtantiam.

22. A prædicato coniuncto ad diuiſa, quando non eſt oppoſitio in adiecto, eſt bona conſequentia.

Oppoſitionem in adiecto voco, quando terminus, qui alteri additur, repugnat illi, cui additur,

tur. Ratio autem regulæ eſt: Quia cùm ambo in vnum coniungantur, & vnum non deſtruat reliquum: nihil obſtat, quin ſeparatim de illo, in quo conueniunt, poſſint prædicari, vt, ſi homo eſt animal rationale, eſt & animal, & eſt rationalis. Vbi autem eſt oppoſitio prædicta, nihil ſequitur. Non enim ſi Adam eſt homo mortuus, ſequitur, quòd Adam ſit homo.

23. Ex affirmatiua de prædicato finito, ſequitur negatiua de prædicato infinito ſeu priuatiuo, ſed non econuerſo.

Vt ſi homo eſt iuſtus, ſequitur, quòd homo non ſit non iuſtus vel iniuſtus. Non enim poteſt eſſe, quòd ſit iuſtus, & quòd etiam ſit non iuſtus vel iniuſtus. Ideò ex contradictorio conſequentis infertur contradictorium antecedentis, ſed non econuerſo: Quia ex negatiua non ſequitur affirmatiua. Licet quidam etiam econuerſo conſequentiam non irrationabiliter concedant: Quia dicunt, affirmatiuam de prædicato infinito non eſſe purè affirmatiuam: & negatiuam ſimiliter non eſſe purè negatiuam. Sed de his aliàs.

24. Ex affirmatiuis quoque de prædicato infinito ſeu priuatiuo ſequitur negatiua de prædicato finito, ſed non econuerſo.

Ratio autem eſt eadem cum præcedenti.

25. Si hæ reduplicationes, in quantum, vel dum eſt, vel vt ſic, applicentur ad maiorem extremitatem ſupra medium: fiet bonus ſyllogiſmus, aliter non fiet.

Vt

Vt omnis homo eſt animal,in quantum homo. Sed Socrates eſt homo: Ergo Socrates eſt animal, in quantum homo. Nam ſyllogiſmus perfectus eſt. Si autem applicetur maiori extremitati, vel ſuperflua erit, vel nullum dabit intellectum. Vt ſi dixero: Omnis homo eſt animal, in quantum animal, poteſt vno modo intelligi,quòd omnis homo ,in quantum animal, eſt animal, & ſic ſuperfluè dicitur,in quantum animal. Poteſt etiam intelligi à parte prædicati tantùm,& tunc nullum habet intellectum, ſaltem conſuetum. Si autem minori extremitati coniungatur, etiam non fit ſyllogiſmus.

Non enim ſequitur, ſi omne animal eſt album, & omnis homo , in quantum homo,eſt animal,quòd omnis homo,in quantum homo,ſit albus. Similiter non fit, ſi medio addatur ſupra medium. Vnde non ſequitur. Omne animal , in quantum currit, mouetur. Omnis homo eſt animal: Ergo omnis homo mouetur,niſi fortè propter naturarum ordinem , vtputa in prædicatis eſſentialiter ordinatis, quando reduplicatio additur medio, & minori extremitati,vt: Animal, in quantum animal, eſt ſubſtantia. Sed homo, in quantum homo,eſt animal: Ergo homo, in quantum homo, eſt ſubſtantia. In aliјs verò id non valet terminis.

26. Ab excluſiua ad eius vniuerſalem de terminis tranſpoſitis eſt bonum argumentum, & econuerſo.

Excluſiuam voco propoſitionem, quæ habet ter-

terminum, cuius officium eſt excludere omne aliud ab eo, cui applicatur. Vt eſt hic terminus, tantùm, vel ſolùm, & ſimiles. Vnde hæc dicitur excluſiua: Tantùm homo eſt riſibilis. Et ſi tantùm homo eſt riſibilis: etiam omne riſibile eſt homo, & econuerſo. Hæ enim propoſitiones idem ſignificant, ſed non eodem modo.

27. Ab inferiori ad ſuum ſuperius à parte ſubiecti, dictione excluſiua addita ſubiecto, eſt bona conſequentia.

Si enim tantùm homo currit, ſequitur, quòd tantùm animal currit. Nam ſi tantùm homo currit: Ergo omne currens eſt homo, per regulam præcedentem. Omne ergo currens eſt animal: Quia de quocunque prædicatur inferius, & ſuperius quoque prædicatur. Si autem omne currens eſt animal, ſequitur, quòd tantùm animal currat, per regulam præcedentem. Conſequentia ergo fuit bona.

28. Ab exceptiua negatiua ad excluſiuam affirmatiuam ſibi correſpondentem eſt bonũ argumentum, & econuerſo.

Exceptiuam voco propoſitionem, in qua aliquid affirmatur de aliquo, vel de eo negatur, alterum ab illa affirmatiuè vel negatiuè excipiendo: vt, Omnis homo præter Socratem eſt ſanus, vel: Nihil præter Socratem currit. Ex his enim duabus, & quòd ſolus Socrates inter homines non ſit ſanus, & quòd ſolus Socrates currat, ſequitur. Nam propoſitiones iſtæ conuertuntur ad inuicem propter vnitatem ſignificatorum. Non

29. Non conandum vel curandum aliquid per diuiſionem probare.

Quia ſyllogiſmus per diuiſionem eſt infirmus. Quod enim debet probare, in principio tanquam probatum accipit. Sic, ſi probaturus: Omnem hominem eſſe mortalem, aſſumat, quòd omnis homo vel ſit mortalis vel immortalis, & ex hoc poſtea concludat propoſitum: Certum eſt, non ſequi ex diſiunctiua alteram partem propriè, niſi altera interimatur, vt in ſequenti libro patebit. Si autem interimendo alteram partem aſſumat, quòd nullus homo ſit immortalis: Patet eum aſſumere, quod probato opus eſt. Cùm enim probare debeat: Omnem hominem eſſe mortalem, nulli dubium eſt, quin probare quoque debeat: Nullum eſſe immortalem. Si quis tamen concederet diſiunctiuam, & deſtructionem alterius partis, facilè hinc alteram probaret partem.

30. Cauendum eſt maximè, ne nota probare conemur per ignota: & æquè nota per æquè nota, aut idem per idem.

Hoc enim eſt valde vitioſum: Quia probatio fieri debet per notiora, aliter probatio dicenda non eſt, ſed magis confuſio. Intellige autem per notiora nobis. Nam notiora ſecundum naturam probamus per ea, quæ ſunt minùs nota ſecundum naturam, ſed tamen magis nota ſecundum nos. Intellectus enim procedit cognoſcendo à ſibi notioribus, ad ea, quæ ſunt minùs nota.

31 Vitanda quoque eſt prolixitas orationum,& multiplicatio nominum.

Quia hæc generant magnam confuſionem. Probatio enim inſtituitur, vt illud, quod probatur, manifeſtetur intellectui, non verò vt confundatur intellectus. Hoc enim importunitatis ſophiſticæ proprium. Syllogiſmus enim ex tribus terminis & duabus propoſitionibus, quàm breuiùs poteſt, componi debet. Vnde etiam frequenter ex vna propoſitione concluditur altera, & tertia in mente retinetur. Et *hac de cauſſa, quando termini ſunt diſtantes, & multæ conſequentiæ, antequam ad vltimum conſequens veniatur, conſueuêre diſputantes à primo ad vltimum, relictis medijs, procedere, vt citiùs negotium expediatur, minusq́; intellectus multitudine rerum inuoluatur & obruatur.* Quanquam *& hoc, ne omnium mediorum capax ſit, reſpondentem perturbandi gratia, inſtituunt.* Et hæc de poteſtate faciendi ſyllogiſmos hoc loco dicta ſint: De qua plura in Topicis.

DE SYLLOGISMIS HYPOTHETICIS

LIBER SEPTIMVS.

Summa & diſpoſitio libri VII.

Sicut

SIcut fiunt ſyllogiſmi ex propoſitionibus de ineſſe, & ex propoſitionibus modalibus: ita etiam ex hypotheticis. Idcircò autor poſt prædictos, interpoſito libro de poteſtate faciendi ſyllogiſmos, de hypotheticis agit. Primò quidem declarando in communi, quid ſit. Secundò in ſpeciali, quomodo fiat. Quo ad primum: quia fit ex propoſitionibus hypotheticis, præmittit, quid ſit propoſitio hypothetica, in 1. concluſione. Quotuplex ſecundum ſpeciem, in 2. Quomodo varietur per affirmationem & negationem, in 3. Qua ratione debeat deſtrui, in 4. ſubiungens in 5. quid ſit ſyllogiſmus hypotheticus. Quo ad ſecundum: Quia propoſitiones hypotheticæ, ex quibus fit hic ſyllogiſmus, ſunt in duplici differentia, ſcilicet conditionales & diſiunctiuæ: oſtendit priùs, quomodo fiat in conditionalibus, & poſtea in diſiunctiuis. Et quia conditionales diſtinguuntur per ſimplices & compoſitas, incipit à ſimplicibus, & præmiſſo, quot ſint, in 6. oſtendit, quomodo in illis fiat ſyllogiſmus, tàm ex parte antecedentis, in 7. quàm ex parte conſequentis, in 8. Et quomodo non fiat ex parte conſequentis, in 9: Et ex parte antecedentis, in 10. Procedens poſtea ad compoſitos, & oſtendit, quot ſunt, in 11. demum, quomodo in illis fiat ſyllogiſmus, & quomodo non fiat, ſecundum

ſecundum tres figuras declarat. Primam in 12. 13. 14: Secundam in 15. 16. 17. Tertiam verò in 18. 19. manifeſtans. Quoad propoſitiones autem diſiunctiuas, præmiſſo quot ſint, in 20. Quomodo fiat in illis ſyllogiſmus, tam in puris affirmatiuis, aut puris negatiuis, in 20. 21. quàm in mixtis ex affirmatione & negatione, in 23. 24. oſtendit. Et ne tàm propoſitiones copulatiuas, quàm ſyllogiſmũ ex illis omittens mancus videatur, in 25. quòd tales propoſitiones non ſint hypotheticæ, quódque ex illis nullus fiat ſyllogiſmus hypotheticus, deducit.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Propoſitio hypothetica eſt, quæ nec eſſe, nec non eſſe: ſed cum quadam conditione vel diſiunctione denunciat.

Vt, ſi dies eſt, lux eſt. Non enim, cùm ſic dicitur, enunciatur, quòd dies eſt, aut quòd lux eſt: Sed cum conditione, quòd lux eſt, ſi dies eſt. Et ſimiliter cùm dicitur: Aut animal eſt ægrum, aut ſanum: Non denuncio, ipſum eſſe ſanum, nec ipſum eſſe ægrum: Sed aut eſſe ſanum vel ægrum. Ex quo patet, qualiter differt hypothetica à categorica, quæ in prædicatione & enunciatione conſiſtit.

2. Propoſitiones hypotheticæ multæ ſunt ſecundum ſpeciem.

Quædam enim ſunt diſiunctiuæ, vt: Aut a eſt, aut b eſt. Quædam verò conditionales. Et harum quædam ſunt ſimplices, vt: Si a eſt, b eſt: Quædam compoſitæ. Et harum quædam componuntur ex duabus conditionalibus, vt: Si a eſt, b eſt: Si b eſt, c eſt. Quædam ex vna conditionali, mediante hac coniunctione, cùm. Et harum quædam eſt ex duabus hypotheticis, vel habentibus vim hypotheticarum, vt: Si cum eſt a, eſt b, eſt c, eſt d. Quædam verò ex vna hypothetica, & altera categorica. Vt: Si cùm eſt a, eſt b, eſt c. Vel: Si eſt a, cùm eſt b, eſt c. Verùm quia hæ vltimæ, quæ fiunt cum hac conditione, Cùm, non ſunt in vſu, & breuitati ſtudens, ijs relictis, ad reliquos tranſeo, lectorem ad Boëtium relegans.

3. Affirmatio & negatio in conditionalibus iudicatur ſecundum conſequens.

Nam ſi conſequens eſt negatiuum, dicitur negatiua. Si verò conſequens eſt affirmatiuum, dicitur affirmatiua, iuxta Boetium. Ratio autem eſt: Quia tota vis earum eſt in illatione conſequentis.

4. Contradictio, qua iſtæ conditionales deſtruuntur, non eſt per negationem alicuius categoricæ, ex qua componantur: Sed per negationem conſequentiæ.

Vis enim iſtarum propoſitionum ſeu veritas non eſt in enunciatione, vt dictum eſt, ſed in habitudine & conſequentia. Vnde deſtruuntur per negationem illius conſequentiæ. Vt ſi volo

de

deſtruere hanc conditionalem: Si eſt a, eſt b: Non dicam: Non eſt a, vel non eſt b. Sed poteſt eſſe a, dato, quòd non ſit b.

5. Syllogiſmus hypotheticus ergo eſt, qui ex propoſitionibus hypotheticis eſt conſtitutus, vel ex vna ſaltem hypothetica.

Nam aliquando fit ex vna tantùm hypothetica, vt cùm dicitur: Si eſt a, eſt b. Sed eſt a: Ergo eſt b. Primò ergo tractemus de ſyllogiſmis hypotheticis, qui fiunt ex propoſitionibus ſimplicibus conditionalibus.

6. Conditionales ſimplices quatuor ſunt, & non plures.

Nam cùm componantur ex duabus categoricis, aut illæ duæ categoricæ ſunt affirmatiuæ, aut negatiuæ: aut prima eſt affirmatiua, & ſecunda negatiua: aut prima negatiua, & ſecunda affirmatiua. Nec poſſunt aliter variari. Vt: Si a eſt, b eſt. Si a non eſt, b non eſt. Si a eſt, b non eſt. Si a non eſt, b eſt. Et prima vocatur antecedens, ſecunda conſequens.

7. Si ex poſitione antecedentis inferatur conſequens, perfectus erit ſyllogiſmus.

Vt ſi dicatur: Si a eſt, b eſt. Sed a eſt. Ergo b eſt. Cùm enim dicat prima propoſitio, quòd ſi a eſt, etiam b eſt, & poſtea ponatur a eſſe: manifeſtum eſt, quòd oporteat ponere, b eſſe. Vnde ſyllogiſmus per ſe patet, & probatione

tione non indiget. Quæ probatio in alijs quoque propoſitionibus eadem eſt.

8. Si ex deſtructione conſequentis inferatur deſtructio antecedentis: Erit ſyllogiſmus, ſed imperfectus.

Vt: Si eſt b, eſt a. Sed non eſt a: Ergo non eſt b. Imperfectus quidem eſt hic ſyllogiſmus, quia eget demonſtratione, & ſic probatur: Si enim poſito antecedente toto, nō ſequitur illud conſequens: detur eius contradictorium, quod eſt: Eſt b. Sed iam poſitum eſt, quòd ſi eſt b, eſt a: Ergo oportet ponere etiam, quòd ſit a. Hoc autem eſt contradictorium poſiti. Nam in antecedente ſyllogiſmi, non eſſe a. fuit poſitum.

9. Ex poſitione autem conſequentis non ſequitur poſitio antecedentis, ex propoſitionum conſequentia.

Non enim ſequitur: Si homo eſt, animal eſt. Sed animal eſt: Ergo homo eſt. Poteſt enim eſſe animal, etiamſi non ſit homo. Dico verò: Ex propoſitionum conſequentia: Quia aliquando ſequitur propter rerum naturam. In propoſitione enim, quæ habet primam categoricam negatiuam, & ſecundam affirmatiuam, ſequitur ex poſitione conſequentis poſitio antecedentis, propter rerum naturam, vel ſicut alij dicunt, conſequentia eſt bona materialiter, non formaliter: Quia talis conditionalis nunquam fit vera, niſi in contrarijs immediatis. Vt: Si animal non eſt ſanum, eſt ægrum. Sed animal eſt ægrum: Ergo non eſt ſanum.

Neceſſe

Neceſſe enim eſt, ſi vnum ponatur, alterum negari: Et ſi vnum negetur, alterum poni.

10. A deſtructione quoque anteceden-tis ad deſtructionem conſequentis non fit ſyllogiſmus, niſi fortè propter rerum ordinem.

Nam non ſequitur: Si homo eſt, animal eſt. Sed homo non eſt: Ergo animal non eſt. Nam poteſt eſſe animal, nullo homine exiſtente. Verùm in contrarijs immediatis, in quibus ſolùs fit propoſitio, quæ habet primam negatiuam & ſecundam affirmatiuam, fit ſyllogiſmus propter rerum ordinem, vt priùs dictum eſt. Si enim animal ſanum non eſt, eſt ægrũ. Si ergo ſanum eſt, nõ eſt ægrum.

11. Conditionales compoſitæ ſunt octo tantùm.

Quæ ſunt iſtæ: Si eſt a, eſt b. Si eſt b, eſt c. Si eſt a, eſt b. Si eſt b, non eſt c. Si eſt a, non eſt b. Si non eſt b, eſt c. Si eſt a, non eſt b. Si non eſt b, non eſt c. Si non eſt a, eſt b. Si eſt b, eſt c. Si non eſt a, eſt b. Si eſt b, non eſt c. Si non eſt a, non eſt b. Si non eſt b, eſt c. Si non eſt a, non eſt b. Si non eſt b, non eſt c. Nec dantur præter hos alij per affirmationem & negationem variandi modi.

12. Prima figura eſt in iſtis, quando præcedentis conditionalis conſequens eſt antecedens ſequentis. Et ſi arguitur à poſitione primi antecedentis ad poſitionem vltimi conſequentis, ſyllogiſmus eſt perfectus.

Si enim ſit ſyllogiſmus, Si eſt a, eſt b. Si eſt b,

eſt c. Sed eſt a: Ergo eſt c. Cùm enim iam dictum ſit eſſe b, ſi erat a: Et eſſe c, ſi erat b: Et iam poſitum ſit, eſſe a: manifeſtum eſt, quòd oporteat ponere, b eſſe & c. Syllogiſmus enim manifeſtiſſimus eſt. Hunc ſophiſtæ in his ponunt terminis. Quando enim, inquiunt, multæ fiunt conſequentiæ à primo antecedente ad vltimum conſequens, ſi non varientur conſequentiæ mediæ: bona eſt conſequentia.

13. A deſtructione quoque vltimi conſequentis ad deſtructionem primi antecedentis procedendo fit ſyllogiſmus.

Nam ſi eſt a, eſt b. Si eſt b, eſt c. Sed non eſt c: Ergo non eſt a. Si enim ſit a non exiſtente c: Certum eſt, quòd erit b: Quia iam poſitum eſt, quòd ſi eſt a, eſt b. Et ſi eſt b, poſitum eſt etiam, quòd eſt c: Igitur erit c, & non erit, quod implicat contradictionem. Quæ & in aliijs propoſitionibus par quoq; ratio eſt.

14. A deſtructione tamen primi antecedentis ad deſtructionem vltimi conſequentis: vel à poſitione vltimi conſequentis ad poſitionem primi antecedentis, non fit ſyllogiſmus.

Nam non ſequitur: Si eſt homo, eſt animal: Si eſt animal, eſt ſubſtantia. Sed non eſt homo: Ergo non eſt ſubſtantia. Poteſt enim ſubſtantia eſſe ſine homine. Pariter quoque non ſequitur: Si eſt ſubſtantia: Ergo eſt homo: propter eandem cauſſam, niſi fortè hoc ſit propter rerum naturam.

Vt

Vt ſi dico : Si homo eſt, rationale eſt. Si rationale eſt, riſibile eſt. Sed homo non eſt : Ergo riſibile non eſt. Vel hoc modo : Si riſibile eſt. Ergo homo eſt. Non enim ſyllogiſmus valet ex vi propoſitionum, ſed ex natura rerum.

15. Secunda figura eſt, quando antecedens primæ conditionalis eſt oppoſitum antecedenti ſecundæ Et ſi arguatur à deſtructione conſequentis primæ ad poſitionem conſequentis ſecundæ; eſt bonus ſyllogiſmus.

Et formatur ſic : Si eſt a, eſt b. Si non eſt a, eſt c. Sed non eſt b : Ergo eſt c. Vel ſic : Ergo ſi non eſt b, eſt c. Si enim non eſt b : oportet etiam, quòd non ſit a, per regulam 3. ſuperiùs poſitam. Sed poſitum eſt, quòd ſi non eſt a, eſt c : Ergo neceſſe eſt dicere: Quòd ſi non eſt b, eſt c. Eadem & in cæteris ratio.

16. A deſtructione quoq; conſequentis ſecundæ conditionalis, ſequitur poſitio conſequentis primæ.

Nam ſi eſt b, eſt a. Si non eſt a, eſt c, Sed nõ eſt c: Ergo eſt b. Quia ſi non eſt c, eſt a per regulã 3. Sed ſi eſt a, eſt b : Ergo ex neceſſitate, ſi non eſt c, eſt b.

17. Ex poſitione autem conſequentis primæ, non ſequitur poſitio conſequentis ſecundæ : nec econuerſo.

Non enim ſequitur : Si eſt animal, eſt ſubſtantia. Si non eſt animal, non eſt homo. Sed eſt ſubſtantia : Ergo non eſt homo. Poterit enim eſſe

homo, ſi eſt ſubſtantia. Vel ita: Sed non eſt homo: Ergo eſt ſubſtantia. Poterit enim nihil eſſe, quod non eſt homo, niſi fortè valeat propter rerum ordinem, vt ſæpe dictum. Similiter non valeret, ſi antecedentia non eſſent oppoſita. Non enim ſequitur: Si eſt homo, eſt animal. Si eſt homo, eſt riſibile. Sed non eſt animal: Ergo eſt riſibile. Vel ſic: Sed non eſt riſibile: Ergo eſt animal. Nullo enim modo fit ſyllogiſmus.

18. Tertia figura eſt, quando conſequens primæ conditionalis eſt oppoſitum conſequentis ſecundæ: Et ex poſitione antecedentis primæ ſequitur contradictorium antecedentis ſecundæ. Et ſimiliter ex poſitione antecedentis ſecundæ ſequitur contradictorium antecedentis primæ.

Sic autem formatur ſyllogiſmus: Si eſt b, eſt a. Si eſt c, non eſt a. Sed eſt b: Ergo non eſt c. Si enim eſt b, etiam eſt a, per poſitum. Sed ſi eſt a, non eſt c, per 3. regulam. Ergo ex neceſſitate ſequitur, ſi eſt b, quòd non ſit c. Vel ſic: Sed eſt c: Ergo non eſt b. Quia ſi eſt c, non eſt a per poſitum. Si autem non eſt a, non eſt b, per 3. regulam. Ergo neceßitate, ſi eſt c, non eſt b.

19. A deſtructione autem antecedentis cuiuſuis conditionalis compoſitæ, & ſimiliter à poſitione conſequentis, nihil ſequitur ex vi propoſitionum.

Si enim fiat iſta propoſitio: Si homo eſt, animal eſt. Si lignum eſt, animal non eſt: Ex deſtructione

ctione illius primi antecedentis non ſequitur poſitio ſecundi, nec etiam deſtructio. Nec ex deſtructione ſecundi, ſequitur deſtructio vel poſitio primi. Similiter nec in aliqua conditionali compoſita ex poſitione primi conſequentis, ſequitur poſitio ſecundi. Nec ex poſitione ſecundi, ſequitur poſitio primi: Niſi id in alijs fiat propter rerum ordinem terminis.

20. Diſiunctiuæ ſunt quatuor & non plures.

Nam aut ambæ categoricæ ſunt affirmatiuæ, aut ambæ negatiuæ. Aut prima eſt affirmatiua, & ſecunda negatiua. Aut prima negatiua & ſecunda affirmatiua. Nec alio modo variantur. Vt, aut eſt a, aut eſt b. Aut non eſt a, aut non eſt b. Aut eſt a, aut non eſt b. Aut non eſt a, aut eſt b.

21. In ea, quæ eſt tota affirmatiua, fit ſyllogiſmus à deſtructione vnius partis ad poſitionem alterius, & à poſitione vnius ad deſtructionem alterius.

Hæc enim ſolùm vera eſt in his, in quibus neceſſe eſt alterum eſſe, id eſt, in contrarijs medio carentibus, quorum neceſſe eſt alterum eſſe, ſi vnum non fuerit: Et ſi vnum fuerit, neceſſe eſt alterum non eſſe. Fit ergo ſyllogiſmus hoc pacto: Aut eſt a, aut eſt b. Sed non eſt a: Ergo eſt b. Vel: Sed eſt a: Ergo non eſt b. Vel: Sed non eſt b: Ergo eſt a. Si enim neceſſe eſt a, vel b eſſe, & non poſſunt ſimul eſſe: Neceſſe eſt poſito vno, alterum deſtrui. Et de-

ſtructo vno, alterum poni. Hæc enim diſiunctiua in alijs terminis non verificatur. Nam non verè dicitur: Quòd animal aut eſt album, aut nigrum: Sed quod eſt vel ſanum, vel ægrum.

22. In ea verò, quæ eſt tota negatiua, fit ſyllogiſmus à deſtructione vnius partis ad poſitionem alterius: non tamen à poſitione ad deſtructionem.

Hæc enim propoſitio verificatur in his, quæ ſimul eſſe non poſſunt, quamuis non ſit neceſſarium, alterum eorum eſſe. Vt cùm dico: Aut non eſt album, aut non eſt nigrum. Non enim verificaretur inter ea, quæ ſimul eſſe poſſunt. Non enim verè dicitur de aliquo, quòd aut non eſt albus, aut non eſt criſpus: Poteſt enim vtrunque eſſe. Fit ergo hoc modo ſyllogiſmus: Aut non eſt a, aut non eſt b. Sed eſt a: Ergo non eſt b. Vel: Sed eſt b: Ergo non eſt a. Cùm enim ſimul eſſe non poßint, palàm eſt, quòd poſito vno, alterum neceſſe eſt negari. Non tamen valet: Sed non eſt a: Ergo eſt b. Vel: Sed non eſt b: Ergo eſt a. Quia etſi ſimul eſſe non poſſunt: Non tamen neceſſe eſt alterum ſemper eſſe. Nam in ijs dictum eſt propoſitionem verificari. Vnde non ſequitur: Aut non eſt niger, aut non eſt albus. Sed non eſt albus. Ergo eſt niger. Vel, Sed non eſt niger. Ergo eſt albus. Poteſt enim eſſe rubeus, neq; albus, neq; niger.

23. In ea verò, quæ tantùm habet ſecundam partem negatiuam, fit ſyllogiſmus à de-

à deſtructione vnius] ad poſitionem alterius, non tamen econuerſo.

Hæc enim verificatur in ijs, quæ ſibimet adhærent, quorum tamen vnum eſt ſuperius ad alterum, ſicut genus, & ſpecies, & indiuiduum: Et ſuperius affirmatur negato inferiori. Vt cùm dico: Aut eſt animal, aut non eſt homo. Et ſic formatur ſyllogiſmus: Aut eſt a, aut non eſt b. Sed non eſt a. Ergo non eſt b. Vel: Sed eſt b. Ergo eſt a. Negato enim ſuperiori, neceſſe eſt & inferius negare, & poſito inferiori, neceſſe eſt ponere ſuperius, vt patet in 13. & 14. regula ſuperioris libri 6. A verò ponitur eſſe ſuperius ad b. Id quod tamen è contrario non valet. Nam poſito ſuperiori, non neceſſe eſt ponere inferius, vel ipſum negare. Et ſimiliter negato inferiori, non oportet negare vel ponere ſuperius. Vnde non ſequitur: Aut eſt animal, aut non eſt homo. Sed eſt animal. Ergo eſt, vel non eſt homo. Vel; Sed non eſt homo. Ergo eſt, vel non eſt animal.

24. In ea etiam, quæ habet primam partem negatiuam, fit ſyllogiſmus eodem planè modo, quo in præcedenti.

Hæc item verificatur in ijs, quæ ſibi adhærent. Alterum enim ratione alterius inferius eſt, negatúrque inferius in prima parte, nec differt à præcedenti; niſi quia hic præponitur negatio, illic verò affirmatio. Sed hoc non

non variat ſyllogiſmum. Nam & hic quoque fit ſyllogiſmus a destructione vnius partis, ad poſitionem alterius: non tamen è conuerſo. Vnde huius penitus eadem eſt cum priore ratio.

25. A copulatiua propoſitione nullus fit ſyllogiſmus hypotheticus.

Nam non eſt hæc dicenda hypothetica propoſitio, cùm manifeſtè denunciet eſſe, vel non eſſe, ſicut & categoricæ, quod nunquam faciunt hypotheticæ, vt ex earum ſuperiùs aſſerta patet definitione. Aliter ridiculus futurus ſyllogiſmus. Quis enim neſciat, quòd ſi Socrates diſputat, & Socrates ſedet, quòd etiam Socrates diſputat. Potuit enim breuiùs dici ſine copula: Socrates diſputat: Ergo Socrates diſputat. Qui ergo ſic argumentaretur, dignus exploſione: Vnde nec Boëtius huiuſmodi ſyllogiſmorũ vel propoſitionum fecit mentionem. Nec etiam propriè vna eſt propoſitio, ſed multæ congregatæ, quod argumento, quia nullum alium penitus ſenſum habent præter illum, quem habent categoricæ coniunctæ. Sed hypotheticæ longè diuerſum habent à categoricis ſenſum, cùm etiam aliquando hypothetica ſit vera, cuius tamen categoricæ ſunt impoſſibiles: vt cùm dicitur: Si homo eſt aſinus, Homo eſt rudibilis: Quia veritas hypotheticæ non eſt in denunciatione, ſed in coniunctione, vel diſiunctione, vt dictum eſt. De ſyllogiſmis ergo hypotheticis hæc dicta ſint.

DE

DE SYLLOGISMO DEMONSTRATIVO.

Liber Octavvs.

Summa & diſpoſitio libri VIII.

POſtquam determinauit autor de ſyllogiſmo quo ad formam, oſtendendo, quomodo debeat formari tàm in propoſitionibus de ineſſe, quàm modalibus & etiam hypotheticis: Nunc agit de illo per cōparationem ad materiam. Et quia primus inter hos eſt demonſtratiuus, priùs agit de illo in hoc libro. Et primò quidem loquitur de illo abſolutè, ſecundò comparatiuè: Tertiò inueſtigat medium, ex quo procedit. Quoad primum, quatuor de ipſo determinat, ſcil. definitionem, neceſsitatem, formam, & materiam, quibus ſufficienter natura eius definitur. Cùm autem definitio ipſius, ſicut illorum omnium, quæ ad finem ordinata ſunt, à fine capiatur, finiſque eius ſit ſcientia: Primò quid ſit ſcientia, in 1. concluſione, vt eius cognitione habita, quid ſyllogiſmus ad illam ordinatus, indicatur. Quia verò multipliciter dicitur, ſecundò eius multiplicitas in 2. declaratur. Et ſcientia, de qua eſt intentio, in 3. diſtin-

diſtinguitur. Tertiò ex his definitio ſyllogiſmi demonſtratiui in 4. deducitur. Neceſsitatem eiuſdem primo oſtendit in 5; Hoc fundamento, quòd omnis doctrina & diſciplina intellectiua ex aliqua præexiſtente cognitione fiat. Hoc eſt, fieri in nobis ſcientiam per ſyllogiſmum. Secundò agit de ipſa præcognitione, tàm quoad præcognitionem, quàm quoad ordinem eius. Quoad præcognitionem ipſam: Quia tria ſunt, quæ oportet præcognoſcere, ſcil. principia, ex quibus procedit ſyllogiſmus: ſubiectum, de quo aliquid concludit: Et paſsionem quæ concluditur de ſubiecto. Incipit a principijs, & primò oſtendit, quomodo præcognoſcantur, in 6. quantum oportet illa præcognoſcere, ſcil. magis quàm concluſionem, in 7. Et per quod prima principia cognoſcũtur in 8. & 9 Secundò ne quis erraret in præcognitione principiorũ, oſtendit in 10, quæ ſint principia in vnaquaq; ſcientia: Et quomodo ſcientiæ ſe habent ad illa, in 11. Et quia diſtinguuntur per propria & communia, declarat conſequenter, quæ ſint propria, in 12. & quæ communia, in 13. Tertiò ſpecialiter declarat, quomodo ſe habeant ſcientiæ ſeu demonſtrationes ad principia prima ſimpliciter, quorum vnum eſt negatiuum, ſcilicet non contingit, &c. de quò in 14. Alterum affirmatiuum, ſcil. contingit, etc. de quo in 15. Poſt præcognitionem autẽ principiorum agit de præcognitione ſubiecti & paſ-

paſsionis Subiecti quidem, quantum ad quia eſt, in 16. Et quantũ ad quid eſt, in 17. Paſsionis verò, quoad quia eſt, in 18. oſtendens id non præcognoſci: & quoad quid eſt, in 19. Quoad ordinem autẽ præcognitionis, oſtẽdit primò, quo ordine ſequatur ſcientia pręcognitionem dictorum, in 20. Secundò quomodo ſe habeant præmiſſæ ad concluſionẽ: Maior quidem, in 21. Minor verò in 22. Tertiò, quomodo ſe habet concluſio, antequam deducatur, in 23. Circa formam huius ſyllogiſmi oſtendit, in qua figura debeat fieri, in 24. Et quia oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt, ſubiungit in 25. de ſyllogiſmo ignorantiæ, qui opponitur ſyllogiſmo demonſtratiuo. Circa materiã multa docet. Primò ex qualibus principijs oriatur, ſc. veris, in 26. immediatis, in 27. Præmittens, in 28. pro fundamento, huius non dari proceſſum in infinitum in prædicatis. Item ex cauſsis, in 29. Inde quòd ex notioribus & prioribus fiat, deductus, in 30. Nec hinc dari demonſtrationem circularem, in 31. Item ex proprijs, in 32. & neceſſarijs, in 33. Secundò, ex qualibus prædicatis, ſc. de omni, in 34 per ſe, in 35, vniuerſalibus, in 36. non extraneis, in 37. neq; corruptibilibus, in 38. Licet hæc duo vltima poſsint etiam intelligi de principijs. Tertiò ex dictis deducit duo corolaria, ſcil. demonſtrationem non deſcendere de genere in genus, in 39. & in qualibet ſcientia eſſe proprias propoſitiones, &c. in 40. Quoad ſecundum

dum, primò comparat demonſtrationem demonſtrationi, ſcil. vniuerſalem particulari, in 41. affirmatiuam negatiuæ, in 42. Et oſtenſiuam ei, quæ ducit, ad impoſsibile, in 43. Secundò comparat ſcientiam ſcientiæ, quæ eſt effectus demonſtrationis, quoad certitudinem in 44. 45. 46. Et quoad vnitatem & diuerſitatem, declarans, quæ ſit vna, in 47. Et quæ diuerſæ, tàm ex parte ſubiecti, in 48. 49. quàm ex parte principiorum, in 50. E dictis extruens, obiectum habere partes & paſsiones, in 51. Tertiò comparat ſcientiam alijs habitibus, diſtinguens illam ab opinione, in 52. & à ſolertia, in 53. Quoad tertium, primò oſtendit, omnem quæſtionem reduci ad quæſtionem medii, in 54. Secundò, quia eſt id, quod ſignificat definitio, declarat, quomodo ſe habet definitio ad demonſtrationem in 55. 56. Tertiò docet, quomodo medium, quod eſt, quod quid eſt, nobis innoteſcat, an ſcil. per demonſtrationem, in 57. docens, hoc ipſum per definitionem cognoſci.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Scientia eſt certa cognitio.

Quemadmodum opinio rerum contingentium eſt: ita ſignificat cognitionem incertam & debilem. Quando verò aliter ſe rem habere non poſſe

poſſe credimus: tunc id nos ſcire maximè arbitramur. Scientia igitur certam denotat cognitionem.

2 Scire multipliciter dicitur.

Aliquando dicimur ſcire ea, de quibus certitudinem habemus ſolùm per ſenſum, vt cùm video Socratem currere, ſcio Socratem currere. Aliquando autem certi ſumus de aliquo, vel per longam experientiam, quo modo cognoſcimus moralia & medicinalia: vel per inductionem & conſuetudinem, & hæc quoque ſcire dicimur: Aliquando dicimur ſcire ea, de quibus certitudinem habemus per intellectum: Quia per ſe abſque nulla ratione ſunt euidentia intellectui, ita quòd non poteſt intellectus credere contrarium. Et hæc ſunt prima ſcientiarum principia, quæ ſtatim cognitis terminis cognoſcuntur. Si quis enim cognoſcit, quid ſit totum, & quid pars: non poteſt dubitare, quin omne totum ſit maius ſua parte. Aliquando ea, de quibus ſumus certi per aliquam rationem, dicimur ſcire: Et ſi ſunt contingentia, non poteſt eorum tanta eſſe certitudo & ſtabilis veritas, quanta eſt neceſſariorum. Et ideò propriè de neceſſarijs, de quibus cognoſcimus cauſſam, dicimur habere ſcientiam. De neceſſarijs enim, de quibus habemus ſine ratione euidentiam, habemus nobiliorem habitum, quàm ſcientiæ habitus exiſtat. Nam habitus eorum dicitur intellectus: quoniam ea abſque ratiocinatione intellectus apprehendit. Scire ergo nos tum propriè opinamur, cùm rei cauſſam cognoſcimus. Et quoniam illius eſt

H cauſſa:

cauſſa: impoſſibile eſt aliter ſe habere. Quin poſita illa, talis mox quoque ponatur effectus. Et de hoc ſcire, deq; hac ſcientia hoc libro tractare intentio. Nam licet cauſſam per effectum quoq; cognoſcamus: iſtud tamen ſcire non eſt ita proprium.

3. Scire propter quid, differt à ſcire quia.

Quia ſcire propter quid, eſt ſcire per cauſſam, & proximam, & immediatam. Scire autem quia, eſt ſcire per effectum, quia ita eſt, vel per cauſſam remotam. Si enim quis interroget: Propter quid pluit? Et quis reſpondeat: Quia Deus velit: Non propriè dicimus, quòd iſte ſciat, propter quid pluit: quia nondum cauſſam ſciat proximam.

4. Syllogiſmus demonſtratiuus ſeu demonſtratio, eſt ſyllogiſmus faciens ſcire.

Hic enim ſyllogiſmus eſt inſtrumentum ſcientiarum. Vbi aduerte, quòd in omni propoſitione, ſi prædicatum in quid aut in quale ſubſtantiale prædicetur de ſubiecto, vt genus, ſpecies, & differentia de ſuis ſubiectis: Talis propoſitio non poteſt per aliquam cauſſam probari: Quia nulla poteſt aſſignari cauſſa veritatis eius. Verbi gratia de homine, quare ſit animal, vel rationale, vel ſimul animal rationale: quia per ſeipſum & per propriam eſſentiam eſt animal rationale. Vnde huiuſmodi propoſitiones ſunt per ſe notæ. Si autem prædicatum prædicetur in quale accidentaliter,

ter, aut erit accidens commune, & tum de illa propoſitione non poteſt haberi ſcientia propriè, ob mobilitatem accidentis, & in certitudinem cauſſarum eius. Aut erit accidens proprium, quod omni & ſoli & ſemper ineſt: Et de hoc poteſt haberi propriè ſcientia per cauſſam, quæ non eſt aliud, quàm eſſentia ſubiecti. Nam proprium fluit ab eſſentia rei, cuius eſt proprium. De tali ergo propoſitione, in qua proprium de ſubiecto prædicatur, habetur ſcientia, quam generat ſyllogiſmus demonſtratiuus. Facit enim cognoſcere proprietates rerum per propriam cauſſam, quæ eſt eſſentia vel definitio rei, de qua ſcientia nunc loquimur, quæ ſola propriè dicitur ſcientia, quam demonſtratio propriè dicta generat.

4. Omnis doctrina & omnis diſciplina intellectiua ex præexiſtenti fit cognitione.

Primùm quidem omnis cognitio intellectiua fit ex præexiſtenti cognitione ſenſus. Per ſenſum enim acquirimus cognitionem in intellectu. Quædam igitur intellectus abſque diſcurſu, & abſque doctore, mediantibus ſenſibus, cognoſcit; ſed doctrinam & diſciplinam acquirens, vel per ſeipſum vel per alterum habere non poteſt, ſine præexiſtenti cognitione intellectiua. Si enim omninò nihil cognoſceret, eſſet in pura potentia ad cognitionem, & ideo ſeipſum non poſſet in actum cognitionis reducere, nec per alterum reduci poſſet, cùm nec intelligeret vocum ſignificata,

H 2 ſi

ſi nihil omnino ſciret. Doctrina ergo & diſciplina fit ex præexiſtenti cognitione primorum principiorum. Doctrinam enim dicimus ſcientiam, quam mediante aliquo diſcurſu acquirimus per magis nota. Et hæc eadem ſcientia dicitur diſciplina: ſed doctrina, in quantum eſt ab agente. id eſt, à doctore: diſciplina autem, in quantum eſt in diſcipulo. Idem enim motus aliquando denominatur actio, aliquando paſſio, prout eſt ab agente, & in patiente. Et hæc concluſio etiam manifeſtatur per omnes diſciplinas, in quibus ſemper quædam principia magis nota præponuntur, vt per ea homo ad ſcientiam rerum deducatur.

6. De principijs oportet præcognoſcere, quia vera ſunt.

Scientia enim non eſt falſorum, ſed verorum: Veri autem ſcientia non poteſt ex falſis generari: quamuis ex falſis in ſyllogiſmo ſequi verum poſſit. Oportet enim illud, ex quo ſcientia generatur, eſſe magis cognitum & verum, quàm quod inde generatur. A notioribus enim magisq́ veris, ad minùs nota veraq́ progredimur.

7. Principijs oportet magis credere, quàm concluſioni.

Nam propter principia credimus concluſioni: Ergo principia ſunt magis credita. Quia propter quod vnumquodq́ eſt tale, illud magis tale. Nam ſi amamus proximum propter Deum, magis amamus Deum. Intellige autem in ijs, quæ ſunt eſſentialiter ordinata, ſicut principia & concluſio.

Homo

Homo enim eſt ebrius propter vinum: Nec tamen ſequitur, vinum magis eſſe ebrium. Filius eſt homo propter patrem: Nec tamen pater eſt magis homo. Eſt autem propoſitio hæc ſemper vera, ſi duæ hæ ſeruentur conditiones. Vna, quòd affectio, ſecundum quam duo inuicem comparantur, illis ambobus inſit. Altera, vt recipiat magis & minùs. Quomodo enim dicitur vni ineſſe magis quàm alteri, ſi non poſſit intendi neq; remitti. Sic diligi competit filio & præceptori, & datur maior ac minor dilectio. Ideoq; cùm dilectio præceptoris ſit propter dilectionem filij, tanquam cauſſam eius: neceſſe eſt filium magis diligi. Sic etiam cognoſci competit & principijs & concluſioni, & datur maior & minor cognitio. Quoniam igitur cognitio principiorum, eſt cauſſa cognitionis concluſionis: Ideò magis principia cognoſcuntur, quàm concluſio. Sed ebrietas ineſt quidem homini, at non vino. Idcirco non ſequitur: Vinum eſſe magis ebrium: Quia comparatiuum ſupponit primitiuum: Humanitas verò ineſt quidem patri & filio: Sed non recipit magis & minùs. Ideo ſequitur, patrem non eſſe magis hominem.

8. Prima principia non cognoſcimus per demonſtrationem.

Oporteret enim in infinitum procedere: Quia ſic & illa principia, ex quibus cognoſcerentur, per demonſtrationem haberentur: vnde in infinitum iretur. Quapropter nihil contingeret ſcire.

9. Prima principia cognoſcuntur per ſenſum.

Omnis enim cognitio noſtra à ſenſu incipit, à quo ſit memoria, vnde experimentum. Ex multis autem experimentis ſumimus regulam vniuerſalem, & ſic multorum principiorum cognitionem percipimus.

10. Principia in vnaquaque ſcientia ſunt illa, quæ demonſtrari non poſſunt in illa, cuius ſunt, ſcientia.

Ideò enim principia ſcientiæ dicuntur, quia alia probant, & ab alijs prabari non poſſunt in illa ſcientia. Licet in alia ſcientia poſſint demonſtrari.

11. Scientiæ non tenentur probare ſua principia.

Illa enim ſunt, quæ ſupponuntur in ſcientia, vt cætera probent. Contra omnes verò negantes principia metaphyſica diſputat: Quia conſiderat modos generales Entis, vt vnum, vt multa, vt actu, vt potentia, vt finitum, vt infinitum. Sic Ariſtoteles in phyſicis diſputat contra Parmenidem & Meliſſum, non virtute philoſophiæ naturalis, ſed per habitum Metaphyſicæ.

12. Propria principia in ſcientia ſunt ea, quæ ſolùm probant ea, quæ illius ſunt ſcientiæ.

Ideò enim dicuntur propria iſti, vel illi ſcientiæ, quòd alteri applicari nequeant. Proprium enim eſt, quod ſoli conuenit.

13. Communia principia ſunt, quæ probare poſſunt, quæ pertinent ad diuerſas ſcientias.

Ideo

Ideo enim dicuntur communia, quia pluribus ſcientijs conueniunt. Ea enim modo quodam ſcientiæ ſibi ſumunt propria. Vt verbi gratia: Hoc principium; Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, ſunt æqualia: Geometria vtitur in ſuis terminis hoc modo: Si ab æqualibus magnitudinibus, & cætera. Arithmeticus autem hoc pacto: Si ab æqualibus numeris, &c. Idem fit & in alijs.

14. Principium primum omnium nulla demonſtratio recipit.

Primum omnium principium hoc eſt: Non contingit idem ſimul affirmare & negare. Si autem hoc in demonſtratione reciperetur pro altera præmiſſarum, aliquid in demonſtratione eſſet ſuperfluum. Nam oportet ad ſpeciales materias ſcientiarum hoc modo ipſum applicari. Verbi gratia: A eſt b, & non eſt non b. Sed patet, quòd ſecunda pars eſt ſuperflua. Qui enim dicit: A eſt b, etiam dicit, quòd a non eſt non b. Virtute tamen eius omnia principia verificantur.

15. Hoc principium: Contingit omne vel affirmare vel negare: recipit demonſtratio ducens ad impoſsibile.

Quia probat, aliquid eſſe verum, quoniam ſuum contradictorium eſt falſum ex eo, quod ab ipſo ſequitur falſum. Si enim a non poteſt negari de b, oportet quòd affirmetur: Quia omne contingit vel affirmare, vel negare. Et ſimiliter ſi non poteſt affirmari, neceſſe eſt ipſum negari,

Si ergo contradictorium eſt falſum, oportet illud, cuius eſt contradictorium, eſſe verum. Et hoc eſt ſecundum inter omnia principium.

16. De ſubiecto oportet præcognoſcere quod eſt.

Nam ſubiectum ſcientiæ, eſt illud, de quo volumus cognoſcere proprietates. Quod autem non eſt, non habet proprietates: ideò de non ente non eſt ſcientia. Quamuis aliquando de ijs, quæ non ſunt, aliqua probemus: vt de pluuia, grandine, & eclipſi, alijsq́ huiusmodi naturalibus non ſemper actu exiſtentibus: ſupponimus enim eorum eſſe aliqualiter, & proprietates eis attribuimus, non quaſi actu illas habeant, ſed vel quia habere poſſunt, & habent in potentia; vel quia ſi eſſent, illas ex neceſſitate haberent.

17 De ſubiecto oportet præcognoſcere quid eſt.

Oportet enim primò cognoſcere, quid ſignificet nomen. Deinde quid ſit ſecundum ſubſtantiam, & quidditatem eius. Nam eſſentia eius eſt cauſſa proprietatis vel paſſionis, quam volumus demonſtrare. Oportet autem ſemper præcognoſcere cauſſam, quia à notis ad ignota procedimus.

18. De paſsione non præcognoſcimus quod eſt.

Hoc enim eſt, quod quærimus. Nam quærimus & intendimus demonſtrare, quòd paſſio ineſt ſubiecto proprio, & hoc eſt ſuum eſſe, quia illi eſſe eſt inhærere.

19. De paſsione oportet præcognoſcere quid eſt.

Nam ſaltem oportet præcognoſcere, quid nominis, id eſt, oportet præcognoſcere, quid nomine paſſionis ſignificetur. Et quia ratio, quam ſignificat nomen, eſt definitio: Definitio autem vel eſt propria, vel impropria, vt dictum eſt lib.3. Oportet de paſſione ſaltem præcognoſcere, quid eſt impropriè, vtpote cognoſcere, quod eſt tale vel accidens confuſè, nondum determinatè cognoſcendo ſubiectum. Si tamen cognoſceretur propriè eius definitio, certior fieret demonſtratio. Nam definitio paſſionis eſt cauſſa immediata ex parte paſsionis, ſed non ex parte ſubiecti. Vnde per definitionem paſſionis probaretur paſſio de ſubiecto. Deinde per definitionem ſubiecti demonſtraretur definitio paſſionis, & conſequenter ipſa paſſio de ſubiecto. Proprijſsimum enim medium in demonſtratione, ſubiecti definitio eſt.

20. Præcognitis ijs, quæ dicta ſunt, ſtatim habetur ſcientia.

Si enim perfectè cognoſcimus de ſubiecto, quòd eſt, & quid eſt, cùm ſua propria quidditas ſit cauſſa paſsionis, iam cognoſcimus cauſſam paſſionis eſſe, & ſcimus quòd eſt cauſſa, ex qua ex neceſſitate ſequitur illa paſſio in ipſo ſubiecto: Ergo ſtatim cognoſcimus paſsionem in ſubiecto eſſe. Similiter cognoſcentes ſubiectum eſſe, ſi etiam præcognoſcimus quidditatem paſsionis, quæ determi-

nat proprium ſubiectum, ſtatim cognoſcimus, illam inhærere ſubiecto paſſionem.

21. Prima propoſitio in demonſtratione eſt priùs nota cõcluſione, tempore & natura.

Nam cognita prima propoſitione adhuc animus ſuſpenſus ſecundam expectat, priusquam deducat concluſionem. Nam variatio minoris propoſitionis, ſtante etiam maiore, variat concluſionem plurimùm.

22. Secunda propoſitio eſt ſimul nota cum concluſione, tempore, non natura.

Statim enim animus viſis præmiſſis concluſionem in illis tanquam in ſpeculo intuetur. Simul autem videtur ſpeculum, & ea quæ ſunt in ſpeculo. Videt enim cauſſam, & quòd illius eſt cauſſa, & quòd impoſſibile eſt aliter ſe habere. Nota tamen, quòd minorem oportet eſſe notam dupliciter, ſcil. & quòd ſit vera indubitanter, & quòd ſit bene cum maiore ordinata in ſyllogiſmo. Si enim indigeret probatione, vel quantum ad veritatem, vel quantum ad conuenientiam cum maiore, non ſimul tempore cum concluſione cognoſceretur: Quia oporteret priùs de ipſa minore notitiam tradere. Non eſt autem ſimul nota naturaliter: Quia cauſſa eſt ſemper priùs nota ſecundum naturam, quàm effectus.

23. Concluſio antequam ex principijs deducatur, ſimpliciter eſt ignota, & ſecundum quid ſcita.

Eſt enim nota in principijs, & in cauſſa, non

autem actu in ſeipſa. Sicut illud, quod generatur, eſt ens ſecundum quid, & non ens ſimpliciter. Eſt enim ens in potentia, & in ſuis cauſsis : non autem actu in ſeipſo.

24. Prima figura maximè demonſtrationi deſeruit.

Nam cùm medium demonſtrationis ſit definitio, quæ vniuerſaliter prædicatur de definito, & paſſionem probet, qua etiam conuertitur cum ea & cum definito : Patet, quòd ad hanc demonſtrationem faciendam, non poteſt, niſi primus modus primæ figuræ vſurpari. Alij autem modi alijs demonſtrationibus, quæ non ſunt demonſtrationes ita propriè, deſeruiunt.

25. Ignorantia prauæ diſpoſitionis poteſt cauſſari ex paralogiſmo, ſicut & ſcientia ex demonſtratione.

Ignorantiam autem prauæ diſpoſitionis voco illum habitum, quo quis eſt malè diſpoſitus & contrariè ad ſcientiam. Nam ignorantia ſimplicis negationis eſt, quando quis neſcit, ſed tamen non eſt contrario modo diſpoſitus ad ſcientiam ſicut puer. Hæc autem concluſio clarè patet per experientiam. Rationes enim ſophiſticæ multos malè diſpoſuerunt, & pauci docti ſunt, qui non participent aliquid de hac ignorantia.

26. Demonſtratio eſt ex veris.

Nam verum ſolum contingit ſcire: Verum autem ex falſis etſi poſsit concludi in ſyllogiſmo: non tamen ſciri. Oportet enim ea, per quæ ſcimus, eſſe potiora & veriora, vt dictum eſt,

In

27. In prædicatis non eſt procedere in infinitum.

Loquor autem de prædicatis, quæ de ſubiectis verificantur propriè, maximè in accidentibus, quando accidens prædicatur de ſubiecto, ſiue illud ſubiectum ſit accidens, ſiue ſubſtantia. Non autem intelligo, quando ſubiectum prædicatur de accidente, vel accidens de accidente: Sic enim in infinitum prædicata variarentur. Sed hæc non eſt propria prædicatio. Si ergo loquimur de prædicatis propriè, non poteſt in infinitum procedi, quia prædicamenta & ſpecies eorum ſunt finita, aliter nihil poſſet definiri, vel nulla definitio eſſet nota: Quia non poſſemus venire in cognitionem primi generis, & vltimæ differentiæ.

28. Demonſtratio eſt ex immediatis.

Immediata voco propoſitiones per ſe notas, quæ ex alijs demonſtrari non poſſunt. Si enim eſſet ex mediatis, neceſſe eſſet illa probare per alia notiora, quia aliter non eſſent nobis verè cognita. Sed non licet progredi in infinitum, quemadmodum præcedens monet concluſio. Ergo oportet tandem ad immediata venire, ex quibus potiſſima oritur demonſtratio.

29. Demonſtratio eſt ex cauſsis.

Quia eſt ſyllogiſmus faciens ſcire. Sed ſcire eſt rei cauſſam cognoſcere, vt dictum eſt.

30. Demonſtratio eſt ex prioribus & notioribus.

Eſt

Eſt enim ex cauſis: Et cauſſæ ſunt priores & notiores ſuis effectibus.

31. Demonſtratio eſt ex proprijs principijs.

Nam facit ſcire: & ſcire propriè eſt per cauſſam propriam, vt in 2 & 3. concluſione dictum.

32. Demonſtratio eſt ex neceſſarijs.

Cùm enim ſcientia propriè non ſit, niſi de neceſſarijs, ſi medium vel principium, ex quo acquiritur, eſſet contingens: Tunc illud, per quod ſcitur, eſſet incertius & variabilius, quàm id quod ex eo ſcitur. Et ſic effectus eſſet potior ſua cauſſa.

33. Demonſtratio circularis eſſe non poteſt.

Circularem demonſtrationem voco, quando id, quod probatur per alterum, accipitur pro medio ad probandum illud, per quod ipſum fuerat probatum. Si ergo aliquid demonſtraretur hoc modo, cùm demonſtratio ſit ex notioribus, ſequeretur, quòd idem eſſet notius & ignotius ſimpliciter reſpectu eiuſdem, quod eſt impoßibile.

34. Demonſtratio eſt ex ijs, quæ ſunt de omni.

Eſt enim de neceſſarijs prædicatis, quæ ſunt ex neceßitate in ſubiectis. Vnde oportet, quòd inſint ſubiectis vniuerſaliter & ſemper, vt patet in definitione proprij. De omni enim dico, quod vniuer-

niuerſaliter de altero ſemper prædicatur. Hoc enim modo hîc de omni accipimus.

35. Demonſtratio eſt ex ijs, quæ ſunt per ſe.

Per ſe autem dico alterum alteri ineſſe primo modo, quando prædicatum eſt in definitione ſubiecti, vt, ſi dico: Homo eſt animal. Nam animal in definitione hominis ponitur.

Secundo modo, quando ſubiectum eſt in definitione prædicati, vt cùm dico: Homo eſt riſibilis. Homo enim, ponitur in definitione riſibilis. Vel quando ineſt propter aliquam cauſſam per ſe, non per accidens. Si enim aliquo ambulante coruſcauit, huius coruſcationis non eſt cauſſa ambulatio, ſed accidit coruſcaſſe illo ambulante. Si quis autem interijt, quia interfectus eſt, non eſt per accidens interyſſe ipſum propter interfectionem, ſed per ſe. Dicitur etiam per ſe, id, quod poteſt eſſe ſine altero, vt ſubſtantia. Concluſio autem ex dictis ſuperiùs probatur, quia demonſtratio ex propoſitionibus conſtat, in quibus definitio eſt medium, & paſsio maior extremitas, & ſubiectum minor. Definitio autem prædicatur de definito, in primo modo dicendi per ſe, & paſsio de ſubiecto in ſecundo.

36. Demonſtratio eſt de prædicato vniuerſali.

Prædicatum vniuerſale voco illud, quod de omni & per ſe, & primo, hoc eſt, ſecundum quod ipſum prædicatur. Riſibile enim de animali prædicatur, ſed non de omni animali. Prædicatur

quoque

quoque de Socrate & Platone, ſed non primò & ſecundum quod ipſum. Primò enim homo eſt riſibilis quàm Socrates: Et riſibile conuenit homini ſecundũ quod homo, & Socrati ſecundùm quod homo. Ideo riſibile non eſt prædicatum animalis, nec Socratis vniuerſale: ſed hominis. De homine enim omni dicitur, & per ſe, & primò. Cùm ergo in demonſtratione probetur paſſio de ſubiecto, patet quòd ſit de prædicato vniuerſali: Quia paſſio reſpectu ſui proprij ſubiecti eſt de omni, & per ſe, & primò.

37. Demonſtratio non eſt ex extraneis.

Per extranea ea intelligo, quæ ſunt extra naturam ſubiecti, & non propriè pertinent ad ſubiectum. Nam cùm demonſtratio ſit ex proprijs, & ex ijs, quæ ſunt per ſe, & ex vniuerſali prædicato: clarum eſt, nullum continere extraneum.

38. Demonſtratio non eſt ex corruptibilibus, ſed ſempiternis.

Nam ea, quæ ſunt neceſſaria & per ſe, ſunt ſemper. Demonſtratio autem eſt ex huiuſmodi, vti dictum. De ijs verò, quæ non ſunt ſemper, aliquando demonſtrationes in vniuerſali facimus, vt de pluuijs, eclipſi, & ſimilibus. Sed eo modo demonſtramus in ijs, quo ſunt ſemper. Sunt autem ſemper in ſuis cauſſis vniuerſalibus. Unde hoc modo vniuerſaliter facimus ipſis demonſtrationes. Patet

ergo eorum, quæ à caſu & à fortuna fiunt, non eſſe ſcientiam.

39. Demonſtratio non tranſit de genere in genus.

Nam eſt ex proprijs, quæ ſi alteri applicarentur, illi forent extranea. Demonſtratio autem non fit ex extraneis. Verum tamen eſt, quòd ſcientiæ ſuperioris principia, probant principia inferioris, quando genus vnius ſub genere alterius continetur. Et ideo illa ſcientia, cuius principia à nullo probantur, ſed omnia alia probat, maximè eſt ſcientia, & metaphyſica nominatur.

40. In vnaquaque ſcientia ſunt propriè propoſitiones, interrogationes, reſponſiones, & diſputationes.

Quia ſcientia eſt ex proprijs: Ideoq́ non oportet vnumquemque ſcientem de vnoquoque interrogare, nec ipſum ad vnumquodque reſpondere.

41. Demonſtratio vniuerſalis eſt potior particulari.

Quia vniuerſalia ſunt magis ſcibilia, quia minùs infinita, & magis per hæc fit ad cauſſam primam reſolutio.

42. Demonſtratio affirmatiua eſt potior negatiua.

Negatiua enim propoſitio per affirmatiuam demonſtratur: Et ex ſolis affirmatiuis fit demonſtratio, non autem ex ſolis negatiuis.

43. Demonſtratio oſtenſiua eſt potior ea, quæ ducit ad impoſsibile. *Nam*

Nam ducens ad impoſsibile non ſumit omnes ſuas propoſitiones indubitabiles ſimpliciter, quia vnam, id eſt, hypotheſin ſumit, non tanquam ſimpliciter indubitabilem, ſed indubitabilem reſpondenti ſolùm. Oſtenſiua verò omnes ſuas propoſitiones indubitabiles ſimpliciter accipit.

44. Scientia, quæ non eſt de materia ſenſibili, eſt certior ea, quæ eſt de materia ſenſibili.

Quoniam eſt formalior. Nam quantò aliquid plus eleuatur à materia, tantò plus de forma, & actu participat, & per conſequens eſt magis notum, certum, atque ſtabile. Quodlibet *enim, vt ſe ad eſſe, ita ad ſcire habet.*

45. Scientia, quæ facit ſcire quia, & propter quid, eſt certior ea, quæ ſolùm facit ſcire quia.

Nam ſcire eſt rei cauſſam cognoſcere.

46. Scientia, quæ eſt ex appoſitione ad alteram, eſt minùs certa illa, ad quam apponit.

Ex appoſitione dicitur vna ſcientia ad alteram ſe habere, quando materiam alterius abſolutam ad aliquid determinat, quod poſitionem habet, vt ſe habet Geometria ad Arithmeticam. Hæc enim conſiderat vnitatem abſolutè, illa verò vnitatem vt poſitionem habet in quantitate, aut in puncto: Et ſimiliter conſiderat cæteras ſpecies numerorum. Arithmetica quidem abſolutè: Geo-

I metria

metria verò applicando ad quantitatem continuam, & ſic magis ad materiam tendit, & per conſequens eſt minùs certa.

47. Illa ſcientia eſt vna, quæ eſt vnius ſubiecti formaliter.

Scientia enim in quodam proceſſu conſiſtit, tanquam quidam motus. Modus autem accipit ſpeciem à termino, & vnitatem, vnde dealbatio ab albedine ſpecificatur, & ſi ad vnam albedinem tendit, eſt vnus motus. Ideo etiam ſcientia cùm terminetur ad ſubiectum, cuius proprietates probat, & ſcire contendit, quæ ad ſubiectum terminantur, oportet quòd illa ſit vna, quæ circa vnum ſubiectum verſatur. Dico autem formaliter, quia non oportet, quæ ſunt ſub ſubiecto, ſpectare omnia, ſed rationem, ſecundum quam conſideratur. Multæ enim ſunt res naturales, de quibus conſiderat phyſicus, & tamen ſcientia naturalis eſt vna, quia omnia ſub ratione formali conſiderat, id eſt, in quantum ſunt mobilia.

48. De eodem materiali obiecto poſſunt eſſe diuerſæ ſcientiæ.

Sic aſtrologia, & phyſica, terram rotundam eſſe, demonſtrant. Sed iſtud obiectum materiale formaliter variatur. Sub alia enim ratione conſideratur à phyſico, & ſub alia ab aſtrologo. Vnde per alia quoque media eandem probant concluſionem. Scientiæ enim à formali obiecto, non autem à materiali ſpecificantur.

Scien-

49. Scientiæ ſunt diuerſæ, quæ habent diuerſa obiecta formalia.

Cùm enim ab obiecto formali ſpecificentur, oportet quòd vbi ſunt diuerſa obiecta formalia, ibi ſint & ſcientiæ diuerſæ formaliter. Verùm vna eſt formalitas obiecti, quæ eſt ex parte obiecti, quæ eſt ratio ſecundum quam conſideratur obiectum à ſcientia, vtputa quia phyſicus conſiderat ens ſub ratione mobilitatis, ideo mobilitas eſt formalitas obiecti ex parte obiecti ſcientiæ naturalis. Eſt autem alia, quæ eſt ex parte cognoſcentis, & hæc eſt medium, ex quo probat paſſiones de ſubiecto, quod eſt ipſa definitio rei. Sicut color eſt formalitas obiecti viſus ex parte obiecti, & lumen dicitur formalitas ex parte videntis, quia eſt id, quo mediante videt colores. Unde tamen ſemper alteri correſpondet: Quia medium, & ſubiectum, & paſſio ſunt eiuſdem generis.

50. Diuerſitas principiorum diuerſificat ſcientias.

Scientiæ enim ſunt ex proprijs: Igitur habent propria principia, quæ ſuis ſubiectis reſpondent ad paſſiones ipſorum demonſtrandas. Unde non licet de genere in genus deſcendere.

51. Obiectum ſcientiæ habet partes, & paſsiones.

Partes habet, quæ ipſum componunt, & ex quibus demonſtrantur de eo paſſiones. Hæ

autem ſunt partes eſſentiales, vt genus, & differentia. Partes quoque habet ſubiectiuas, cùm ſit vniuerſale, de quo ſolùm eſt ſcientia. Paſſiones quoque habet, quia hæ de ipſo oſtenduntur.

52. Scientia differt ab opinione.

Quia ſcientia eſt de vniuerſalibus certa cognitio. Opinio autem de contingentibus cum formidine, vti prima concluſione dictum.

53. Qui promptè & faciliter eſt aptus inuenire media ad vnumquodque probandum, ſolers dicitur.

Hanc enim vocamus ſolertiam, ſcil. promptitudinem intellectus ad inueniendum medium in vnaquaque re. Vnde differt à ſcientia, ſicut & opinio.

54. Omnis quæſtio eſt quæſtio medij.

Quatuor enim ſunt quæſtiones: Prima eſt quæſtio, an eſt, quæ quærit de eſſe rei. Secunda quid eſt, quæ de eius quidditate percontatur. Tertia quia eſt, quæ de eſſe hoc vel illud indagat. Quarta, propter quid eſt, quæ cauſſam, quare ita ſit, inueſtigat. Nam qui per aliquem iſtorum modorum quærit, cupit ſcire: An ſit aliquod medium, per quod animus eius dubitans quietetur. Vnde patet, omnem quærentem medium quærere. Omnis ergo quæſtio eſt quæſtio medij.

55. Non omnium, quorum eſt demonſtratio, eſt definitio, nec econuerſo.

Demonſtratio enim eſt de proprietatibus & paſſionibus, quorum propriè non eſt definitio. At

Vt definitio propriè eſt ſubiecti, cuius non eſt demonſtratio, de quo tantùm aliquid probamus.

56. Eiuſdem non eſt demonſtratio & definitio.

Hoc eſt, non idem ſcitur per demonſtrationem & definitionem ſimul: Quia illud, quod propriè definitur, non demonſtratur: Et illud, quod propriè demonſtratur, non definitur. Vnius enim rei, in quantum vnum, vnus cognoſcendi modus eſt.

57. Quod quid eſt, demonſtrari non poteſt.

Voco autem quod quid eſt, id, quod per definitionem ſignificatur. Nam etſi vna definitio imperfecta poſſit per perfectiorem demonſtrari, vt materialis per formalem, & hæc per efficientem, quæ demonſtratur per finalem, quæ per aliam non poteſt demonſtrari: Definitio tamen perfecta non poteſt demonſtrari, tum quia quod quid eſt immediatè prædicatur de eo, cuius eſt: tum quia medium demonſtrationis eſt ipſa definitio, vel quod quid eſt, vnde ſupponeretur, quod probari deberet. Præterea ſi per aliquod medium probaretur hoc eſſe hoc, vtputa hominem eſſe animal rationale: non tamen propter hoc haberetur, quod hoc eſt quod quid eſt huius, niſi fortè per definitionem ipſius quod quid eſt, hoc modo: Omne ſignificatum orationis conuertibilis, conſtantis ex genere & differentijs eſt, quod quid eſt. Sed animal rationale eſt huiuſmodi: Ergo &c. Sed

hæc etiam non eſt demonſtratio, nec fortis probatio, quia non eſt ex cauſſa. Non enim eſſe ſignificatum illius orationis eſt cauſſa ipſius, quod quid eſt. Præterea intellectus idem intelligit per eſſe quod quid eſt, & eſſe ſignificatum talis orationis, & imò præſupponitur quod debet probari. Per diuiſionem quoque etſi colligatur, vt dictum eſt in lib. 3. non tamen demonſtratur. Quia, diuiſio eſt infirmus ſyllogiſmus, vt dictum fuit in 6. lib. concluſione 29. Igitur quod quid eſt, habet virtutem demonſtrandi cætera, ipſum verò omninò non demonſtratur. De ſyllogiſmo ergo demonſtratiuo per modum introductionis hæc dixiſſe ſufficiat.

DE SYLLOGISMO DIALECTICO.

LIBER IX.

Summa & diſpoſitio libri IX

SYllogiſmum demonſtratiuum ſequitur ſyllogiſmus dialecticus, qui ſc. eſt probabilis, quem determinare volens autor in hoc libro, quatuor agit. Primò præmittit quædam de arte dialectica ſeu inuentiua, quæ circa hunc verſatur ſyllogiſmum. Secundò de inſtrumento eius: Tertiò de locis communibus,

nibus, vnde eius petuntur argumenta, tractat. Quartò ad ſpecialia deſcendit problemata, oſtendens, quomodo terminari debeant. Quoad primum, præmiſſa vtilitate huius artis in 1. concluſione, primò oſtendit, quid propoſitio dialectica, in 2: quid problema dialecticum, in 3: Et quomodo ex illis fiant diſputationes, in 4. Horum enim cognitio facit ad cognitionem ſyllogiſmi dialectici. Secundò oſtendit numerum iſtorum, ſcil. problematum, in 5: Et propoſitionum, in 6: Ac reductionem ad vnum, in 7. Et ne quis putaret, in ſolis ſubſtantiis hæc inueniri, oſtendit in 8. quomodo reperiuntur etiam in accidentibus. Tertiò oſtendere volens communitatem huius artis, præmittit communitatem eius problematis in 9. deducítque communitatem eius, in 10. Et ne quis hoc exiſtimet eam ad omnem poſitionem ſe extendere, id remouet in 11. Quoad ſecundum, primò rejicit inſtrumenta, quæ non faciunt ad propoſitum, quorum quædam ſunt falſa, ad probandum ſc. ſyllogiſmũ falſigraphum, quem tollit in 12. Et litigioſum, quem remouet in 13. Quædam ſunt bona inſtrumenta, ſed non propriè huic arti, ſc. demonſtratio, exemplum & enthymema, quæ aufert in 14. 15 & 16. Secundò aſsignat propria eius inſtrumenta, ſcilicet inductionem in 17. & ſyllogiſmum ex probabilibus, in 18.

Tertiò vt talibus abundemus ſyllogiſmis, tradit quatuor media ſeu inſtrumenta, huic deſeruientia, in 19. Et duas regulas de modo procedendi, docens, qua via vti oporteat, in 20. & quæ facilior ſit, in 21. Quo ad tertium, primò definit locum, in 22: & in 23. diuidit. Per definitionem enim & diuiſionem res facilè cognoſcuntur. Secundò agit de locis communibus omnium problematum: Quorum quædam ſunt intrinſeca, de quibus in 24. quædam extrinſeca, de quibus in 25. Et quædam media, de quibus in 26. Tertiò ſubiungit regulam communem ad omnia iſta loca, in 27. Quo ad quartum, iuxta numerum problematum in principio libri, concluſ: 5. poſitorum, manifeſtat loca propria ad vnumquodque, id eſt, ad problema accidentis, quod eſt communius, tàm abſolutè, in 28. quàm comparatiuè in 29. ad problema generis, in 30: differentiæ, in 31. proprij, in 32. & definitionis, in 33. Et quia hæc problemata variantur per idem & diuerſum: oſtendit conſequenter, quomodo problema de eodem & diuerſo poſsit determinari, in 34. Subiungens in 35. quàm ſit abundare his locis vtile.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Pars logicæ, quæ inuentiua dicitur, vtiliſsima ad exercitium diſputationis eſt.

Nam

Nam hæc pars, inueniendis in vtramq; partem contradictorijs argumentis, cùm non è neceſſarijs procedat, idonea; cumq; ſit inquiſitiua, ad omnium methodorum principia viam habet.

2. Propoſitio Dialectica eſt interrogatio probabilis.

Probabile vocatur illud, quod omnibus vel pluribus, vel ſapientibus omnibus, vel pluribus, vel ſapientioribus videtur, vt: Videtúrne, omnes matres diligere liberos?

3. Problema Dialecticum eſt propoſitio, quæ proponitur ſub vtraque parte contradictionis.

Vt cùm dicitur: Vtrum anima ſit mortalis, vel non. Ita enim proponit, vt reſpondens eligat partem, quam tueri velit. Habet enim viam Dialecticus ad vtramq; partem.

4. Diſputationes ex problematibus, & propoſitionibus & ſyllogiſmis fiunt.

Diſputatio enim eſt actus ſyllogiſticus vnius ad alterum ad propoſitum oſtendendum, quod eſt vel propoſitio Dialectica, vel altera pars contradictionis, quæ eſt in problemate.

5. Problemata ſunt quatuor.

De vnaquaque enim re quæritur vel genus, vel differentia, vel definitio, vel proprium, vel accidens. Species enim non quæritur: quia quæreretur de indiuiduo. Sed de indiuiduis non eſt ars, cùm ſint infinita. Verùm de ipſa ſpecie

quæritur ſemper aliquid eorum, quæ dicta ſunt. Differentia autem computatur cum genere. Quia cùm per ſe non ſit definitio, tamen prædicatur ſubſtantialiter de ſpecie. Ideo quatuor ſunt prædicata, quæ de ſpecie quæruntur: Scilicet vnum ſimplex ſubſtantiale, & hoc eſt genus vel differentia: vnum compoſitum ſubſtantiale, hoc eſt definitio: Tertium accidentale; & ſi conuertitur cum ſpecie, eſt proprium: Si autem non conuertitur, eſt accidens. Itaque quatuor ſunt problemata, ſcilicet problema de genere, quo quæritur, vtrum hoc ſit genus huius, vel vtrum hæc duo ſint in eodem genere, vel diuerſo. Item problema de definitione, quo quæritur, vtrum hoc ſit definitio huius, vel non. Ad quod etiam reducitur problema, quo quæritur, vtrum hoc ſit idem huic, quia definitio & definitum idem ſunt. Et problema de proprio, quo quæritur, vtrum hoc ſit proprium huius vel non. Et problema de accidente, quo quæritur, vtrum hoc ſit accidens huius vel non: vel etiam, vtrum hoc ſit vel non ſit. Nam eſſe non ingreditur eſſentiam rei. Ad quod etiam reducitur problema comparationis, quo quæritur: vtrum hoc ſit melius, vel magis eligendum illo.

5 Tot ſunt propoſitiones, quot problemata.

Nam differunt ſolùm ſecundum formam, non autem ſecundum materiam. Fiunt enim ex eiſdem

eiſdem terminis, & in eadem materia. Hoc autem patet ex 2. & 3. concluſione.

7. Omnia problemata aliqualiter ad illud de definitione reducuntur.

Quia probato, quòd aliquid non ſit genus, vel differentia, vel quòd non inſit ſoli, vel quòd ſit accidens, vel quòd non inſit ſimpliciter, per eas probationes, per quas alia problemata determinantur, etiam probatum erit, quòd non eſt definitio. Non tamen ſi probetur, quòd aliquid non eſt definitio, vel etiam quod eſt definitio, cætera determinabuntur problemata.

8. Non omne problema, quod non eſt in terminis ſubſtantiæ, eſt problema de accidente.

In accidentibus enim ſunt genera, definitiones, & propria. Et ideo etiam in terminis accidentium fiunt problemata de genere, definitione, & proprio.

9 Omne problema eſt aliqualiter Dialecticum.

Problema enim Dialecticum illud eſt, quod rationes probabiles in vtramque partem habet. Problema igitur, quod ſit in rebus manifeſtis, quantum ad vnam partem, etſi ex parte materiæ non ſit Dialecticum, ex parte tamen formæ, id eſt, ex parte modi interrogandi eſt Dialecticum. Quia cùm proponit vtramq; partem, videtur habere viam ad vtramque.

10. Hæc ars, quæ eſt pars logicæ inuentiua, omnia problemata determinat, *Cùm*

Cùm enim ex probabilibus procedat, ad omnia viam habe., etiam ad prima ſcientiarum principia.

11. Non omnem poſitionem conſiderat Dialecticus.

Poſitionem appello opinionem extraneam alicuius philoſophi. Debet autem eas tantum Dialecticus conſiderare poſitiones, quæ aliquam dubitationem afferant, & quæ ſint probabiles; non verò manifeſtè falſas. Hæ enim ridendæ, non improbandæ ſunt.

12. Inſtrumentum Dialectici, ad determinandum problemata, non eſt ſyllogiſmus falſigraphus.

Syllogiſmus falſigraphus eſt, qui procedit ex ijs, quæ pertinent ad aliquam diſciplinam, non conuenienter ſumptis. Vt ſi quis ex hac propoſitione: Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, non ſunt æqualia: procederet ad aliud probandum in Geometria. Dialecticus enim ex probabilibus procedit, vt dictum eſt. Sed manifeſtè falſa non ſunt probabilia, vt ſunt ea, quæ ſunt contraria principijs ſcientiarum, ex quibus procedit ſyllogiſmus falſigraphus.

13. Nec eius inſtrumentum eſt litigioſus ſyllogiſmus.

Litigioſus ſyllogiſmus ille eſt, qui ex probabiliter apparentibus, cùm tamen non ſint, procedit: habetq́ aliquando veram formam, cùm eſt in modo, & in figura: Et tum ſyllogiſmus propter

tur-

formam eſt, ſed ex falſitate propoſitionis litigioſus. Aliquando quoque in forma peccat, & tunc litigioſus ſyllogiſmus quidem eſt, non autem ſyllogiſmus. Hic ergo non eſt inſtrumentum Dialectici: quoniam ex probabilibus non procedit.

14. Nec demonſtratio eſt eius inſtrumentum.

Quia demonſtratio neceſſarijs, & propoſitionibus immediatis conſtat, qualibus Dialecticus non vtitur.

15. Nec exemplum propriè eſt eius inſtrumentum.

Exemplum enim eſt ſyllogiſmus, quo vnum probamus per exemplum ſimile in altero. Vt ſi volo probare, quòd a pugnare contra b eſt malum: adducam ſimilitudinem aliorum duorum vicinorum, & dicam: p pugnare contra q eſt malum. Igitur & a pugnare contra b eſt malum. Et poteſt formari ſyllogiſmus ſic: P pugnare contra q eſt malum. Sed p pugnare contra q eſt vicinos pugnare contra vicinos: Ergo vicinos pugnare contra vicinos eſt malum. Eſt enim ſyllogiſmus in tertia figura expoſitorius. Vlterius ſic procedatur: Vicinos pugnare contra vicinos eſt malum. Sed a pugnare contra b eſt vicinos pugnare contra vicinos: Ergo a pugnare contra b eſt malum. Syllogiſmus eſt in prima figura. Hoc igitur modo fit ſyllogiſmus, qui exemplum dicitur, & eſt proprium inſtrumentum Poeticæ. Procedit enim de vno ſingulari ad alterum. Dialecticus autem determinat

minat vniuerſalia prædicata: vnde exemplum non eſt inſtrumentum Dialectici proprium, licet id aliquando à poëta mutuetur.

16. Nec Enthymema proprium eſt inſtrumentum Dialectici.

Enthymema autem eſt ſyllogiſmus ex icotibus & ſignis. Icos verò eſt propoſitio probabilis, vt in pluribus: vt, Omnis mater diligit filium. Signum autem eſt, quod præter ſpeciem, quam ſenſibus ingerit, defert in cognitionem alterius: vt fumus, qui eſt ſignum præſentiæ ignis. Et formatur ſyllogiſmus ſic: Omnis mater diligit filium: Medea eſt mater: Ergo diligit filium. Omnis mulier, habens lac, peperit. Sed hæc mulier habet lac: Ergo peperit. Frequenter tamen fit iſte ſyllogiſmus ex duabus propoſitionibus: Quia propoſito ſigno ſtatim infertur concluſio, vt: Thais habet lac: Ergo peperit. Vnde Enthymema definitur, quòd ſit oratio, in qua non omnibus propoſitionibus antepoſitis inferatur feſtinata concluſio: Et ſyllogiſmus nuncupatur imperfectus. Hic Rhetorum & cauſſidicorum eſt proprium inſtrumentum, qui communiter à ſignis probant. Non eſt ergo proprium Dialectici, quamuis aliquando hunc à Rhetore tranſumunt.

17. Proprium inſtrumentum Dialectici eſt inductio.

Inductio enim eſt ſyllogiſmus procedens ex ſingularibus collectis ad vniuerſalem. Vt hic

&

& iſte homo currit: Et hic & ille, & de ſingulis: Ergo omnis homo currit. Et formatur ſic ſyllogiſmus: Omnes iſti currunt. Omnes homines ſunt iſti. Ergo omnes homines currunt. Et valet iſte ſyllogiſmus ad probandum propoſitiones, quas non poſſumus vel neſcimus per medium notius probare. Tum enim per omnia ſingula diuiſim oſtendimus, quod dicimus. Unde propriè pertinet ad Dialecticum, qui non aſſumit propoſitiones neceſſarias, nec per ſe notas, nec demonſtratiuè probat; Sed aſſumit propoſitiones probabiles, quæ frequenter non poſſunt per aliud notius probari, nec ſunt per ſe notæ. Unde eas inductione probet, neceſſe.

18. Maximè proprium eius inſtrumentum eſt ſyllogiſmus ex probabilibus.

Quæ ſint probabilia, dictum eſt in 2. concluſione. Cùm enim Dialecticus non procedat, niſi ex probabilibus: nullum inſtrumentum poteſt eſſe ei magis proprium ad determinandum problemata, quàm ſyllogiſmus ex probabilibus.

19. Inſtrumenta, ad abundandum ſyllogiſmis, ſunt quatuor.

Primum eſt, inueniendi multas propoſitiones ſcientia: Quibus qui abundare vult, eas ſumat, quæ omnibus, vel pluribus, vel ſapientibus videntur: vel maximè notas, vel contrarias probabilibus, vel illis ſimiles: Item opiniones philoſophorum in vnaquaq; ſcientia, Habetq; farraginem definitionũ

&

22. Locus eſt ſedes argumenti.

Eſt enim argumentum ratio rei dubiæ faciens fidem. Et propriè eſt virtus medij,quo extrema coniunguntur. Vis autem hæc accipitur ab aliqua propoſitione notiſſima. Et hæc dicitur locus, in quo reſidet argumentum & conſeruatur. Vt ſi arguo: Omne animal eſt ſubſtantia: Ergo omnis homo eſt ſubſtantia: Animal eſt argumentum in iſta conſequentia ſeu argumentatione, hoc eſt, eſt medium habens virtutem inferendi illam concluſionem, quam virtutem accipit ab iſta nota propoſitione: Omnis homo eſt animal. Virtus ergo iſtius medij dicitur in ea requieſcere, & conſeruari, ſicut in loco. Locus igitur dicitur argumenti ſedes.

23. Locus maxima,& locus differentia maximæ differunt.

Locus enim, qui maxima dicitur, eſt ipſa propoſitio notiſſima, à qua ſumitur virtus argumenti. Locus autem,qui dicitur differentia maximæ, eſt id, quo vna maxima differt ab altera, & eſt habitudo terminorum, qui ponuntur in maxima. Si quis enim dicit: De quocunque prædicatur definitio, & definitum: Maximam dicit. Differentia autem maximæ eſt habitudo definitionis & definiti, ſiue definitio & definitum, per quæ prædicta maxima differt ab iſta: De quocunque prædicatur ſpecies, & genus. Cuius differentiæ maximæ ſunt iſti termini, genus, & ſpecies. In vtroque autem loco ſedet argumentum. Ad

K deter-

Et quicquid prædicatur vel remouetur ab omnibus partibus ſimul ſumptis, & à toto. Hoc patet cōparando partes ad totum, & totum ad partes: vt hoc totum, omnis homo, ad ſingulos homines particulares. In toto in modo, quod eſt vniuerſale ſine determinatione, locus eſt, quòd de quocunque prædicatur pars in modo, & totum. Et à quocunque remouetur totum, & pars. Hoc patet in hoc verbo currit, & currit velociter. In toto autem in loco, quod eſt dictio comprehendens omnem locum, locus eſt. Cuicunque conuenit totum, & pars. Et à quocunque remouetur pars, & totũ. Et hoc patet in ijs terminis, vbique, & in aliquo loco. toto etiam in tempore, quod eſt dictio comprehendens omne tempus, idem eſt, vt patet in ijs terminis, ſemper & in aliquo tempore. Similiter à cauſſa efficiente locus eſt: Poſita cauſſa, ponitur effectus, Et econuerſo: Si tamen effectus ab ea in eſſe, & in fieri dependeat. Aliter regula tantùm eſt probabilis. A cauſſa autem materiali ſic: Poſita cauſſa materiali, poteſt poni eius effectus: Et ea remota, eius effectus remouetur, vt patet in pane & farina. Et poſito effectu, neceſſe eſt materiam præfuiſſe. In materia tamen, quæ permanet & non tranſit, vt in ferro, ita poſito effectu, ponitur eius cauſſa materialis. A cauſſa formali hoc modo: Poſita cauſſa, ponitur effectus, Et ea remota, remouetur: Et econuerſo, vt patet in anima plantæ, & ipſa planta. A cauſſa autem finali hoc pacto: Cuius finis

eſt bonus vel malus,& ipſum quoque eſt bonum vel malum : Et econuerſo. A generatione verò ſic : Cuius generatio eſt bona vel mala, & ipſum quoque eſt bonum vel malum, & econuerſo. A corruptione autem : Cuius corruptio eſt bona, ipſum eſt malum: Et econuerſo. Et cuius corruptio eſt mala, ipſum eſt bonum: Et econuerſo. Ab vſu ſic: Cuius vſus eſt bonus vel malus,& ipſum quoque eſt bonum vel malum. Ab accidentibus communibus, quæ ſeſe ſemper conſequuntur, ita: Si poſterius ineſt, & primum. Si autem primum non ineſt, nec etiam poſterius. Quædam igitur horum pertinent ad ſubſtantiam: quædam verò ſubſtantiam conſequuntur, vel per ſe, vel per accidens.

25. Loca quoque communia extrinſeca multa ſunt.

Quædam ſunt ab oppoſitis. In relatiuè igitur oppoſitis taliter: Poſito vno, aut remoto vno, ponitur vel remouetur reliquum: & econuerſo. In contrarijs mediatis & immediatis, poſito vno remouetur & reliquum. In immediatis ſolùm remoto vno, ponitur reliquum, ſtante ſubiecto. In priuatiuè oppoſitis: poſito vno remouetur reliquum. Et in ſubiecto apto nato, remoto vno, ponitur reliquum. A contradictorijs: Si vnum eſt verum, reliquum eſt falſum: Et econuerſo. A diſparatis in abſtracto: De quocunque dicitur vnum, ab eodem remouetur reliquum: Et econuerſo. Dico autem, In abſtracto. Nam in concreto homo

eſt

eſt albus, & etiam quantus. Quædam autem non ab oppoſitis ſumuntur, ſed alio modo, vtputa à maiori ſic: Illud, cui aliquid magis videtur ineſſe, ſi non ineſt, nec inerit, quod minus ei videtur ineſſe. Vel: Quod magis videtur eſſe, ſi non eſt: nec quod minus. Vel: De quo magis videtur eſſe aliquid, & non eſt illud: Ergo nec de quo minùs. A minori verò ſic: Si cui aliquid minus videtur ineſſe & ineſt: Ergo & cui magis. Et ſic de alijs affirmatiuè. A ſimili: De ſimilibus idem eſt iudicium. A proportione: De proportionatis idem eſt iudicium. Ut ſi rector nauis eſt eligendus arte, non ſorte: Etiam ſcholæ Magiſter eſt arte, non ſorte eligendus. Quia ſicut rector ſe habet ad nauim: ita Magiſter ad ſcholas. A tranſumptione, videlicet, quando nomen minùs notum declaratur per nomen magis notum, quodcunque ſit illud, ita: Quod alicui conuenit ſub nomine magis noto: eidem conuenit ſub nomine minùs noto. Ab auctoritate: Unicuique experto in arte ſua credendum eſt.

26. Loca media ſunt maximè tria.

Media ideo dicuntur, quia nec omnino extrinſeca ſunt, nec omnino intrinſeca. Et ſunt primò ſumpta à coniugatis. Sunt autem coniugata ea, quorum vnum ab altero denominatur. Locus ſic ſumitur: Quod vni coniugatorum ineſt, & reliquo. Et ſi vnum coniugatorum ineſt, & reliquum. Vt ſi iuſtitia eſt bona, & iuſtus eſt bonus: Et econuerſo. Secundò à caſibus. Dicitur autem

caſus id, quod à nomine principali cadit in fine: vt à iuſtitia cadit iuſtus, & iuſtè. Vnde iuſtè dicitur caſus. Et locus eſt idem cum illo de coniugatis: vt ſi iuſtum eſt bonum, & iuſtè eſt bene: Et econuerſo. Tertiò à diuiſione. Sed de ijs ſufficienter dictum eſt libro ſecundo.

27. Non oportet in his ſumere propoſitiones in omnibus veras.

Dialecticus enim non eſt demonſtrator, Sed ex probabilibus procedit. Probabiles autem propoſitiones non ſunt ſemper veræ in omnibus.

28. Problema de accidente multis regulis ſpecialiter determinari poteſt.

Sunt enim regulæ ad conſtruendum, quod hoc eſt accidens huius, & ſunt regulæ ad deſtruendum. Sed faciliùs deſtruitur, vt dictum eſt. Ad conſtruendum ſic. Si poteſt adeſſe & abeſſe præter ſubiecti corruptionem, ſi neque eſt genus, nec ſpecies, neque differentia, neque proprium, & ineſt: Si aliquid eſt, & non eſt ſubſtantia: Si in altero eſt, & non eſt pars eius: Et ſi eſt, & non per ſe exiſtit: Neque eſt pars: Dico quòd hoc tale eſt accidens. Similiter ſi eſt in aliquo prædicamento accidentis. Si genus eius eſt accidens, ſi eius contrarium eſt accidens. Deſtructiuè autem ſic. Non eſt accidens, ſi illi non competit definitio accidentis: Si eſt pars alterius: Si eſt per ſe: Si nulla ſpecies eius eſt accidens, vel nullum indiuiduum ei ſubiectum: Si genus eius non eſt accidens: Si idem aſſignatur ſibiipſi accidens

mutato nomine: Si contrarium ineſt illi ſubiecto, cui aſsignatur accidens: Si dat eſſe ſimpliciter: Si ſubiectum non eſt ſuſceptibile contrarij: Si habet generationem vel corruptionem per ſe: Si nihil eſt: Si non eſt illud, quod ex neceſſitate ſequitur ex eo: nec ipſum eſt aliquid: Si coniugatum eius non eſt: Si contrarium non eſt in contrario. Nam ſicut oppoſitum in oppoſito: Sic & propoſitum in propoſito. Si enim iuſtitia eſt bona: Iniuſtitia eſt mala. Et ſicut ſimpliciter ſe habet ad ſimpliciter: ita & magis ad magis, & maximè ad maximè. Si enim album diſgregat viſum: Et magis album diſgregat, & maximè album maximè.

29. Problema ſecundum comparationes etiam ſpecialiter determinari poteſt.

Quæritur enim, vtrum hoc ſit melius altero, vel magis eligendum eo, vel non. Oportet autem tradere regulas, non in his, quæ nota ſunt, ſed quæ difficultate laborant. Illud igitur eſt melius, vel magis eligendum altero, quod diuturnius eſt, quod certius, quodq́ magis eligit prudens, vel vir bonus, aut iuſta lex, vel ſtudioſus circa ſingula, vel magis ſciens in illo genere, quod item in digniori diſciplina, quod propter ſe, quàm quod eſt propter aliud, quódque magis cauſſa boni per ſe, & mali cauſſa per accidens, quàm cauſſa boni per accidens, & cauſſa mali per ſe. Item quod eſt ſimpliciter bonum, quàm quod ſecundum quid: quod honorabilius, & quod finis eſt, quod

propinquius fini, & cuius finis eſt melior; quod laudabilius, & cuius conſequens eſt magis bonum: & plura bona paucioribus: quodq́ magis abſque triſtitia, & vnumquodque quo tempore magis valet: idq́ magis, quod omni tempore, quàm id, quod certo tantùm tempore valet. Illud item, cuius corruptio magis fugienda, & generatio magis deſideranda: quod proximius optimo, ſimilius meliori, & quod faciliùs obtineri & conſeruari poteſt: & quo meliùs poſſimus frui, eodemq́ cum bona aut nulla circumſtantia: Vt bene viuere meliùs, quàm ſolùm viuere. Et illud, ſine quo alterum eſſe non poteſt, quàm illud, quod ſine eo eſſe non poteſt. Id etiam, quod vt videatur nobis ineſſe, negamus alterum: vt ſtudere negamus aſſiduè, vt videamur ingenioſi. Eſt ergo magis eligendum ingenioſum eſſe. Item id, cuius vſus eſt magis eligendus, vel actus, & quod appoſitum alteri, facit magis bonum: & quo remoto, illud remanet minùs bonum. Et quod eſt propter ſe bonum magis, quàm quod propter gloriam. Et quod ad plura eſt vtile, & quod minùs impedit bonū. Quod indubitanter eligi poteſt, quàm quod cum formidine eligitur. Hæ autem omnes regulæ & ſimiles, cū hac accipiendæ conditione: Si cætera ſunt paria. Nam diſparitas aliarum circumſtantiarum variat regulam. Monetor tamen, ex his quid ſimpliciter, vel non eligendum, haberi poſſe.

30. Problema quoque de genere multis regulis determinari poteſt.

Conſtructiuè ſic. Hoc eſt genus, ſi prædicatur

tur de pluribus differentibus ſpecie, in eo, quod quid, ſi vniuocè prædicatur in quid, & non eſt ſpecies ſpecialiſſima: Si diuiditur per ſe in differentias contrarias, vel ſpecies: Si eſt relatiuum ſpeciei: Si in vera definitione ponitur in primo loco. Item ſi vnum coniugatorum eſt genus alicuius, & reliquum erit genus coniugati illius. Si vnum oppoſitum priuatiuè eſt in genere oppoſito, illud, quod fuit aſſignatum pro genere alterius oppoſiti, eſt verè genus. Et ſi in contradictorys a eſt genus b: non b erit genus, non a. Deſtructiuè autem ſic: Si non prædicatur de pluribus differentibus ſpecie. Si non prædicatur in quid: Si non prædicatur vniuocè: Si prædicatur ſecundum magis & minùs. Si prædicatur ſolùm de differentibus numero. Si non diuiditur per ſe: Si non diuiditur in differentias vel ſpecies: Si in vera definitione non ponitur primo loco: Si non eſt genus alterum coniugatorum, nec alterum erit genus. Si participat ſpeciem, id eſt, ſi ſuſcipit rationem eius, quod aſſignatur ei pro ſpecie. Si propriè de differentys prædicatur. Si non prædicatur in quid de contentis ſub ſpecie. Si ſolùm vnam ſpeciem continet. Si non eſt in eodem prædicamento cum ſpecie. Si nec eſt generaliſſimum, nec ſubalternum. Si poteſt ſeparari à ſpecie. Si non eſt prius ſpecie. Si non poteſt intelligi, non intellecta ſpecie. Si per accidens de ſpecie prædicatur. Si conuertitur cum ſpecie. Si ipſo deſtructo, remanet ſpecies. His & huiusmodi regulis vel locis problema de genere determinatur.

31. Problema de differentia etiam multis regulis determinatur.

Conſtructiuè ſic. Si prædicatur de pluribus differentibus ſpecie, in quale ſubſtantialiter. Si diuidit per ſe genus. Si conducit ſpeciem ad eſſe. Si coniuncta generi conſtituit ſpeciem. Si facit aliud. Si ponitur in vera definitione. Deſtructiuè autem ſic: Si non facit differre. Si non prædicatur. Si non prædicatur in quale. Si non prædicatur ſubſtantialiter. Si non facit aliud. Si non diuidit genus per ſe. Si non conducit ad eſſe. Si non conſtituit ſpeciem coniuncta generi. Si non ponitur in definitione. Si ea non abundat ſpecies, à genere. Si nòn ſe habet, vt forma determinans genus. Si genus de ea prædicatur. Si prædicatur ſecundum magis & minùs. Si non prædicatur ſecundum eandem rationem. Et hoc modo determinatur problema de differentia, quod comparatur cum genere.

32. Problema de proprio multis regulis determinatur.

Per proprium autem nunc intelligimus illud, quod omni & ſoli & ſemper ineſt. ſiue per ſe acceptum, ſiue in deſcriptione: vt proprium dicamus eſſe deſcriptionem, in qua eſt genus & proprium. Conſtructiuè ergo ſic: Si omni & ſoli ſemper ineſt; ſi cauſſa eius immediata eſt eſſentia rei, cuius eſt proprium. Si demonſtrari poteſt de ſubiecto. Si per ſe ineſt, & conuertibiliter prædicatur, & non eſt ſubſtantia rei. Si poſito ſubiecto ponitur ipſum;

ipſum:& econuerſo.cum non ſit ſubſtantia. Deſtructiuè ſic: Si non conuenit omni, ſi non ſoli, ſi non ſemper, ſi non proficiſcitur ab eſſentia rei, ſi de ſubiecto demonſtrari nequit, ſi eſt ſubſtantia rei, ſi poteſt ſeparari à ſubiecto, etiam ſecundum intellectum. Item ſi vnus caſus eſt proprium alterius caſus, & caſus ei correſpondens erit proprium correſpondentis. His igitur & ſimilibus maximis determinatur problema de proprio.

33. Problema de definitione multis quoque regulis determinatur.

Conſtructiuè ſic: Si eſt oratio indicans eſſentiam rei, Si oratio compoſita ex proprio genere, & propria differentia eius, quod definitur. Si medium in vera demonſtratione. Deſtructiuè autem ita: Si non eſt oratio. Si non ſignificat eſſentiam. Et breuiter ſi non ſeruat regulas, quas poſuimus in 3. lib. Volumus enim nunc pro breuitate illas ſufficere ad determinandum problema de definitione. Multò enim plures regulæ poſſent poni ad determinandum hæc problemata. Sed poſitæ hæ faciliores ſunt & frequentiores.

34 Problema quoque de eodem & diuerſo multipliciter determinatur.

Idem autem tripliciter dicitur. Primò genere: Nam ea ſunt idem genere, quæ ſunt ſub eodem genere. Secundò ſpecie: Quia ea ſunt idem ſpecie, quæ ſunt ſub eadem ſpecie. Tertiò numero. Ea enim ſunt idem numero, quorum res eſt vna; Et hæc etiam tripliciter dicuntur. Primò definitione

finitione. Nam definitio & definitum ſunt eadem numero. Secundò deſcriptione vel proprio. Quia proprium, & id, cuius eſt proprium, ſunt eadem numero. Tertiò accidente: vt Socrates & Philoſophus ſunt idem numero: vel Cicero & Orator. Conſtructiuè ergo ſic: Ea ſunt eadem genere, vel ſpecie, vel numero, quæ ſunt in eodem genere, vel in eadem ſpecie, vel quorum vnum eſt definitum, vel deſcriptum, vel ſubiectum: & alterum definitio, deſcriptio, vel accidens illius ſubiecti. Deſtructiuè autem probantur ea eſſe diuerſa, quæ hoc modo non ſe habent. Item ſi caſus eſt idem caſui, & correſpondens caſus correſpondenti. Item ſi duo ſunt idem numero, eorum ſunt eadem generationes & corruptiones. Et ſi vnum alicui tertio accidit, & alterum: Et ſi vnum ſuſcipit magis & minùs, & alterum: Et ſi vnum eſt in vno prædicamento, & alterum: Et quod opponitur vni, & alteri: Et quod aufertur ab vno, & altero. His & ſimilibus regulis vtimur in determinatione problematis de eodem, & diuerſo, quod ad problema de definitione reducitur.

35. His & ſimilibus locis abundare diſputanti vtiliſsimum.

Si enim vices opponentis geſſerit, inuenire multa, ad propoſitum oſtendendum, argumenta poterit. Non autem ſolicitus ſit, omni ſenſui veras offerre propoſitiones: ſed probabilibus, ſiquidem Dialecticus, contentus ſit: Coneturq́ ad eas reſpon-

reſpondentem partes abducere, contra quas facilè poſſit arguere. Sin locum reſpondentis tenuerit, ad diſtinguendas propoſitiones per hæc loca erit idoneus. Cauebit autem, ne in allegatione falſorum locorum decipiatur. Qua de re pleniùs in ſequenti libro. De ſyllogiſmo igitur Dialectico, locisq; topicis hæc dicta ſint.

DE SYLLOGISMO SOPHISTICO.

LIBER DECIMVS.

Summa & diſpoſitio libri X.

QVia non ſufficit ſcire modum arguendi pro veritate inquirenda, qui fit per ſyllogiſmum demonſtratiuum & Dialecticum; niſi & Sophiſtarum fallacias euadere diſcamus: Conuenienter agit autor de ſyllogiſmo ſophiſtico poſt demonſtratiuum & Dialecticum, hoc ordine. Nam primò præmittit quædam quaſi præludia. Secundò de fallacijs in dictione, quæ ſunt primæ fallaciæ: Tertiò de fallacijs extra dictionem, ad quas omnes fallaciæ reducuntur, agit. Quoad primum, oſtendit primò, quid ſit diſputatio in communi, in 1. concluſione, Secundò, ſuppoſita

poſita eius diuiſione, declarat ſingulas eius ſpecies, vſque ad ſophiſticam, de qua intendit in 2.3.4.& 5. Et quia diſputatio ſophiſtica intendit ducere reſpondentem ad metam aliquam, tertiò quot hæ ſint, in 6. oſtendit: in 7. quæ requirantur ad locum ſophiſticum, ſubiungens, à quo ſumat argumenta. Quoad ſecundum, primò de fallacijs in dictione, quæ ſunt quinque numero, ab 8. vſq; ad 12. agit. Secundò, quia ad vltimam dictarum reducuntur fallaciæ ex varia ſuppoſitione prouenientes, breuiter de ſuppoſitione tractat: Declarando quid ſit, per comparationem ad ſignificationē in 13. quomodo cognoſcatur, in 14: Et quæ fallacia ſit ex varia ſuppoſitione, in 15. Tertiò ſubiungit tres regulas circa declarationem terminorum, ex quorum varia expoſitione ſolent ſophiſtæ multas deceptiones formare. Prima eſt, quomodo exponendi ſunt termini, in 16. Secunda de caſu poſsibili, in 17. Tertia de inſolubili, in 18. Quoad tertium agit de fallacijs extra dictionem, quæ ſunt ſeptem, à 19. vſque ad finem libri: nec intereſt, quo ordine collocentur.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Diſputatio eſt actus ſyllogiſticus vnius ad alterum, ad propoſitum oſtendendum.

Actus ſyllogiſticus dicitur, quia diſputatio eſt quidam actus, cuius inſtrumentum eſt ſyllogiſmus,

mus. Unius ad alterum additur, quia ad ſeipſum, non eſt propriè diſputatio.

2. Diſputatio doctrinalis eſt, quæ procedit ex veris, & per ſe notis, ad ſcientiam generandam.

Et hæc dicitur etiã diſputatio demonſtratiua, cuius inſtrumentũ eſt demonſtratio. Et verſatur inter diſcentem & docentem, cuius finis eſt ſcientia.

3. Diſputatio dialectica eſt, quæ procedit ex probabilibus ad opinionem generandam.

Inſtrumentum enim eius eſt ſyllogiſmus Dialecticus, cuius finis eſt opinionem gignere.

4. Diſputatio tentatiua eſt, quæ procedit ex ijs, quæ experimentum ſumunt de reſpondente.

Tentare enim eſt experimentum ſumere de doctrina, vel voluntate, vel potentia alterius. Huius igitur diſputationis finis eſt tentatio vel experimentum.

5. Diſputatio ſophiſtica eſt, quæ procedit ex ijs, quæ apparent vera vel probabilia, cùm tamen non ſint gratia victoriæ.

Arguit enim ex falſis, vel virtute falſarum propoſitionum, vel etiam verarum in ſyllogiſmo ſophiſtico, forma peccante, cuius finis eſt gloria. Sophiſta enim ſapiens videri vult: vnde apparentem, contra aduerſarium, quærit victoriam. Id quod cõſequitur, ſi apparenter ipſum deducat ad aliquod inconueniens, quod meta ſeu terminus diſputationis vocatur. Et ſunt quinque metæ, ad quas conatur ſophiſta adducere reſpondentem. Metæ

dum ſyllogiſmo eſt vnitas huius vocis canis. Cauſſa verò non exiſtentiæ ſeu principium defectus eſt multiplicitas ſignificationis eius. Iſta ergo apparentia aliquando eſt ex parte dictionis, aliquando ex parte rei. Unde quædam dicuntur ſallaciæ in dictione, quædam extra dictionem. Sed hoc erit manifeſtum in ſequentibus, incipiendo ab ijs, quæ ſunt in dictione, quæ ſunt ſex: Æquiuocatio, Amphibologia, Accentus, Compoſitio, Diuiſio & Figura dictionis.

8. Fallacia æquiuocationis eſt deceptio, ex eo, quòd vnum nomen plurima ſignificat, proueniens.

Principium ergo motiuum eſt vnitas dictionis ſimpliciter. Addo autem, ſimpliciter, ad differentiam accentus, qui in eadem voce, ne ſit dictio ſimpliciter, efficit. Principium autem defectus eſt diuerſitas rerum ſignificatarum: Et fit tripliciter: Primò, quando vna dictio plura ſignificat principaliter, vt hæc dictio, canis. Et ſic formatur paralogiſmus, id eſt, apparens ſyllogiſmus. Omnis canis eſt latrabilis. Sydus cœleſte eſt canis: Ergo ſydus cœleſte eſt latrabile. Secundò, quando vna dictio vnum principaliter ſignificat, & aliud metaphoricè vel tranſumptiuè, vel per poſterius, & formatur hoc modo: Quicquid ridet, habet os. Pratum ridet. Ergo pratum habet os. Vel: Omne ſanum habet vitam. Vrina eſt ſana: Ergo vrina habet vitam. In præpoſitionibus quoque inuenitur hæc multiplicitas, vt ſi dicitur: In quo-

cunque eſt ſanitas, ipſum eſt animal. Sed in adæquatione humorum eſt ſanitas: Ergo adæquatio humorum eſt animal. Nam hæc præpoſitio, In, in prima ſignificat habitudinem accidentis ad ſubiectum: In ſecunda verò habitudinem effectus ad cauſſam. Tertiò, quando diuerſitas ſignificationis procedit ex accidentibus partium orationis: vt ſecundum tempus, vel ſecundum numerum, vel aliter, vt dicendo: Quicquid *ſurgebat, ſtat. Sed ſedens ſurgebat: Ergo ſedens ſtat; non ſequitur: Quia in minore participium ſumitur in præterito imperfecto, vt intelligatur ſedens, id eſt, ille qui erat ſedens: Et in concluſione ſumitur in præſenti. In omnibus ergo vnitas dictionis eſt cauſſa apparentiæ, & diuerſitas ſignificatorum cauſſa non exiſtentiæ.*

9. Fallacia Amphibologiæ eſt deceptio, quando vna oratio penitúſque eadem, plura ſignificat, emergens.

Dicitur autem, penitus eadem, ad differentiam orationis, quæ poteſt eſſe compoſita & diuiſa, quæ non eſt penitus eadem, vt mox dicetur. Vnitas ergo dictionis eſt principium motiuum: Principium autem defectus eſt diuerſitas ſignificatorum: Et tripliciter fit: Primò, quando vna oratio plura ſignificat principaliter manente eadem conſtructione, vt: Quicquid eſt Ariſtotelis, eſt poſſeſſum ab Ariſtotele. Iſte liber eſt Ariſtotelis: Ergo iſte liber eſt poſſeſſus ab Ariſtotele. Secundò, quando plura ſignificat oratio propter diuerſam conſtructionem

ctionem partium, ſc. tranſitiuam, vel intranſitiuam. Vt: Quicunq; *ſunt epiſcopi, ſunt homines. Sed iſti aſini ſunt epiſcopi: Ergo iſti aſini ſunt homines. Tertiò, quando vna oratio vnum principaliter ſignificat, & alterũ tranſumptiuè. Vt: Quandocunq; littus aratur, terra ſcinditur. Sed quando indocilis docetur, littus aratur: Ergo quando indocilis docetur, terra ſcinditur. Nullus iſtorum ſyllogiſmorũ eſt bonus propter diuerſitatem ſignificatorum.*

10\. Fallacia Compoſitionis & Diuiſionis eſt deceptio, ex multiplicitate potentiali vnius orationis proueniens.

Dicitur autem oratio multiplex potentialiter, quando dictiones, quæ ſunt in ea, poſſunt cõponi diuerſimodè ad inuicem. Vt : Quicquid viuit, ſemper erit. Poteſt hæc dictio, Semper, componi cum hoc verbo, viuit, poteſtq; ab eo diuidi, & componi cum hoc verbo, Erit : per quod longè diuerſam habebit à prima ſignificationem. Cauſſa ergo apparentiæ eſt vnitas orationis potentialis. Cauſſa verò non exiſtentiæ eſt multiplicitas ſignificationis. Tum autem fallacia compoſitionis eſt, quando oratio illa eſt falſa in ſenſu compoſito : Quando verò eſt falſa in ſenſu diuiſo, eſt fallacia diuiſionis. Si autem in vtroque ſenſu eſt falſa, nulla eſt fallacia. Fitq; item tripliciter : Primò, quando aliquod dictum poteſt ſupponere verbo ratione ſui ipſius, & ratione ſuæ partis. Fitq; in propoſitionibus modalibus. Vt: Quemcunq; eſt poſſibile eſſe album, poſſibile eſt, quòd ſit albus. Sed nigrũ poſſi-

bile eſt eſſe album: Ergo poſſibile eſt, quòd niger ſit albus. Si enim in minore illud dictum, nigrum eſſe album, ſupponat ei, quod eſt eſſe poſſibile, ratione ſubiecti: tunc eſt modalis de re, & eſt in ſenſu diuiſo, & vera: Senſusq; eſt, quòd ille, qui eſt niger, habet potentiam, vt ſit albus. Si autem ſupponat ratione ſui, id eſt, ratione totius, tum eſt modalis de dicto, & compoſita & falſa. Significat enim, quod hoc dictum eſt poſſibile: Nigrum eſt album. Quare eſt fallacia compoſitionis. Secundò, quando prædicato in quo, per coniunctionem copulatiuam vel diſiunctiuam plura adunantur, poteſt attribui ſubiecto coniunctim vel diuiſim. Quia ſi coniunctim attribuitur, tunc eſt in ſenſu compoſito: Si verò diuiſim, in ſenſu diuiſo. Vt. Quæcunque ſunt duo & tria, ſunt duo. Sed quinque ſunt duo & tria: Ergo quinque ſunt duo. Tertiò quando vna dictio poteſt coniungi diuerſis dictionibus, in locutione poſitis, ea, ſi illi, cui magis apta videtur, coniungatur, erit compoſita: aliter foret diuiſa. Vt: Quicquid viuit, ſemper erit. Sed aſinus viuit: Ergo aſinus ſemper erit. Nota autem, obliquos & aduerbia magis determinare verbum quàm participium: & magis verbum principale, quàm ſecundarium. Igitur quando compoſitio eſt falſa, eſt fallacia compoſitionis. Quando verò diuiſio falſa, fallacia diuiſionis eſt.

11. Fallacia accentus eſt deceptio, proueniens ex eo, quòd aliqua dictio, diuerſimodè pronunciata, diuerſa denotat.

Princi-

Principium motiuum eſt vnitas materialis dictionis: Principium autem defectus eſt diuerſitas ſignificationis, ex diuerſa pronunciatione pendens. Fit autem quadrupliciter: Primò ſecundum diuerſos accentus, qui ſunt tres, ſc. acutus, grauis, & circumflexus. Ut: Quoſcunque iuſtum eſt pendere, iuſtum & pati pœnam. Sed iuſtum eſt bonos viros pendere: Ergo iuſtum eſt bonos viros pati pœnam. Secundò ex productione vel correptione ſyllabæ. Ut: Omnis populus eſt arbor. Aliqua gens eſt populus: Ergo aliqua gens eſt arbor. Tertiò ex lenitate vel aſperitate ſyllabæ. Ut: Quicquid hamatur, hamo capitur. *Sed vinum amatur: Ergo vinum hamo capitur. Quartò ex ſeparatione aut coniunctione vnius dictionis. Ut: Tu es qui es. Sed quies eſt requies: Ergo tu es requies. Denominatur autem hæc fallacia ab accentu, tanquam à prima & principali eius ſpecie.*

12. Fallacia figuræ dictionis eſt deceptio proueniens ex eo, quòd aliqua dictio, ſimilis alteri dictioni, videtur habere eundem modum ſignificandi, cùm tamen minimè habeat.

Cauſſa apparentiæ eſt ſimilitudo vnius dictionis cum alia. Cauſſa verò non exiſtentiæ eſt diuerſus ſignificandi modus. Et tripliciter fit. Primò, quando dictio, quæ ſignificat maſculinum, ſumitur ad ſignificandum fœmininum, vel neutrum, vel commune, & econuerſo. Ut: Quæcun-

quæ colorantur albedine,ſunt alba. Sed catilina coloratur albedine : Ergo catilina eſt alba. Secundò, quando dictio,quæ ſignificat per modū vnius prædicamenti,videtur ſignificare per modū alterius. Vt: Quicquid heri vidiſti, hodie vides. Sed heri vidiſti album : Ergo hodie vides album. Mutatur enim quid in quale. Tertiò,quando dictio,quæ ſignificat quale quid,id eſt, naturam communem, videtur ſignificare hoc aliquid propter ſimilitudinem, quam habet communem cum ſingularibus. Vt : Socrates eſt alter ab homine. Sed Socrates eſt homo: Ergo Socrates eſt alter à ſeipſo. Et ad hunc modum omnis deceptio reducitur, quæ prouenit ex varia ſuppoſitione terminorum. Vt verò res magis pateat : aliquid hoc loco de ſuppoſitionibus dicemus.

13. Suppoſitio & ſignificatio differunt.

Significare enim eſt, aliquid intellectui repræſentare. Vnaquæque autem res ſeipſam repræſentat : Et ideo vnaquæque vox ſignificatiua aliqualiter duo ſignificat, videlicet ſeipſam, & hoc ſignificatum dicitur materiale : vel illud, ad quod ſignificandum eſt impoſita, diciturq́ hoc ſignificatum formale : Quod aliquando eſt principale, aliquando ſecundarium. Vt hæc vox, Homo, materialiter ſeipſam repræſentat: Formaliter autem ſignificat naturam humanam, ſecundum ſe, id eſt, hominem. Et hoc eſt eius ſignificatum principale. Ex conſequenti autem & ſecundario

rio ſignificat Socratem vel Platonem: Quia homo non poteſt eſſe, niſi in ſingularibus hominibus. Hoc igitur eſt ſignificare. Supponere autem eſt determinare dictionem ad aliquod iſtorum ſignificatorum, vel etiam ad plura: Et hoc non fit, niſi in propoſitione. Verbi gratia. Hæc vox, Homo, poteſt determinari ad ſignificatum materiale; Vt cùm dicitur: Homo eſt nomen: Et tunc ſubſiſtit vel ſupponit materialiter. Vel etiam ad ſignificatum formale principale, id eſt, ad naturam humanam. Et ſi determinetur ad eam, prout eſt in intellectu: vt cùm dico: Homo eſt ſpecies, tunc ſupponit pro ipſa natura humana, in quantum eſt intellecta, quam quoque ſuppoſitionem quidam vocant materiale. Si autem determinetur ad ipſam ſecundum ſe, vt cùm dico: Homo eſt animal ratione; tunc ſupponit pro natura humana ſimpliciter. Quam ſuppoſitionem quidam vocant ſimplicem. Sin ad eandem, prout eſt in indiuiduis, determinetur, vt cùm dico: Homo currit: hanc ſuppoſitionem quidam vocant perſonalem. Si verò determinetur ad ipſam, prout eſt in vno determinato ſolo indiuiduo, tunc ſupponit pro illo tantùm, vt cùm dicitur: Iſte homo currit. Et dicitur hæc ſuppoſitio diſcreta. Vlterius ſi determinetur, prout eſt in aliquo indiuiduo, non determinando, quod ſit illud; tunc ſupponit pro aliquo particulari, vt, aliquis homo eſt albus. Et hanc vocant quidã ſuppoſitionem determinatam.

Sed ſi determinetur, prout eſt in omnibus indiuiduis, negando vel affirmando, tunc ſupponit pro omnibus, vt: Omnis homo currit. Et ſuppoſitio hæc dicitur diſtributiua. Poſtremò ſi determinetur ad ipſam, prout eſt in indiuiduis, non explicando, an ſit in omnibus, vel in pluribus, vel in aliquo definitè: Tunc ſupponit pro indiuiduis confuſè acceptis, vt cùm dico: Homines morientur in bello, dicitur ſuppoſitio confuſa. Et ſi poſſumus ab illa confuſione ad aliquod determinatum ſuppoſitum deſcendere, tunc dicitur ſupponere confuſè & mobiliter, vt in prædicto exemplo. Nam vel iſti morientur in bello, vel illi. Si autem non poſſumus deſcendere, tunc ſupponit immobiliter, vt: Iſti homines ſunt duodecim. Non enim licet deſcendere ad aliquem ipſorum, & dicere: Vel hic, vel iſte eſt 12. Patet ergo, quid ſit ſupponere: Et qualiter ſupponere & ſignificare differant. Nam in omnibus propoſitionibus deſcriptis homo ſemper idem ſignificat. Non enim variat ſignificatum, cùm terminus ponitur in propoſitione: Imò vt dicit Ariſtoteles in libro περὶ ἑρμηνείας, *nomina & verba tranſpoſita idem ſignificant. Sed tamen homo non eodem modo ſupponit in omnibus.*

14. Suppoſitio cognoſcitur ex communi modo loquendi hominum.

Loqui enim teſte 2. Topic. Ariſtotele, cum pluribus debemus. Sicut ergo voces ſignificant ad placitum: ita etiam ad placitum ſupponunt in propoſitionibus. Sicut ergo conformes eſſe debemus

mus in ſignificato, ſi noſtros inuicem mentis conceptus exprimere volumus: Sic & in ſuppoſitione terminorum. Secus inuicem diſputare nequibimus. Regula ergo generalis eſt: Terminum in propoſitione illud ſignificatum, vel illum, quem communiter ſequuntur homines, aut in aliqua ſcientia famoſiores, ſignificandi modum ſupponere ac determinare.

15. Ex vera ſuppoſitione terminorum frequenter fit fallacia figuræ dictionis.

Vt cùm dicitur: Homo eſt ſpecies. Socrates eſt homo: Ergo Socrates eſt ſpecies. Homo enim in prima determinatur ad naturam humanam, prout eſt in intellectu: In ſecunda verò ad naturam humanam, prout eſt in ſingulari, id eſt, in Socrate. Similiter ſi dicatur: Mus rodit caſeum. Sed mus eſt ſyllaba: Ergo ſyllaba rodit caſeum. Hæc enim fallacia fit maximè ex variatione ſuppoſitionis materialis & perſonalis. Solent etiam ſophiſtæ ex diuerſa expoſitione terminorum multas deceptiones formare. Priuſquam igitur ad fallacias extra dictionem tranſeamus, aliquid de probationibus vel expoſitionibus terminorum ſubiungere viſum eſt.

16. In expoſitionibus vel declarationibus terminorum ſequendus eſt vſus loquentium.

Non enim inconueniens, imò neceſſarium eſt, ſi volumus cum aliis ſocietatem colere hominibus, communem vſum loquendi ſequi: Sen-

tire verò cum paucioribus. Igitur propoſitione quacunque propoſita, ſi ignoremus, quid ſignificet: à Grammaticis potiùs, quàm à logicis eius ſignificatio quærenda. Si autem intelligimus eam: non erit aliter, quàm ſignificet ſecundum communem loquendi vſum, exponenda. Si ergo vnum denotet: num vera vel falſa, inueſtiganda. Sin plura, in quo ſenſu accipiatur, diſtinguenda. Et ſi ſit paralogiſmus: ita, vt diximus, ſoluendus. Hunc ſi quis teneat modum, multis regulis, exemplo aliorum otioſorum ingeniorum non indigebit: Neque ad multa inconuenientia, imò impoſſibilia concedenda ridiculè adigetur. Quia verò ſophiſtæ ex obligatione quorundam caſuum fallere conſueuêre: de ea quid ſentiendum, paucis ſubijciamus.

17\. Omnis caſus poſsibilis factus in principio diſputationis eſt admittendus.

Quia non eſt timendum de impoſſibili, eò quòd ex impoſſibili ideo ſequitur impoſſibile, vt dictum fuit in concluſione 12. libri 6. Cùm igitur ad hoc poſſibile fueris obligatus: tunc à te etiam concedendum erit, quodcunque inde ſequitur: Quoniam & illud, quod ſequitur, per hanc regulam non poterit eſſe impoſſibile. Si autem non verè, ſed per aliquem paralogiſmum, vel litigioſum ſyllogiſmum ſequi tantùm videatur; Tum ex fallaciarum regulis patebit ſolutio. Caue autem, ne conceſſo vel admiſſo poſſibili infra tempus obligationis tuæ, aliquod repugnans rurſum concedas,

das, etiamſi ſecundum ſe ſit poſſibile: ſtante tamen caſu impoſſibile, cùm duo contradictoria nequeant eſſe ſimul. Si autem proponitur poſt caſum admiſſum aliquod impertinens, ſecundum exigentiam impertinentis reſpondendum. Vt, ſi falſum negandum, ſi verum vel neceſſarium concedendum, ſi poſſibile admittendum. Et breuiter formato caſu, ac ſi realiter ſe haberet, reſpondendum. Vt ſi ponatur tibi caſus, quòd in cælo beatus ſis: Eoq; conceſſo rurſum proponatur, te mortalem eſſe: Et id ſtante caſu concedere poteris. Nam ſequitur ex poſito. Sin poſtea proponatur, te Deum non videre, vel te moriturum, id pernegabis. Si pergatur, id verum eſſe: Reſpondendum, ſtante caſu falſum id & impoſſibile. Sin autem ponatur, quòd rex inſideat ſolio, cùm ſit impertinens & poſſibilis, nec repugnet propoſito, admittenda. Et ſic facilis paralogiſmorum futura ſolutio. Et quoniam inſolubilibus quibusdam propoſitionibus decipere ſophiſtæ ſolent: De his quoque aliquid monebimus.

18. Inſolubile propoſitum nec eſt concedendum, nec negandum.

Inſolubile eſt propoſitio ſeipſam deſtruens. Nam ſi ſtatuatur vera, ſequitur falſa: Et ſi adſtruatur falſa, ſequitur vera. Vt ſi ſola hæc in mundo eſſe dicatur propoſitio: Omnis propoſitio eſt falſa. Si igitur vera eſſe dicetur: Ergo verum erit quod ipſa pronunciat, Igitur verũ, quòd

omnis propoſitio falſa. Sed non eſt alia in mundo, niſi iſta; Ergo iſta eſt falſa, quod contra poſitum eſt, quod dicebat, quòd ſit vera. Si autem dicitur, quòd eſt falſa: Ergo falſum pronunciat. Falſum eſt ergo, quòd omnis propoſitio ſit falſa. Igitur aliqua eſt vera. Sed nulla eſt in mundo niſi iſta: Ergo iſta eſt vera; Quod contra poſitum. Hoc igitur dicimus inſolubile. Quia ergo ſeipſam deſtruit, non poteſt concedi nec negari. Huiuſmodi igitur propoſitionibus, ſi euadere importunitates ſophiſtarum feliciter cupimus, reſpondendum, vbi proponuntur, nec veras, nec falſas eſſe. Et ſi vrgeatur: Omnis propoſitio eſt vera vel falſa: Dicendum, non eſſe propoſitiones. Nam definitio propoſitionis, quæ eſt oratio vera vel falſa, non competit eis in rei veritate. Habent tamen figuram propoſitionum: Sicut homo mortuus habet figuram & ſimilitudinem hominis, non tamen eſt homo: Ita ergo & hæ dicuntur propoſitiones deſtruentes ſeipſas, vel inſolubiles, non tamen propoſitiones ſimpliciter, ſicut nec homo mortuus homo eſt. Et hæc de fallacijs in dictione. Reſtant determinandæ extra dictionem fallaciæ; in quibus cauſſa apparentiæ ex eo, quòd aliquæ res, aliquo modo conuenientes, & aliquo modo differentes, vt eædem ſimpliciter vel diuerſæ accipiantur, oritur. Sunt enim ſeptem numero.

19. Fallacia accidentis eſt deceptio proueniens ex eo, quod aliquid ſignificatur ſimiliter

militer ineſſe ſubiecto, & accidenti, vel ſimiliter vtrique eorum, quæ aliqualiter ſunt per accidens vnum.

Quædam enim ſunt vnum per ſe, & nullo modo per accidens, vt veſtis & indumentum: Quædam autem per accidens, & nullo modo per ſe, vt album & homo: Quædam verò medio modo ſe habent, quia vnum eſt in ratione alterius, ſed tamen non ſunt omnino eadem, vt ſuperius & inferius, ſicut eſt homo & animal, & ſimiliter ſpecies & proprium. Fallacia ergo accidentis contingit in iis, quæ ſunt per accidens, ſiue omnino, ſiue aliqualiter. Cauſſa autem apparentiæ eſt vnitas, vel identitas quædam eorum, quæ per accidens coniunguntur. Cauſſa autem non exiſtentiæ eſt diuerſitas eorundem: Quia attribuitur vni aliquid ſecundum quod eſt diuerſum ab altero, & non ſecundum quod eſt idem illi. Et tripliciter fit: Primò ex eo, quòd proceditur ab accidente ad ſubiectum, vel econuerſo. Vt cognoſco Corriſcum. Et Corriſcus eſt veniens: Ergo cognoſco venientem. Non enim Corriſcus ſubiacet cognitioni, ſecundum quod eſt idem venienti. Similiter ſi dicatur: Hic canis eſt pater; Et eſt tuus: Ergo eſt pater tuus. Secundò ex eo, quòd illud, quod conuenit ſuperiori, concluditur etiam de inferiori, vel econuerſo. Vt homo eſt animal; Et animal eſt genus: Ergo homo eſt genus. Quod enim verificatur de inferiori vel de ſuperiori, ſecundum quod vnum eſt idem alteri, neceſſe eſt de altero etiam verificari: non

non autem ſi verificetur ſecundum quod ſunt diuerſa. Tertiò, quando proceditur à ſpecie ad proprium, & econuerſo. Vt: Riſibile eſt proprium. Riſibile autem eſt homo: Ergo homo eſt proprium. De riſibili enim verificatur proprium, ſecundum quod riſibile differt ab homine. Non eſt autem inconueniens, iſtos paralogiſmos peccare per fallaciam figuræ dictionis: Quoniam per eam peccant, ſecundum quod deceptio prouenit à ſimilitudine dictionis. Secundum quod verò ex conuenientia rerum peccant, in hac fallacia exiſtunt. In propoſitionibus quoque hypotheticis fiunt paralogiſmi, ſi medium diuerſimodè capiatur. Vt ſi nullum tempus eſt, dies non eſt. Et ſi dies non eſt, nox eſt: Per locum à contrar. s mediatis. Si autem nox eſt, aliquod tempus eſt. Ergo à primo ad vltimum, ſi nullum tempus eſt, aliquod tempus eſt: Non ſequitur, quia medium diuerſimodè capitur. Hæc enim propoſitio: Nox eſt; Suppoſito, quòd nullum tempus ſit, non ſequitur ex hac: Dies non eſt. Sed ſolùm ſequitur ex ea, ſuppoſito, aliquod tempus eſſe. Hæc ergo propoſitio: dies non eſt; prout eſt conſequens primæ conſequentiæ, nullam habet habitudinem ad iſtam: Nox eſt; nec infert eam. Si autem ex ipſa vis illam inferre, vt fit in ſecunda conſequentia, iam oportet ſupponere, aliquod tempus eſſe. Et ſic non erit eadem in antecedente ſecundæ conditionalis, quæ fuit in conſequente

primæ

primæ. Oportet igitur ſubtiliter intueri diuerſitatem rerum: Quia hæc fallacia, etiam in Dialectica exercitatos, decipit.

20. Fallacia ſecundum quid & ſimpliciter, eſt deceptio, proueniens ex eo, quòd dictum ſecundum quid ſumitur, ac ſi eſſet dictum ſimpliciter.

Simpliciter hîc ſumitur, quod nullo addito dicitur, vt cùm dicitur: Socrates eſt albus. Secundum quid verò, quòd aliquo addito dicitur, vt Socrates eſt albus dentes. Verùm ad faciendum fallaciam requiritur, quòd hoc additum diminuat de ratione eius, cui additur. Nam nulla eſt fallacia, ſi dicitur: Socrates currit bene: Ergo currit. Cauſſa apparentiæ eſt conuenientia dicti ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Cauſſa verò non exiſtentiæ eſt diuerſitas eorundem. Et fit quinque modis: Primo, quando determinatio addita habet oppoſitionem ad id, cui additur, vt: Socrates eſt homo mortuus: Ergo eſt homo. Secundò, quando determinatio pertinet ad aliquem actum animæ, vt: Cæſar eſt in memoria hominum: Ergo eſt. Tertiò, quando ſignificat aliquid eſſe in potentia, vt: Ouum eſt animal in potentia: Ergo eſt animal. Quartò, quando ſignificat partẽ, vt: Æthiops eſt albus dentes: Ergo eſt albus. Niſi fortè illa

illa pars denominaret totum, vt criſpitudo in capillis. Quintò quando cogit terminum conſiſtere, cui additur materialiter, vt: Sapiens vult permittere malum: Ergo vult malum.

21. Fallacia ſecundum ignorantiam elenchi, eſt deceptio proueniens ex eo, quòd non obſeruantur ea, quæ ſunt neceſſaria ad definitionem elenchi, & præcipuè in partibus contradictionis.

Elenchus enim eſt ſyllogiſmus contradictionis: Quia concludit contradictorium propoſitionis primò datæ, vel primò propoſitæ. Ad contradictionem autem requiritur, quòd ſit oppoſitio vnius & eiusdem, ad idem ſecundum idem ſimiliter, & in eodem tempore. Cauſſa igitur apparentiæ eſt ſimilitudo definitionis deficientis datæ de contradictione ad definitionem eius perfectam. Principium verò defectus eſt diuerſitas eorundem, & intendit ducere ad contrad ctionem, ſiue per verum, ſiue per falſum ſyllogiſmum, & ſiue ad veram, ſiue ad apparentem contradictionem. Et fit quadrupliciter: Primò contra hanc particulam, ad idem, ſic: Duo ſunt duplum ad vnum, & non ſunt duplum ad tria: Ergo ſunt duplum & non duplum. Secundò contra hanc, ſecundum idem, ſic: Hoc eſt duplum ſecundum longitudinem ad id, & non eſt duplum ad id ſecundum latitudinem: Ergo eſt duplum & non duplum. Tertiò contra hanc, ſimiliter, ſic: Cœlum

mouetur

moueatur circulariter, & non mouetur ſurſum & deorſum : Ergo mouetur & non mouetur. Quartò contra hanc, in eodem tempore, ſic : Domus eſt clauſa in aliquo tempore, & in alio non eſt clauſa : Ergo eſt clauſa & non clauſa. Differt autem fallacia hæc à fallacia ſecundum quid & ſimpliciter : Quia determinatio ibi diminuit, non verò hic ex neceſſitate.

22. Fallacia petitionis principij eſt deceptio proueniens ex eo, quòd idem, ad probationem ſuiipſius, ſub alio vocabulo ſumitur.

Principium hîc dicitur principale propoſitum, quod eſt probandum. Et tunc aliquis petit principium, quando petit ſibi concedi principale, quod probandum illi eſt, propoſitum. Principium motiuum eſt diuerſitas concluſionis à præmiſſis, quæ eſt ex parte nominum tantùm. Principium verò defectus eſt conuenientia eorundem, & fit quinque modis : Primò, quando definitio petitur ad probationem definiti, vel econuerſo, quando vtrunque ſimiliter dubitatur, vel vtrunque æque notum eſt, vt : Animal rationale currit : Ergo homo currit. In demonſtrationibus autem, quãuis pro medio ſumatur definitio, non tamen petitur principium : Quia non ſimiliter dubitantur præmiſſæ & concluſio, nec propoſitiones ſunt ſimiliter notæ. Secundò, quando vniuerſale petitur ad probationem particularis. Tertiò, quando omnia ſingularia petuntur ad probationem vni-

M uer-

uerſalis. Quartò, quando diuiſim petitur, quod debet probari coniunctim. Ut medicina eſt ſcientia ſani, & eſt ſcientia ægri: Ergo eſt ſcientia ſani & ægri. Quintò, quando vnum relatiuum ſumitur ad probandum alterum. Non eſt ergo contra illationem fallaciæ: Sed tantum quia idem, ad ſui ipſius probationem, aſſumitur.

13. Fallacia conſequentis eſt deceptio ex eo, quòd conſequens omnino idem antecedenti æſtimatur, proueniens.

Principium motiuum eſt conuenientia antecedentis cum conſequente. Principium autem defectus eſt diuerſitas eorundem. Et dupliciter fit. Primò ex conſecutione magis communis ad minùs commune, vt ſi arguatur: Si aliquis eſt aſinus, ille eſt animal. Sed tu es animal. Ergo tu es aſinus. Secundò, quando proceditur à conſequentia vnius oppoſiti, ad conſequentiam ſimilem in alio oppoſito: vt, Si quid eſt generatum, habet principium. Sed anima non eſt generata, quia eſt creata: Ergo anima non habet principium. Hæc enim argumentatio communiter vocatur conſequentia in ipſo. Dico autem conſequentiam in ipſo, quando ab oppoſito antecedentis proceditur ad oppoſitum conſequentis: Quæ quidem conſequentia nihil valet in contradictorijs, id eſt, quando ſumitur contradictorium tàm antecedentis, quàm conſequentis: Et proceditur ab oppoſito antecedentis ad oppoſitum conſequentis. Conſequentia autem in contrario dicitur, quando proceditur

ab

ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis, & rectè ſe habet. Si verò hi paralogiſmi fierent in propoſitionibus categoricis, orirетur fallacia accidentis. Vt ſi dicatur: Aſinus eſt animal. Tu es animal: Ergo tu es aſinus. Vel: Omne generatum habet principium. Sed anima non eſt generata: Ergo anima non habet principium. Et patet hæc per 19. concluſionem: Nam eſt fallacia ſecundi modi fallaciæ accidentis.

24. Fallacia ſecundum non cauſſam vt cauſſam eſt deceptio proueniens ex eo, quod in præmiſsis, ex quibus concluſio ſequitur, ponitur aliqua propoſitio, quæ nihil ad concluſionem operatur.

Cauſſa hîc dicitur id, quod eſt cauſſa in inferendo, ſicut præmiſſæ ſunt cauſſa concluſionis. Et non fit hæc fallacia, niſi in ſyllogiſmis ducentibus ad impoſſibile, ex eo ſcilicet, quòd in præmiſſis aſſumitur aliqua propoſitio, quæ non eſt cauſſa concluſionis deductæ: Et poſtea a falſitate concluſionis conuerſio fit ad illam propoſitionem impertinentem, & concluditur, quòd ſit falſa, quia concluſio falſa eſt. Sed hoc nõ ſequitur, ſi ex illa propoſitione non ſequebatur concluſio. In ſyllogiſmis enim oſtenſiuis ex impertinentibus propoſitionibus cum præmiſſis acceptis non deducitur ad inconueniens reſpondens, ſi concluſio ex præmiſſis ſequatur, niſi fiat illa reflexio, quæ dicta eſt. Et formatur vno modo ſolum ſic paralogiſmus.

Putáſne animam & vitam eſſe idem? Quo dato ſic proceditur: Vita & mors ſunt contraria. Sed generatio & corruptio ſunt contraria; Et mors eſt corruptio: Ergo vita eſt generatio: Ergo viuere eſt generari. Sed hoc eſt impoſſibile, quia quæ viuunt, non generantur, ſed generata ſunt. Ergo primum eſt impoſſibile, quod eſt: Anima & vita ſunt idem. Verùm hoc non ſequitur: Quia ex illa prima non fuit deducta concluſio: Et qua etiam remota, ſequeretur. Sed ita colligere debebat: Ergo iſta eſt falſa: Mors & vita ſunt contraria, ex qua ſecuta eſt. Non enim ſunt contraria, ſed priuatiuè oppoſita. Cauſſa ergo apparentiæ eſt conuenientia propoſitionis, quæ non eſt cauſſa concluſionis cum illis, quæ ſunt cauſſa. Cauſſa autem non exiſtentiæ eſt defectus habitudinis debitæ inter propoſitionem inferentem & illatam.

25 Fallacia ſecundum plures interrogationes vt vnam, eſt deceptio, ex eo, quòd ad interrogationem pluralem, cùm ſub vno modo interrogandi proponatur, vna datur reſponſio, proueniens.

Interrogatio enim, enunciatio, propoſitio, & concluſio ſolùm differunt ratione. Igitur enunciatio pluralis eſt illa, in qua vnum de pluribus, vel plura de vno enunciantur, ex quibus pluribus non fit vnum per ſe. Et hoc modo etiam dicitur interrogatio pluralis. Principium motiuum eſt vnitas ex parte modi interrogandi. Principium

um defectus eſt pluralitas interrogationis. Et fit dupliciter: Primò in ſingulari numero ſic: Putáſne hominem & aſinum eſſe animal rationale. Si dicatur, Eſt: Mox infertur: Ergo aſinus eſt animal rationale. Si negabitur, ſubiungetur: Ergo homo non eſt animal rationale. Secundò in plurali hoc modo: Exiſtimáſne, mel & fel eſſe dulcia? Si reſpondebitur, ſunt: ſubinferetur: Ergo fel eſt dulce. Sin negabitur, inferetur: Ergo mel non eſt dulce. Non ergo iſtis interrogationibus vna conuenit reſponſio. Atq; hæc de ſyllogiſmis, eorumq; principijs introductoriè dicta ſint.

Regi ſeculorum immortali, inuiſibili, ſoli Deo, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

THEMISTIVS.

QVæ cognoſcuntur, trium poſſunt eſſe generum. Nonnulla ex ſola vocum explanatione cognoſcuntur, vt ſunt plurima demonſtrationum principia: Nonnulla contrà vſque adeò ſunt abdita, vt, niſi demonſtratione concludantur, minimè intelligantur. Tertium genus eſt intermedium, earum rerum, quarum veritas cognoſcenda obſcurior eſt, quàm vt ex ſola vocum aperta cognitione comprehendantur: & notior, quàm vt demonſtrationem poſtulet. Hæc autem diuiſione aut exemplo, aut inductione, quæ omnes infirmæ ſunt probationes, declarantur potiùs, quàm probantur: dicíque debent manifeſtationes potiùs, quàm probationes.

SAMVELI MOS-
BACHIO, VIRO
conſultiſsimo S.

IESSENIVS.

PLato in Epinomide, Magnifice Cancellarie, proprium legitimè philoſophantis expingit & componit ingenium, congruisq́ erudit ac format diſciplinis: nec minùs, imò multò plus virtutis & pietatis, quàm ſcientiæ à philoſopho exigit. Quicquid enim ſcientiæ ab hoc exigit, idcirco requirit, vt Deum ipſum verum tam ſcientiæ Magiſtrum, quàm autorem rerum, quæ ſciuntur, præ cæteris veneretur: Quæ res vel præcipuè

animæ ſalutem comparat. Quapropter rectè à veteribus traditum: Diſciplinæ ac eruditionis caput Philoſophiam eſſe. Quippe cùm corporis gratia duæ comparatæ diſciplinæ videantur, quarum altera ſanitatem, Medicina: altera habitus bonitatem conciliet, Gymnaſtica. Sola tamen animi morbos & affectus Philoſophia compeſcit. Hæc enim, quid pulchrum, quid turpe, iuſtum, iniuſtum, appetendum, fugiendumq́; ſit, inſtituit. Deinde, quo pacto Deo fruendum, parentibus, item principibus, legibus, amicis, vxoribus, filijs, ſeruis. Huiusmodi Philoſophum, ſacro item è thalamo,

hoc

hoc eſt, optimis parentibus natum, Plato vult.. Nam ſi, inquit, in Olympicis ludis ad certamen nemo, niſi qui parentes & generis ſtirpem citra labem omnem edocere potuerit, admittitur: cur idem non in ſapientiæ ſtudio ſtatuatur? Poſtremò neq; id prætereundum, vt quemadmodum gentilitiæ quædam familiarum notæ fuerunt, velut Seleucidarum anchora, Pelopidarum eboreus humerus, Ænobardorum rutila barba: Sic Philoſophos hoc inprimis quaſi inſigne habere decet, vt mendacij oſores, veritatis ſtudioſi ſint.

Hac lege, vir Magnifice, non in humanis ſolùm, ſed magis di-

uinis, Hieronymus Sauonarola Monachus, philoſophandum duxit, itáque philoſophatus eſt, vt maleuolentia & inuidia offenſis, contra ius & cauſſam omnem, poſtremam pœnam dederit: non aliter, ac olim Athenienſibus, ſcientiarum quidem quodammodo parentibus, ſed omnis virtutis carnificibus, Socrates. Illius de natura rerum εἰσαγωγὴν *philoſophicam, tuo, Magnifice Cancellarie, nomini dicatam, foue, nobisq́; diutiſſimè ſaluus faue.*

EPITOME PHYSICÆ

HIERONYMI SAVONAROLÆ F. ORD: PRÆD:

De ente in communi, & quæ ipſum ſequuntur.

LIBER PRIMVS.

Summa & diſpoſitio libri I.

TRia tractat autor in hoc libro, Primò de ipſa prima philoſophia, quæ eſt circa Ens, vſque ad concluſionem 20. agit. Secundò de ipſo ente, & partibus eius, à 20. vſque ad 70. Tertiò vſque ad finem libri diſtinguit nomina communia, pertinentia ad hanc ſcientiam: Quoad primum, duo principaliter intendit: ſcilicet circa quid verſetur hæc ſcientia, & quomodo ſe habeat ad conſiderationem veritatis. Primum horum declarat 11. concluſionibus, hoc ordine. Quia primò præmittit dignitatem ſcientiæ in communi, ex eo, quòd naturaliter appe-

tatus

tatur ab omnibus, in 1. concluſione.Secundò præmittit ordinem cognitionis, ac diuerſos gradus eius, tàm in brutis, quàm in hominibus, in 2. Tertiò comparat illos gradus ad inuicem, ſecundum actionem, in 3: ſecundum cognitionem, in 4: & ſecundum nobilitatem, in 5. Quartò deducit intentum ex præmiſsis, ſc. circa quid verſatur hæc ſcientia, quæ ſapientia dicitur, in 6. Oſtendens, quòd ſit circa primas cauſſas,& prima rerum principia. Quintò, qualis ſit hæc ſcientia, declarat: ponens quatuor conditiones eius,in 7. 8. 9 & 10.quibus præferatur alijs ſcientijs nobilitate, licet illis neceſsitate poſtponatur, quod declaratur in 11. Secundum intentum deducit 9. concluſionibus, hoc ordine. Nam primò oſtendit, ad hanc ſcientiam pertinere conſiderationem veritatis in vniuerſali, in concluſione 12. Et quomodo homo ad illam ſe habeat, in 13. Hoc enim determinare ad hanc ſpectat ſcientiam: quoniam veritatem in communi conſiderat. Tertiò,quis ſit modus eius conſiderationi conueniens, in 14. Et qualiter oporteat priùs acquirere modum ſciendi, quàm ſcientiam, in 15. Non tamen eundem in omnibus ſcientijs, quod oſtendit in 16. Quartò docet, vnde incipiendum ſit, ſcilicet à communioribus,in 17.Subiungens, quæ ſint iſta communiora, in 18. 19.& 20. In qua concluditur, ab ente incipiendum eſſe, tanquam

tanquam à communiſsimo. Et hæc de primo. Quoad ſecundum, tria oſtendit. Primò ſupponit, eſſe aliquam ſcientiam, quæ conſiderat ens, in quantum ens, inquirens, quæ & qualis ſit, a concluſione 21. vſque ad 30. Secundò agit de ente & paſsionibus, quæ conuertuntur cum ipſo, à 30. vſque ad 59. Tertiò de partibus entis, à 59. vſque ad 70. Circa primum horum, primò ſupponit, eſſe aliquam ſcientiam, quæ conſiderat ens, in quantum ens, vt dictum in concluſione 21. Secundò, quòd non ſit aliqua ſcientia particularis, ſed vniuerſalis, in 22. Et ne exiſtimet ſe alia à ſcientia ſuperiùs dicta, quæ ſapientia, ſiue prima philoſophia dicitur: oſtendit rtiò, quæ conſideret hæc ſcientia, quoad ncipia ſimplicia & cauſſas, in 23. Quoad teriam, in 24. Et quoad principia comxa, in 25. Per quæ, hanc eandem cum eriùs dicta ſcientia eſſe, oſtenditur. Quarleclarat, de quo principaliter agat, in 26. ntò docet ordinem eius ad alias ſcientiin 27. Et partium eius inter ſe, in 28. & Circa ſecundum, ſcilicet ipſum Ens, d eſt ſubiectum, quia diuiditur in ens per ens per accidens: Primò remouet ens ccidens à conſideratione huius ſcientiæ, nclusione 30. Secundò agit de ente per ueſtigans, vtrum ſit genus, ſicut multi lerunt, in 31, vnde, non eſſe vniuocum, ſed

quoad prioritatem & poſterioritatem. Et cum hoc implicet rationem cauſſandi: priùs declarat, quam cauſſalitatem importet, in 51. Et eius fundamentum, in 52. Et demum comparatur enti modo dicto, in 53. Tertiò de ipſo, per comparationem ad verum, in 54. agit. Quartò partes integrantes ipſum, in 55. declarat. Quod intelligendum de bono creato, déque bono vt quod, non vt quo. Demum ratione ſuperiùs dicta de malo pertractat: Et quid ſit, in 56. Et in quo fundetur, ſcilicet in bono, in 57. Vnde in 58. ſummum non dari malum, deducit. Circa tertium, ſcilicet partes entis, quia diuiditur per ſubſtantiam & accidens: priùs agit de ſubſtantia in communi, in concluſione 59. Deinde de accidente in communi, in 60. Et quia accidens in nouem diſpeſcitur genera: conſequenter agit de illis hoc ordine. Primò de quantitate, in 61. & de qualitate in 62. Quæ ſunt entia abſoluta, & quantitas priùs ineſt ſubſtantiæ, quam qualitas. Secundò de relatione, quæ eſt reſpectiuum, in 63. Tertiò de alijs ſex principijs, quæ important abſolutum cum reſpectu, quorum primum eſt actio: quia cauſſatur immediatè a qualitate, de qua in 64. Secundum paſsio, quæ cauſſatur ab actione, de qua in 65. Tertium quando, quod cauſſatur

cauſſatur ex actione & paſsione. Impaſsibilia enim non ſunt in tempore, de quo in *66*. Quartum Vbi: quod eſt minùs commune, quàm quando, de quo in *67*. Quintum eſt ſitus, quod dicit modum ipſius vbi, ſcilicet eſſendi in loco, de quo in *68*. Sextum habere, quod conuenit ſolùm hominibus,& his, quæ ſunt inſtrumenta eius: vnde eſt minùs commune cæteris omnibus,de quo in *69*. Quoad tertium principale, diſtinguit nomina, pertinentia ad hanc ſcientiã,hoc ordine.Quia primò diſtinguit nomina, quæ ſignificant cauſſas & principia ſubiecti,à *70*. vſq; ad *80*.hoc modo: Quòd priùs diſtinguat ſignificantia cauſſas communiter, ſcilicet principium, in *70*. Cauſſam in *71*.& elementum in *72*.Hæc enim tria ſe habent conſequenter. Nam ſi cauſſæ eſſent infinitæ, nulla foret cognitio, cùm infinitum ſit ignotum. Vnde non procedi in infinitum,in cauſsis, in *73*. *74*.*65*. & *76*. *77*.ſecundũ quatuor genera cauſſarum, conſequenter probat. Deinde vnum nomen ſignificans cauſſam in ſpecie, ſcilicet naturam in *78*. Et alterum, quod conſequitur ad rationem cauſſæ, ſcilicet neceſſarium, in *79*. Secundò diſtinguit illa, quæ ſignificant ſubiectum, ſcilicet ens in *80*. & vnum in *81*. & partes entis, ſcilicet potentiam in *82*. & actum in *83*. Comparans illa ad inuicem in *84*. Alias autem partes entis, ſcilicet ſubſtantiam

tiam quantitatem, & huiuſmodi, non diuidit, quia earum diuiſio patet ex dictis. Et ſignificantia vnius cum ſibi oppoſitis partibus, àn 58. vſque ad 90. in qua diuidit aliquid conſequens, rationem vnius ſcilicet priùs. Tertiò diuidit ea, quæ ſignificant proprietates quaſdam vſque ad 100. nec multùm, quomodo ordinentur, intereſt, licet ordo quidam inter illa ſit: Addens duo ſignificantia, ens imperfectum, ſcilicet falſum in 101. & infinitum in 102. omittens accidens, quod ens imperfectũ denotat, cùm eius diuiſio ex ſuperioribus pateat. In vltima librum ſequentem cum hoc continuat.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Omnes homines natura ſcire deſiderant.

Omnes enim homines, ſicut & aliæ res ſuam perfectionem deſiderant, & naturaliter ad propriã operationem inclinantur, cupiuntq́ maximè ſuo coniungi principio. Perfectio autẽ intellectus eſt ſumma: Et intelligere ac ſcire eſt operatio hominibus propria, per quã etiam maximè ſuo principio coniunguntur. Ineſt igitur homini naturale deſiderium ſciendi. Huius etiam ſignum eſt ſenſuum dilectio. Non enim diligimus ſenſus propter hoc ſolum, quia nobis vtiles & neceſſarij ſint: verum etiam propter ipſam cognitionem. Vnde ma-

gis diligimus ſenſum viſus, eò quòd per ipſum res meliùs cognoſcimus, & plures differentias nobis, quàm cæteri ſenſus, demonſtrat.

2. Homo arte & rationibus viuit: Cætera verò animalia imaginationibus & memorijs.

Sunt enim quædam animalia, quæ tantùm habent ſenſum tactus, & phantaſiam, id eſt, imaginationem quandam confuſam: non autem memoriam. Et hæc ſolùm ſenſu & imaginatione confuſa viuunt. Quædam autem habent memoriam, quæ etiam participant aliquid prudentiæ ex quodam naturali inſtinctu. Et hæc, ſi non habeant auditum, non ſunt diſciplinabilia: Sin non habeant, ſunt diſciplinabilia. Non tamen experimentum, quod eſt ex collatione plurium ſingularium, in memoria retentorum, obtinent. Bruta enim nequeunt talem collationem facere: vnde hæc animalia viuunt imaginationibus & memorijs. Homo verò id poteſt optimè. Ratio enim hominis inferior, eſt collatiua ſingularium & intentionum indiuidualium: Unde ex multis memorijs vnius rei colligit experimentum. Ex multis autem experimentis, fit vniuerſalis quædam acceptio de omnibus ſimilibus; Et ſic fit ars; Unde homo viuit arte & rationibus.

3. Homines experti plus proficiunt in operando, quàm ſcientes & artem habentes ſine experimento.

Actiones enim ſunt ſingularium per ſe; vniuerſalium autem per accidens. Non enim per

ſe

ſe homo ſanat, vel ſanatur, ſed Socrates: Homo verò & animal per ipſum Socratem. Cùm igitur ſcientia & ars ſint vniuerſalium, experientia autem ſingularium: Patet, quòd experti plus proficiunt in operando quàm ſcientes

4. Scientes & artem habentes ſapientiores ſunt expertis.

Quia ſcientes cauſſam cognoſcunt: non autem experti. Item quia ſcientes docere poſſunt, non autem experti. Signum autem ſcientiæ eſt poſſe docere. Item, quia experti per ſenſum magis cognoſcunt, quàm per intellectum: Scientes autem per intellectum. Senſum autem non dicimus ſapientem, ſed intellectum: Ergo &c.

5. Scientiæ ſpeculatiuæ ſunt nobiliores actiuis, & magis dignæ nomine ſapientiæ.

Speculatiuæ enim multùm homines nobilitant, & faciunt eos admiratione dignos, non quidem propter aliquam vtilitatem, ſed propter hoc: Quia meliùs norunt exponere cauſſas rerum, & ſubtilius inquirere omnia. Hæc autem non faciunt actiuæ. Vnde homines acquiſitis vitæ neceſſarÿs, hiſce vacant ſtudÿs, quibus publicè ſtipendia porriguntur.

6. Sapientia eſt circa primas cauſſas, & prima principia rerum.

Sapientes enim comuniter ab hominibus appellantur ÿ, qui poſſunt omnia ſcire, vt conueniens eſt, & maximè difficilia, & qui habent de reb. certitudinem, &

ſciunt dicere cauſſas rerum, & maximè primas, quiq́ habent ſcientiam, quæ eſt propter ſe, id eſt, propter ſcire, & nulli famulatur, ſed magis ei aliæ famulantur, & qui ſciunt bene omnia ordinare & diſponere, optimeq́ omnibus perſuadere. Hæc autem omnia manifeſtè competunt conſideranti cauſſas primas, & prima principia rerum. Sapientia ergo eſt circa talia.

7. Sapientia eſt ſcientia ſpeculatiua.

Hanc enim quærunt homines propter ſcire, vt ignorantiam fugiant. Propter ignorantiam enim admiratio hominibus accidit: Et propter admirari cœperunt homines philoſophari. Qui enim admiratur, ignorare videtur. Vt ergo ignorantiam fugiat, quærit cauſſam rei, de qua admirationem habet. Vnde non quærit cauſſam propter aliquam aliam neceſſitatem, ſed ſolùm propter ſcire, cuius ſignum eſt: Quia homines omnibus acquiſitis, quæ ſunt vitæ neceſſaria, hanc ſcientiam quæſierunt. Sapientia igitur eſt inuenta ſolùm propter ſcire. Eſt ergo ſpeculatiua: cuius finis veritatis cognitio.

8. Sapientia eſt libera.

Quia eſt ſolùm gratia ſui, & gratia cognoſcendæ veritatis. Et ad nullam aliam ſcientiæ ordinatur, ſed magis ad hanc omnes aliæ: Quia conſiderat vltimum finem, qui eſt cauſſa cauſſarum omnium.

9. Sapientia non eſt propriè humana poſſeſsio.

Nam, cùm natura humana ſerua ſit, & vtilitatis cauſſa omnia faciat, hæc ſola vel omnium maximè ſui ipſius cauſſa expetitur.

10. Sapientia eſt honorabiliſsima.

Non enim hæc ſolùm in Deo, qui omnibus cauſſa eſt & quoddam principium, rebusq; diuinis, vertitur: Verùm etiam Dei vel ſolius (vt dicebat Simonides) vel certè omnium maximè propria eſt. Quare ſi, quemadmodum poëtæ commenti ſunt, in Deum caderet inuidia, maximè ſapientiam humano generi inuideret.

11. Omnes aliæ ſcientiæ ſunt magis, quàm hæc ſapientia, neceſſariæ.

Magis enim proſunt ad neceſſitatem vitæ, & minùs propter ſe quæruntur. Hac verò nulla dignior eſt, quæ magis perficiat, beatumq; reddat hominem.

12. Sapientia eſt ſcientia veritatis.

Verſatur enim circa primam veritatem, quia verſatur circa prima entia & primas cauſſas, quæ maximè veritatem habent, imò circa ipſam veritatem. In vnoquoque enim genere eſt vnum primum, quod eſt maximè tale, & cauſſa aliorum, quòd ſint talia. In genere ergo entium, & verorum, eſt vnum primum ens, & vna prima veritas, quod vel quæ eſt cauſſa eſſendi & veritatis omnium rerum. Vnumquodque enim, ſicut ſe habet ad eſſe, ita & ad veritatem, & circa hoc primum ens ſapientia verſatur, circaq; hanc veritatem primam.

13. Cognitio veritatis partim facilis eſt, partim difficilis.

Quoad cognitionem enim primorum principiorum facilis eſt: Unde vſurpatum prouerbio: In foribus quis aberrabit? Nam per quæ intratur in cognitionem aliorum, nota omnibus principia, vt: Quodlibet dicitur eſſe, & non eſſe. *Totum maius ſuis partibus eſt. Difficilis autem eſt ratione concluſionum. Non facile enim eſt cognoſcere, compoſita reſoluendo vſque ad vltimas cauſſas, & componentia vſque ad compoſitionem perfectam. Impeditur enim homo quandoque ex imperfectione rerum, quæ adeò parum de veritate eſſentiáque obtinent, vt vix, quid ſint, apprehendi poſſit:* Quandoque *verò ex imperfectione intellectus noſtri, qui ſe ad immaterialia & manifeſtiſſima naturæ habet, ſicut nocticoracis ad lucem ſolis oculus.*

14. Conſueta libentiùs audiuntur & diſcuntur.

Conſuetudo enim eſt altera natura. Inclinat enim ad vnum per modum naturæ. Naturalia autem faciliùs recipiuntur. Conſuetudo enim magnam vim habet: Vnde propter diuerſas conſuetudines diuerſi diuerſimodè diſciplinas capiunt. Quidam *enim, vt mathematici, in omnibus demonſtrationes poſtulant: Alij exempla ſenſibilia, alij autoritates poëtarum vel ſapientum, alij ſubtiliter & cum magna certitudine res inquiri volunt, quòd ſic ſunt audire & diſcere aſſueti:*

aſſueti: Alij accurata, veluti otioſa malè ferunt.

15. Abſurdum eſt ſimul quærere ſcientiam, & modum ſciendi, qui conuenit.

Teſte enim Ariſtotele, circa omnem contemplationem & viam docendi, ſiue nobilis, ſiue ignobilis illa ſit, duo ſunt habitus: Quorum alter ſcientia rei, alter verò eruditio vel peritia quædam nuncupatur. In quacunque enim, quam perfectè noſſe cupimus, ſcientia, duo ſcire oportet: Rerum, quæ in illa traduntur, cauſſas, tum modum ſciendi, ſeu tractandi ordinem. Vtrunque in libris methodicis perpetuò ſequitur Ariſtoteles. Sic in prooemio phyſicorum oſtendit modum & ordinem pertractandi cauſſas: Has verò inueniendi nullam attingit rationem: Siquidem hac de re alibi in libris poſteriorum, & 6. Metaphyſ: perſpicuè & abundè egerit. Duo igitur hi habitus cùm diſtincti ſint, ſimul comparari nequeunt. Quare priùs, quæ alijs, tanquam modus diſcendi, comparata ſcientijs, vnde rectè organum organorum dicta, perdiſcenda logica.

16. Modus ſciendi optimus, qui eſt per diligentem & certam inquiſitionem, non eſt in omnibus ſcientijs quærendus.

Quædam enim ſunt, in quibus non eſt omnimoda certitudo propter materiam, vt in naturalibus. In quibusdam autem eſt, ſed nobis ignota, vt in immaterialibus. In mathematicis verò certitudo nobis proportionata eſt: Vnde in his modus hic quærendus eſt.

17. In omni doctrina à notioribus nobis eſt incipiendum.

Sic enim facilior eſt diſciplina: Quia faciliter magis nota ducunt in cognitionem eorum, quæ ſunt nobis ignota, vel minùs nota, quæ tamen ſunt ſecundum naturam notiora.

18. Magis indiſtincta & confuſa ſunt nobis magis nota.

Intellectus enim noſter de potentia ad actum procedit. Priùs enim cognoſcit vnumquodque in potentia, poſtea in actu. Ideoq́ procedit cognoſcendo de potentia pura ad cognitionem indiſtinctam rerum, & confuſam, vſque ad perfectam & diſtinctam. Priùs ergo cognoſcit indiſtincta & confuſa, quàm diſtincta.

19. Communiora ſunt magis indiſtincta.

Semper enim communiora continent minùs communia indiſtinctè, ſicut genus indiſtinctè & confuſè continet omnes ſuas ſpecies, & ſpecies indiuidua. Sed minùs communia diſtinctè continent magis communia, vt ſpecies genera.

20. Ens eſt illud, quod concipitur ab intellectu, tanquam notiſsimum.

Eſt enim omnium communiſſimum, cùm de omnibus prædicetur. Vnde oportet, quòd ſit indiſtinctiſſimum, & per conſequens nobis notiſſimum. Idcirco ab ipſo incipiendum eſt.

21. Eſt aliqua ſcientia, quæ ſpeculatur Ens, in quantum Ens, & ea, quæ inſunt ei per ſe. Hæc

Hæc enim non debent omnino ignota remanere, cùm ex eorum cognitione aliorum cognitio dependeat. Oportet ergo quòd aliqua ſcientia conſideret ens, tanquam ſubiectum, & ea, quæ ei inſunt per ſe. Scientia enim ſubiectum ſuum & proprietates conſiderat.

22. Huiuſmodi ſcientiam oportet eſſe vniuerſalem.

Non enim ſcientiæ particulares conſiderant de ente vniuerſali: Sed partes entis, id eſt, entia particularia. Ens ergo, in quantum ens, non poteſt conſiderari, niſi à ſcientia vniuerſali, quæ eſt Metaphyſica.

23. Hæc ſcientia conſiderat primas cauſſas, & prima principia rerum.

Omnis enim ſcientia conſiderat cauſſas & principia ſubiecti ſui. Iſta igitur ſcientia quærit cauſſas entis, in quantum ens, & eius principia. Hæc autem non poſſunt eſſe, niſi primæ cauſſæ vniuerſales omnium rerum, & prima principia. Primas igitur cauſſas, & prima principia conſiderat.

24. Ad conſiderationem huius ſcientiæ pertinent omnia entia.

De omnibus enim prædicatur ens: Vnde omnia continentur ſub ente. Et quamuis ens non vniuocè: analogicè tamen prædicatur. Pertinent autem ad vnam entia omnia ſcientiam. Quandoquidem vnius ſubiecti vna ſcientia eſt. Sufficit autem, vnum eſſe analogia. Nam princi-

pale ens eſt ſubſtantia. Alia verò eatenus entia dicuntur, quatenus ad ſubſtantiam referuntur. De quibus omnibus, in quantum ſunt entia vel ſubſtantiæ, conſiderationem inſtituit hæc ſcientia.

25. Prima principia complexa pertinent ad conſiderationem huius ſcientiæ.

Prima principia complexa ſunt, quæ omnibus entibus poſſunt conuenire, vt eſt illud: Non contingit idem ſimul eſſe, & non eſſe. Et illud: Vnumquodque contingit vel affirmari vel negari. Hæc igitur cùm omnibus entibus conueniant, non niſi ad eum, qui conſiderat ens, in quantum ens, pertinent.

26. Hæc ſcientia principaliter de ſubſtantia determinat.

Cùm enim ens de omnibus prædicetur analogicè, & omnia dicantur entia, in quantum ſunt ſubſtantiæ, vel referuntur ad ſubſtantiam: Oportet, quòd ſubſtantia inter entia ſit principale ens. De principali autem, à quo alia dependent, principaliter: De alijs verò conſequenter tantùm determinatur.

27. Hæc ſcientia inter omnes alias, & dignitate, & natura prior eſt.

Quia non ſolùm conſiderat de omni ente: Sed etiam principaliter de ſubſtantia, & principaliſſimè de ſubſtantia principaliſſima, quæ eſt Deus, & ſubſtantiæ ſeparatæ, quæ ſunt priores alijs, & dignitate, & natura.

28 Illa pars huius ſcientiæ, quæ eſt de ſubſtantia ſenſibili, prior eſt ea, quæ eſt de inſenſibili, ordine doctrinæ.

Subſtantia enim ſenſibilis eſt nobis notior, quàm inſenſibilis: Quia propinquior eſt ſenſui, à quo incipimus diſcentes. A notioribus autem nobis ſemper eſt incipiendum, vt dictum eſt ſuprà.

29. Omnes partes huius ſcientiæ continuantur ad vnum.

Habent enim pro genere ens & vnum, in quibus vniuntur: Sicut etiam mathematica habet diuerſas partes, vnam principalem, vt Arithmeticam, & aliam ſecundariam, vt Geometriam; Et aliæ ſe habent conſequenter ad iſtas, vt Proſpectiua, Muſica, & Aſtrologia: Ideo primò de ente cõmuni tractemus, & de ijs, quæ ipſum conſequuntur. Deinde tractabimus de ſubſtantia ſenſibili. Vltimò autem de ſubſtantia inſenſibili, & maximè de Deo glorioſo, qui ſit in ſecula benedictus Amen.

30. De ente per accidens non eſt ſcientia.

Ens per accidens dico, quando duo ita coniunguntur, vt vnum alteri accidat, vt: Muſicum eſſe album: Et hominem eſſe muſicum. Quia ergo hæc in infinitum poſſunt variari, cùm vni infinita poſſint accidere, & infinitum, in quantum huiuſmodi, ſit ignotum: Sequitur, quòd de hoc ente non eſt ſcientia; ſed de ijs, quæ ſunt ſemper aut frequenter, extra quæ ſolùm ens per accidens eſt.

31. Ens per ſe non eſt genus.

Nullum enim genus propriè de ſuis differentijs prædicatur. Ens autem de omni re prædicatur. Non igitur eſt genus.

32. Enti non poteſt addi aliqua natura extranea.

Naturam extraneam ab aliquo dicimus, quæ aliquid ſuperaddit ei per modum differentiæ vel accidentis. Ens autem non habet differentias, vt iam dictum eſt, ſed de omnibus eſſentialiter prædicatur. Omnia enim ſunt eſſentialiter entia. Nihil ergo extraneum ſibi addi poteſt.

33. Id,quod additur enti, eſt modus eſſendi, quem non exprimit ens.

Nam ens omnia indiſtinctè ſignificat. Significat enim confusè quodlibet ens, id eſt, omne, quod eſt quocunque modo. Cùm igitur ad particularia entia venimus, vt ad ſubſtantiā & quantitatem, & cætera prædicamenta: iam non addimus enti aliquid reale extraneum ab eo, per modum differentiæ vel accidentis, quemadmodum oſtenſum: Sed exprimimus modos ipſius entis, & modos eſſendi rerum, qui non exprimuntur nomine entis, vt patet. Unde modi iſti non faciunt aliquid differre ab ente ſecundum rem, nec ipſi quoque ab ente ſecundum rem, ſed ratione tantùm differunt.

34. Quidam modi entis generales ſunt, alij ſpeciales.

Generales ſunt, qui ſequuntur ens, in quantum

tum ens, in ſua ſc. communitate, vt ſunt: Res, vnum, aliquid, verum, bonum. Ens enim exprimit affirmatiuè eſſe rei in ſe: Quia ens ſumitur ab actu eſſendi. Res verò exprimit eſſentiam, vel quidditatem entis. Vnum verò negatiuè, modum eſſendi entis generalem, qui eſt indiuiſio, eloquitur. Vnum enim eſt ens indiuiſum. Aliquid verò modum generalem, in ordine ad alterum, ſecundum diuiſionem, exprimit. Dicitur enim aliquid, quaſi aliud quid. Verum autem modum generalem entis, ſecundum quandam conuenientiam, quam habet omne ens ad intellectum, dicit. Bonum verò ſecundum conuenientiam, quam habet ens ad appetitum. Modi autem ſpeciales non ſequuntur ens in ſua generalitate, ſed trahunt ipſum ad ſpeciale, vt ſunt decem prædicamenta; quæ nihil aliud ſunt, quàm decem modi eſſendi ipſius entis: vt eſſe per ſe, eſſe quantum, eſſe quale, eſſe ad aliquid, agere, pati, eſſe in tempore, eſſe in loco, eſſe ſituatum, & habere: De quibus omnibus in ſequentibus eſt tractandum.

35. Res conuertitur cum ente.

Quicquid enim eſt res, eſt ens, & econuerſo. Nam res exprimit ens ex parte quidditatis & eſſentiæ. Omne autem ens eſſentiam habet. Quod enim nullam habet eſſentiam, nihil eſt. Res igitur & ens conuertuntur.

36. Aliquid conuertitur cum ente.

Omne enim quod eſt, diuiditur ab eo, quod non eſt ipſum. Oportet igitur quòd ſit aliquid. Nam

Nam oportet eſſe aliud quid ab eo, quod non eſt ipſum. Omne igitur ens eſt aliquid, & econuerſo.

37. Aliquid eſt poſterius re.

Poſterius dico ſecundum rationem. Neceſſe enim eſt, priùs intelligere, quòd aliquid ſit, & quidditatem habeat, id, quod importat res: quàm quòd ſit aliud, quid ab altero, quod importat aliquid. Abſolutum enim eſt prius relatiuo.

38. Vnum conuertitur cum ente.

Omne enim ens aut eſt ſimplex, & ſic eſt indiuiſum actu & potentia: aut eſt compoſitum. Compoſitum autem non eſt ens actu, quamdiu partes eius ſunt diuiſæ: Ergo eſſe eius conſiſtit in indiuiſione. Eſſe ergo cuiuslibet entis in indiuiſione conſiſtit. Vnum autem dicitur ens indiuiſum. Igitur quicquid eſt ens, eſt vnum, & econuerſo. Hinc quemadmodum vnumquodque ſuum cuſtodit eſſe: ita & vnitatem ſuam conſeruare nititur.

39. Vnum non addit aliquid reale ſupra ens.

Nam cùm vnum & ens conuertantur, ſi vnum aliquid adderet reale ſupra ens, ita vt eſſet vnum per illud reale: quærendum foret, quomodo illud reale ſit vnum. Et ſi eſſet vnum, per aliud reale ſuperadditum: quærendum item de illo, quomodo ſit vnum. Aut ergo in infinitum abeundum, aut hoc aſſerendum erit: Omne ens eſſe vnum per ſuam eſſentiam, nec vnum ſupra ens, niſi ratione indiuiſionis addere.

Vnum

40. Vnum multipliciter dicitur.

Vno modo aliqua dicuntur vnum per ſe, vt continua & habentia vnam formam, vt partes vini, & ea, quæ ſunt vnum genere, vel ſpecie, vel definitione, vel quorum intellectus eſt indiuiſibilis, vt ſimplicia, puta vnitas, & vt proprium, & ſubiectum. Alio modo ſecundum accidens: accidens & ſubiectum dicuntur vnum, & accidens cum alio accidente propter ſubiectum, & cùm compoſitum dicitur de ſubiecto.

41. Vnum & multa diuerſimodè opponuntur.

Cùm enim vnum dicatur multipliciter, & multa oporteat multipliciter dici, quia quot modis dicitur vnum oppoſitorum, tot modis dicitur & reliquum: Diuerſimodè igitur opponantur neceſſe eſt. Maximè autem duobus modis opponuntur. Vno modo per modum priuationis, ſecundum quod accipitur vnum, quod conuertitur cum ente, prout dicit indiuiſionem. Sic enim opponitur multitudini, ſicut indiuiſum diuiſo: Alio modo, ſicut menſura menſurato, ſecundum quod vnum accipitur, prout eſt principium numeri. Opponitur enim ſic numero, ſicut menſura menſurato. Multum etiam opponitur aliquando pauco, iuxta quod multum quendam infert exceſſum.

42. Priuatio entis, quam vnum dicit, in ente fundatur.

Priuatio enim eſt in ſubiecto, apto nato. Hoc autem non poteſt eſſe niſi ens: Quia nihil ſub-

terfugit

terſugit rationem entis. Quod quidem accidit enti ratione ſuæ communitatis. Vnde etiam cùm vnum de omnibus prædicetur, multitudinem vnum quoddam fieri oportet.

43. Diuiſio noſtra apprehenſione prior eſt, quàm vnum.

Oportet enim priùs ens, deinde hoc non eſſe illud, intelligere. Et hæc eſt ratio diuiſionis: Ex qua poſtea vnum, id eſt, quod eſt in ſe indiuiſum, & ab alio diuiſum, intelligimus.

44. Vnum eſt prius multitudine.

Nihil enim intelligimus habere rationem multorum, niſi per id, quod intelligimus, vnum non eſſe alterum, & per hoc poſtea diuerſam vnicuique attribuimus vnitatem. Et ſic intelligimus poſtea, illa eſſe multa, quaſi plura, quorum vnumquodque habet vnitatem: Vnde vnum ponitur in definitione multitudinis.

45. Aliquid eſt prius vno.

Quia prius intelligimus, hoc eſſe hoc, & hoc eſſe aliud quid ab hoc, quod eſt eſſe diuiſum ab hoc. Diuiſio autem eſt prior vno, vt dictum eſt: Vnde aliquid eſt prius vno.

46. Verum conuertitur cum ente.

Cùm enim veritas ſit adæquatio rei ad intellectum, vnumquodque dicitur verum, ſecundum quod adæquatur, vel adæquari poteſt intellectui. Omne autem ens intellectui diuino adæquatur: Et poteſt adæquari intellectui humano, ſecundum quod ab intellectu humano poteſt vnum-

quodq;

quodq; intelligi, quale eſt. Vnumquodque enim ſicut eſt, ita cognoſcitur. Verum igitur & ens conuertuntur.

47. Ens poteſt intelligi abſque ratione veri.

Ens enim eſt primum intellectum, vt dictum. Poteſt ergo ratio entis abſolui à ratione veri, ita vt intelligatur entis ratio, non intellecta ratione veri. Nunquam tamen poteſt intelligi ens, niſi aſſequatur ratio veri, quia intellectio eſt per adæquationem intellectus ad rem, vel rei ad intellectum. Adæquatio autem hæc ratio veri eſt.

48. Verum eſt poſterius vno.

Prius enim eſt, intelligere rem ſecundum ſe, quàm per comparationem ad alterum ens. Dicitur vero vnum ſecundum ſe: Verum autem per comparationem ad intellectum. Igitur vnum eſt prius vero.

49. Falſum vnumquodque dicitur per comparationem ad intellectum.

Falſum enim & verum ſunt contraria, quæ circa idem verſantur obiectum. Falſa res eſt, cùm non adæquatur intellectui, aut quando eſt apta nata falſam gignere opinionem, vt aurichalcum, quod colore aurum mentitur: vt cùm homo eſſe aſinus dicitur. Hinc igitur intellectus applicatur, quando eſſe ſicut non eſt, vel non eſſe ſicut eſt, intelligit, & falſas homo amans opiniones, falſus nominatur.

50. Bonum conuertitur cum ente.

O Nam

Nam bonum vnumquodq; eſt, ſecundum quod eſt appetibile. Vnumquodq; autem in tantum eſt appetibile, in quantum habet aliquam perfectionem. In tantum autem eſt perfectum, in quantum eſt in actu. Actus autem omnis rei eſt eſſe. Ergo vnumquodq; in tantum eſt bonum, in quantum habet eſſe. Ergo omne ens eſt bonum: Et omne bonum eſt ens.

51. Bonum habet rationem cauſſæ finalis.

Omne enim agens agit propter finem: Hoc autem non eſt niſi bonum. Ergo bonum finis agentis eſt.

52. Bonum eſt ſui ipſius diffuſiuum.

Bonum enim eſt illud, quod eſt appetibile. Ideo bonum trahit appetitum. Non autem trahit eum, niſi vt communicet ei bonitatem ſuam & perfectionem. Hoc igitur modo, vnumquodq; bonum ſeipſum diffundere dicitur.

53. Bonum eſt prius ente in cauſſando, ſed poſterius abſolutè.

Nam cùm ſint quatuor cauſſæ: Materia eſt propter formam. Et ideo ſimpliciter forma eſt prior in intentione. Forma autem ab agente introducitur: Vnde agens eſt prius forma. Agens autem mouetur à fine, qui eſt ipſum bonum. Prima ergo cauſſa entis eſt bonum. Igitur eſt prius ente in cauſſando, non autem ſimpliciter: Quia prius eſt, quod primò cadit in intellectu: Hoc autem eſt ens, vt dictum eſt.

54. Bonum eſt poſterius vero.

Verum

Verum enim eſt propinquius enti: Quia reſpicit eſſe tantùm, quod eſt intelligibile. Bonum verò non ſolùm reſpicit eſſe, ſed etiam perfectiones ſuperadditas, quia ſic eſt appetibile. Præterea bonum reſpicit appetitum, & verum intellectum. Intellectus autem eſt prior appetitu: Non enim appetitur, quod priùs non cognoſcitur. Igitur bonum eſt prius vero.

55. Ratio boni conſiſtit in modo, ſpecie, & ordine.

Vnumquodq; enim bonum eſt, in quantum eſt perfectum. Ad perfectionem autem cuiusque rei concurrit forma cum præcedentibus, ipſamq; conſequentibus. Præcedentia ſunt principia efficientia vel materialia, vel formalia. Et ſecundum hoc res dicitur habere modũ vel menſuram per commenſurationem principiorum eius. Forma autem dicitur ſpecies vel numerus: Quia formæ ſeu differentiæ ſunt veluti numeri. Conſequitur verò inclinatio ad finem, quæ dicitur ordo ſiue pondus. In tribus igitur his ratio boni conſiſtit.

56. Malum ſignificat abſentiam boni priuatiuè.

Nam negatiuè abſentia boni non facit malum: Aliter omnia creata eſſent mala, cùm ab eis negentur multa bona, quæ ſunt in Deo. Priuatiuè igitur ipſam denotat.

57. Malum eſt in bono.

Nam cum ſit priuatio, eſt in ſubiecto apto nato. Hoc autem ſubiectum cùm ſit ens, ſit bonum oportet. Eſt igitur in bono. Q 2 Ma-

58 Malum ſummum non datur.

Quia malum ſummum excludit omne bonum: Igitur etiam ſubiectum. Nullum ergo habet fundamentum: Ergo omnino nihil eſt malum ſummum.

59. Subſtantia eſt ens, per ſe exiſtens.

Subſtantia enim non eſt in altero, tanquam in ſubiecto, ſed ipſa eſt aliorum ſubiectum. Unde, quia omnibus accidentibus ſubſtet, à ſubſtando dicitur. Et ſecundum hoc, priùs conuenit ſingularibus eſſe ſubſtantiam, quàm generibus & ſpeciebus. Dicitur quoque ſubſtantia à ſubſiſtendo, & per ſe ſtando: Quia eſt ens per ſe, id eſt, cui per ſe conuenit eſſe, non in alio. Et ſic primò vniuerſali ſubſtantiæ conuenit. Eſt enim hoc de ratione ſubſtantiæ, in quantum ſubſtantia eſt. Dicitur etiam ſubſtantia aliquando eſſentia ab eſſendo: Unde quod quid eſt, dicitur ſubſtantia rerum: Et ſimiliter forma, quæ dat eſſe, dicitur ſubſtantia.

60. Accidens eſt ens in ſubiecto.

Non enim per ſe ens eſt, ſed eò, quia ſit entis, hoc eſt, ſubſtantiæ. Aliquando autem propriè, vt de forma, realiter ſubiecto inhærente, veluti de albedine, accidens dicitur. Aliquando autem non ita propriè: Ut cùm dicitur de aliquo, quod tantùm ſecundũ rationem inhæreat, vt dextrum vel ſiniſtrum in columna. Et adhuc minùs propriè, cùm de ſubſtantia, quòd accidat alteri, vtpote quòd veſtis accidat Socrati, aſſeritur. Habet

bet enim nomen accidentis, licet non ſit accidens. Dicitur etiam accidens ens per accidens, de quo locuti ſumus ſuprà in 30. concluſione.

61. Quantitas eſt accidens, cui primò ineſt diuiſio in partes componentes.

Intellige autem de diuiſione materiali: Omne enim, quod ſic diuiditur, vel eſt quantum diſcretum, vt numerus: Vel continuum, vt linea. Per ſe igitur quantum eſt, quod per ſe diuiditur: per accidens verò, quod per alterum diuiditur, vt albedo, motus, & tempus. Multum autem, & paucum, longum & breue, latum & ſtrictum, profundum & altum, graue & leue, & ſimilia, non ſunt quantitates, ſed paſſiones eius.

62. Qualitas eſt ens, ſecundum quod vnumquodque denominatur quale.

Hoc autem primo modo eſt vniuscuiusq; differentia ſubſtantialis, ſecundum quam res dicitur qualis. Cùm enim quæritur, qualis eſt homo? Conuenienter reſpondemus: Rationalis, vel bipes. Verùm hæc qualitas in ſubſtantijs, id eſt, differentia ſubſtantialis ſubſtantiarum non eſt propriè ſecundum rem qualitas: Sed habet ſolum modum qualitatis. Habitus autem, ſeu diſpoſitiones ſubſtantiarum, ſiue in anima, ſiue in corpore, ſiue in materia, ſiue in forma: Potentiæ quoque naturales ad agendum vel ad patiendum: Et ſimiliter paſſiones ſubſtantiæ, & ea, quæ ſentiri poſſunt, & percipi aliquo ſenſu exteriori, id eſt, viſu, auditu, olfactu, guſtu, tactu, quæ dicuntur

paſſibiles qualitates, & ſimiliter figuræ rerum & formæ ſunt propriæ qualitates. Secundum iſtas enim vnumquodq; dicitur quale.

63. Ad aliquid eſt ens, cuius eſſentia eſt ad alterum.

Vt duplum, dimidium, pater & filius, dominus & ſeruus, &c. Verùm hoc ens non videtur aliquid reale ponere ſecundum ordinem, quem dicit, ſed ſolum fundamentum illius ordinis, quod quidem non eſt, niſi accidens. Subſtantia enim eſt per ſe, non autem ad alterum. Ordinatur autem vna ſubſtantia ad alteram per quantitatem, vel principiũ quantitatis, vel per aliquid, quod habet modum quantitatis, vt duplum, & dimidium, quæ in quantitate fundantur. Similitudo autem fundatur in vnitate qualitatis. Ordo quoq; loci ad locatũ fundatur in eo, quod habet modum quantitatis, id eſt, ſecundum quod habent rationẽ menſuræ & menſurati. Similiter ſubſtantia altera ad alteram ordinatur per actionem & paſſionem, vt Pater ad filium, & econuerſo: Vel per id, quod habet modum actionis & paſſionis, vt habitus ad habituatum. Et hoc poteſt eſſe aliquando ſecundum præteritam actionem, vt in patre & filio: aliquando ſecundum præſentem, vt calefaciens, & quod calefit: aliquando ſecundum futuram, vt calefacturum, & calefactibile. Itaq; ordo vnius rei ad alteram fundatur vel in quantitate, vel in actione & paſſione: Quia intellectus per hoc conſiderat vnam ſubſtantiam ad alteram ordinari. Si ergo

nulla eſt in re quantitas, vel actio & paſſio, vnde intellectus ordinem accipit, relatio, quam intelliget, non erit realis, ſed tantùm vt relatio eiusdem ad idem, & ſpeciei & generis. Si autem ſit aliquod illorum ex parte vnius extremi, tantùm relatio erit realis ex parte illius ſolùm, vt relatio ſcientiæ ad ſcibile. Si autem aliquod illorum ſit in re ex parte vtriusq; extremi, erit relatio tota realis, quæ quidem in re non ponit niſi fundamentum, & perficitur ordo ab intellectu. Nec tamen poteſt dici: Quòd ſi intellectus non eſſet, nec ipſa relatio eſſet, quia ſemper fundamentum eſt tale, vt ſi intellectus ſit, poſſit ad alterum actu ordinari. Remanet enim radix illius ordinis, à quo relatio eſſe reale habet.

64. Actio eſt ens, ſecundum quod aliquid agere dicitur.

Vt eſt calefactio & frigefactio, ſecundum quas aliquis dicitur calefacere, vel frigefacere.

65. Paſsio eſt ens, ſecundum quod aliquid dicitur pati.

Vt eſt calefieri, frigefieri. Dicitur autem paſſio aliquando quæcunq; ſuſceptio, vt ſuſceptio ſcientiæ dicitur paſſio. Aliquando ſuſceptio eius, quod eſt contra naturam, vt cùm aqua ſuſcipit caliditatem, & homo ægritudinem, vel aliquid triſte. Sed de his inferiùs, vbi de motu agemus, ſubtilius pertractabimus.

66. Quando eſt eſſe in tempore.

Eſſe autem in tempore nihil aliud eſt, quàm

menſurari à tempore, vt eſſe in die, eſſe in anno; & eſſe in præterito, præſenti, vel futuro. Quid ſit autem tempus, poſteriùs dicetur. Quando autem materialiter dicit tempus, & rem tempore menſuratam. Formaliter autem eſt id menſurari, quod in anima perficitur. Vnde Quando eſt ens, quod habet perfectionem ab anima, ſicut dictum eſt de relatione.

67. Vbi eſt eſſe in loco.

Eſt enim eſſe in domo, eſſe in cœlo, & in loco proprio, in quo nihil eſt, niſi ipſum corpus locatum. Sed quid ſit locus, inferiùs dicendum. Vbi ergo realiter & materialiter dicit locum & locatum. Sed eſſe in loco, quod eſt formale, perficitur ab anima, ita vt vbi ſit ens reale, habens tamen perfectionem ab anima. Locus enim realis eſt, & ſimiliter locatum: Sed illud eſſe in loco, nihil eſt intra locatum: Sed per animam perficitur. Vnde realiter eſt aliquid in loco, tanquam in extrinſeco. Sed eſſe illud intrinſecum, id eſt, eſſe in loco, perficitur in anima, quemadmodum de Quando dictum eſt.

68. Situs eſt eſſe ſic in loco.

Dictum autem ſic, quoni- citer eſſe in loco: Hoc en- Sed eſt eſſe in loco ſe- eſſe ſupinum ſolùm dic &

in ſitu. Nec eſt dicendum, quòd formaliter ſitus dicat relationē. Eſſet enim in prædicamento relationis. Nam non videtur conuenienter dictum, quòd aliquæ ſint relationes, quæ non continentur in prædicamento relationis. Situs igitur dicit quendā modū eſſendi in loco, qui non eſt relatio, ſed ad ipſum immediatè ſequitur relatio: Quia ex hoc modo eſſēdi ſequitur ordo quidam partiū in loco. Vnde etiā ſolet dici, quòd ſitus eſt ordo partium in loco, quia explicatur ab eo, quod eſt magis notum. Vnde eſt relatiuum ſecundum dici, non autem ſecundum eſſe, quia principaliter non dicit relationem, & ipſum quoque eſt ens habens perfectionem ab anima, vti patet ex dictis.

69. Habitus eſt ens, vel eſſe, quo aliquid dicitur alterum habere.

Vt eſt eſſe armatum, eſſe calceatum, vel annulatum, vel veſtitum, & ſimilia. Dicit enim rem habentem, & habitum materialiter. Formaliter autem eſſe tale, [illegible]m perficitur in a-
[illegible]: Qualiter de [illegible] ſertum. Quamuis
[illegible]r habere & [illegible]tur actionem vel
[illegible] dicere [illegible] actio [illegible] paſſio:
re[illegible] n e[illegible] d hoc
[illegible] ctio [illegible] onis,
[illegible] u d [illegible] epta
[illegible] tera
[illegible] o au-
[illegible] s, ſunt
[illegible] m eſſe.
[illegible] qui non
eſt

eſt ordo, nec relatio, ſed ad quem ſequitur relatio. Propter exiguam verò eſſentiam, quam habent, & minimam diſtinctionem, quæ eſt inter illum eſſendi modum, & quæ immediatè ex illo ſequitur relationem: Sex prædicamenta hæc, quaſi relatiua, viſa ſunt.

70. Principium multipliciter dicitur.

Principium enim dicitur, vnde incipit motus vel magnitudo, & vnde bene incipit aliquid, & in eo, quod generatur, illud, quod primò fit, vt cor in animali: Et primũ efficiens aliquid non exiſtens, & principium in diſciplinis. Regis item in imperio poteſtas.

71. Cauſſa maximè quatuor modis dicitur.

Eſt enim cauſſa efficiens, finalis, materialis, & formalis. Plus autem eſt eſſe principium, quam cauſſa: Quia aliquid eſt principium, quod non eſt cauſſa: Vt principium magnitudinis, vnde incipit motus. Nulla autem eſt cauſſa, quæ non ſit rei, cuius eſt cauſſa, principium.

72. Elementum eſt, ex quo componitur aliquid primò, in quo exiſtit, & non diuiditur in p[illegible] diuerſarum ſpecierum.

Vt ignis, aër, aqua, & terra. Et ſimiliter literæ, ex quibus componuntur ſyllabæ, vel dictiones. Dicuntur quoq; & prima principia indemonſtrabilia elementa. Minùs verò commune elementum, quàm cauſſa: Elementũ enim cauſſa materialis eſt.

73. In cauſsis efficientibus non proceditur in infinitum.

Sic enim continuò cauſſa cauſſæ daretur, nec aliqua prima foret, vnde nec aliæ. Cauſſæ enim inferiores in virtute primæ mouent. Nec

74. Nec in materialibus proceditur in infinitum.

Si enim hoc fieret ex hoc, & illud ex alio, & ſic in infinitum, nunquam daretur effectus. Præterea materia, quæ eſt illud, ex quo aliquid fit, eſt media inter eſſe & non eſſe, modò ſuſcipiens eſſe, modò non eſſe. Impoſſibile eſt autem media eſſe infinita poſitis extremis. Et poſitis infinitis medijs, impoſſibile eſt extrema inueniri.

75. Nec in cauſsis formalibus.

A forma enim ſumitur ſpecies & eſſe rei, quam ſignificat definitio. Oporteret ergo in definitionibus procedere in infinitum. Nihil ergo contingeret cognoſcere. Res enim non cognoſcitur perfectè, niſi eius definitio habeatur. Infinitum verò intellectu comprehendi nequit.

76. Nec in cauſsis finalibus.

Sic enim nullus eſſet finis. Non enim daretur vltimum, in hoc autem eſt ratio finis. Præterea cùm omnia appetant bonum, & agant propter finem: Finis habebit rationem boni. Ratio ergo boni tolletur, nec ullum operari conabitur: Itaq; nullum per intellectum agens futurum. Vnde intellectus ſubmouebitur practicus.

77. Species cauſſarum non ſunt infinitæ.

Nihil enim contingeret ſcire. Scire enim arbitramur vnumquodq; vbi omnes cauſſas eius cognouerimus.

78. Natura multis modis dicitur.

Vno enim modo dicitur generatio naſcentium, ſiue natiuitas, quaſi naſcitura. Alio modo principiū

huius

huius natiuitatis. Tertiò principium cuiuscunque motus intrinſecum, vt materia & forma. Quartò modo eſſentia, vel quidditas rei. Dicitur & materia artificialium eorum natura. Præterea, tranſlatione quadam, eſſentia omnis naturæ nomen obtinuit.

79. Neceſſarium eſt, quod non contingit aliter ſe habere.

Primò neceſſarium dicitur id, ſine quo animal viuere, aut aliquid eſſe nequit, etiamſi non ſit princeps vitæ cauſſa, vt alimentum, reſpiratio &c. Secundò id, ſine quo bonum acquiri, & malum depelli nequit. Tertiò quod violentum eſt, & vim adfert. Quartò, quòd ſe aliter habere nequit: Quo ferè modo neceſſarium in demonſtrationibus dicitur.

80. Ens dicitur multipliciter.

Nam primò diuiditur in ens per ſe, & ens per accidens. Ens per accidens dicitur, vel cùm accidens dicitur de accidente, vel accidens de ſubiecto, vel econuerſo. Secundò, Ens per ſe diuiditur in ens extra animam, quod ſignificat figuras prædicamentorum, ſcilicet Subſtantiam, Quantitatem, &c. Et in illa diuiditur: Et in ens in anima, quod dicitur ens verum, & eſt illud ens, quod ſignificat veritatem propoſitionis, ſicut non ens illi oppoſitum ſignificat falſitatem. Vnde conſiſtit in compoſitione & diuiſione, & circa partitionem contradictionis. de quo ente non oportet hic

hic agere: tum quia cauſſatur ab operatione intellectus, & ſic pertinet ad ſcientiam de intellectu, tum quia conſiſtit circa entia per ſe extra animã, circa quæ intellectus facit compoſitionem & diuiſionem. Et ſic non oſtendit aliam naturam entis, præter illa, licet quandoque dicatur ens iſto modo, quod non eſt ens illo modo, pro quanto intellectus conſiderat aliquid, quod non eſt ens in ſe, vt quoddam ens, ſicut negationem & huiuſmodi. Et tale dicitur ens rationis, quod conſideratur à logico. Tertiò diuiditur ens per actum & potentiam: Quæ diuiſio competit omnibus modis entis ſupradictis, quia in omnibus dicitur aliquid in actu, & aliquid in potentia.

81. Vnum dicitur multipliciter.

Nam vltra modos ſuperiùs dictos, cùm de vno ageretur, dicitur vnum numero, vnum ſpecie, vnum genere, & vnum analogia ſiue proportione, licet hæc diuiſio ſit magis logica: Illa verò ſuperior metaphyſica. Vnum numero dicuntur, quorum materia eſt vna: Specie, quorum ratio eſt vna: Genere, quæ habent vnum modum prædicandi: Analogia, quando vnum ſe habet ad illud, ſicut aliud ad aliud: Quod contingit dupliciter: *Vel quia duo habent habitudinem ad vnum, ſicut ſanum, dictum de vrina & medicina: dicuntur enim in ordine ad ſanitatem animalis; vel quia eſt eadem proportio duorum ad diuerſa, ſicut tranquillitatis ad mare, & ſerenitatis ad aërem.*

Potentia

82. Potentia dicitur multipliciter.

Primò quod eſt principium motus vel mutationis in alio, in quantum aliud, quæ eſt ratio potentiæ actiuæ. Secundò, quòd eſt principium motus vel mutationis, ab altero in quantum alterum; quæ eſt ratio potentiæ paſſiuæ. Tertiò, quod eſt principium agendi vel patiendi, non quomodocunq, ſed bene, vel ſecundum quod homo diſponit. Quartò omnis forma & diſpoſitio, ſecundum quam aliqua redduntur impaſſibilia, vel immobilia omnino, aut nō de facili: Et tot etiam modis dicitur poſſibile, & oppoſita eorum, ſcilicet impotentia & impoſſibile, licet poſſibile & impoßibile etiam aliter ſecundum habitudinem terminorum dicatur.

83. Actus etiam dicitur multipliciter.

Dicitur enim de forma, quæ eſt actus primus, & de motu ſiue operatione, quæ eſt actus ſecundus. Et primo modo diuiditur in actum ſubſtantialem, & accidentalem, ſicut eſt quædam forma ſubſtantialis, quæ dat eſſe ſimpliciter in actu, & quædam accidentalis, quæ dat eſſe in actu ſecundum quid. Tot etiam modis dicitur eſſe in actu, & vltra illos, dicitur aliquid eſſe in actu perfecto, quando eſt totum in actu, vt entia permanentia, & aliquid in actu imperfecto, qui ſcilicet habet admixtam potentiam, vt infinitum, entia ſucceſſiua, & huiuſmodi, vltra modos dictos ipſius actus. Et ipſum eſſe rei dicitur actus, quia eſt actualitas rei, & diuiditur in eſſe eſſentiæ, & eſſe exiſtentiæ: Et etiam in eſſe ſubſtantiale & accidentale.

Actus

84. Actus ſimpliciter eſt prior potentia : non autem in eodem.

Primum ex eo patet. Nam vt aliquid de potentia in actum reducatur, aliquid in actu exiſtens requiritur: Cùm nihil reducat ſe de potentia in actū. Vnde potentia ſemper præſupponit actum, qui ſermo de potentia paſſiua intelligendus. Nam actiua eſt actus quidam eo modo, quo forma dicitur actus. Secundum inde conſtat, quia in his, quia fieri debent, vnumquodq; eſt prius in potentia, quàm in actu. De alijs verò partibus entis, ſc. ſubſtantia, quantitate, quot modis dicantur, ex ſuperioribus liquet.

85 Eadem dicuntur multipliciter.

Quædam ſunt eadem per ſe, quædam per accidens Quædam eadem genere, quædam eadem ſpecie. Quædam eadem numero, quædam definitione, quædam proportione: Et ferè tot modis, quot modis vnum: Tot quoq; diuerſa dicuntur, quæ partes multitudinis ſunt, quemadmodum idem pars vnius eſt.

85 Differentia dicuntur multipliciter.

Primò & propriè, quando aliqua conuenientia in aliquo vno, aut numero, aut ſpecie, aut genere, aut proportione, ſunt diuerſa. Secundò & communiter, quando aliqua ſunt diuerſa, ſiue conueniant in aliquo vno ſiue non: Atq; ſic idem differentia ſunt & diuerſa.

87. Similia dicuntur multipliciter.

Nam & quæ idem, & quæ magis idem, quàm diuerſum patiuntur, ſimilia dicimus. Sed maximè propriè ſimilia ſunt, quorū eadem ſpecies & qua-

litas

58 Malum ſummum non datur.

Quia malum ſummum excludit omne bonum: Igitur etiam ſubiectum. Nullum ergo habet fundamentum: Ergo omnino nihil eſt malum ſummum.

59. Subſtantia eſt ens, per ſe exiſtens.

Subſtantia enim non eſt in altero, tanquam in ſubiecto, ſed ipſa eſt aliorum ſubiectum. Vnde, quia omnibus accidentibus ſubſtet, à ſubſtando dicitur. Et ſecundum hoc, priùs conuenit ſingularibus eſſe ſubſtantiam, quàm generibus & ſpeciebus. Dicitur quoque ſubſtantia à ſubſiſtendo, & per ſe ſtando: Quia eſt ens per ſe, id eſt, cui per ſe conuenit eſſe, non in alio. Et ſic primò vniuerſali ſubſtantiæ conuenit. Eſt enim hoc de ratione ſubſtantiæ, in quantum ſubſtantia eſt. Dicitur etiam ſubſtantia aliquando eſſentia ab eſſendo: Vnde quod quid eſt, dicitur ſubſtantia rerum: Et ſimiliter forma, quæ dat eſſe, dicitur ſubſtantia.

60. Accidens eſt ens in ſubiecto.

Non enim per ſe ens eſt, ſed eò, quia ſit entis, hoc eſt, ſubſtantiæ. Aliquando autem propriè, vt de forma, realiter ſubiecto inhærente, velut de albedine, accidens dicitur. Aliquando autem non ita propriè: Vt cùm dicitur de aliquo, quod tantùm ſecundũ rationem inhæreat, vt dextrum vel ſiniſtrum in columna. Et adhuc minùs propriè, cùm de ſubſtantia, quòd accidat alteri, vtpote quòd veſtis accidat Socrati, aſſeritur. Habet

bet enim nomen accidentis, licet non ſit accidens. Dicitur etiam accidens ens per accidens, de quo locuti ſumus ſuprà in 30. concluſione.

61. Quantitas eſt accidens, cui primò ineſt diuiſio in partes componentes.

Intellige autem de diuiſione materiali: Omne enim, quod ſic diuiditur, vel eſt quantum diſcretum, vt numerus: Vel continuum, vt linea. Per ſe igitur quantum eſt, quod per ſe diuiditur: per accidens verò, quod per alterum diuiditur, vt albedo, motus, & tempus. Multum autem, & paucum, longum & breue, latum & ſtrictum, profundum & altum, graue & leue, & ſimilia, non ſunt quantitates, ſed paſſiones eius.

62. Qualitas eſt ens, ſecundum quod vnumquodque denominatur quale.

Hoc autem primò modo eſt vniuscuiusque differentia ſubſtantialis, ſecundum quam res dicitur qualis. Cùm enim quæritur, qualis eſt homo? Conuenienter reſpondemus: Rationalis, vel bipes. Verùm hæc qualitas in ſubſtantijs, id eſt, differentia ſubſtantialis ſubſtantiarum non eſt propriè ſecundum rem qualitas: Sed habet ſolum modum qualitatis. Habitus autem, ſeu diſpoſitiones ſubſtantiarum, ſiue in anima, ſiue in corpore, ſiue in materia, ſiue in forma: Potentiæ quoque naturales ad agendum vel ad patiendum: Et ſimiliter paſſiones ſubſtantiæ, & ea, quæ ſentiri poſſunt, & percipi aliquo ſenſu exteriori, id eſt, viſu, auditu, olfactu, guſtu, tactu, quæ dicuntur

paſſibiles qualitates,& ſimiliter figuræ rerum & formæ ſunt propriæ qualitates. Secundum iſtas enim vnumquodq; dicitur quale.

63. Ad aliquid eſt ens,cuius eſſentia eſt ad alterum.

Vt duplum,dimidium,pater & filius, dominus & ſeruus,&c. Verùm hoc ens non videtur aliquid reale ponere ſecundum ordinem,quem dicit, ſed ſolum fundamentum illius ordinis, quod quidem non eſt, niſi accidens. Subſtantia enim eſt per ſe, non autem ad alterum. Ordinatur autem vna ſubſtantia ad alteram per quantitatem, vel principiū quantitatis, vel per aliquid, quod habet modum quantitatis,vt duplum,& dimidium,quæ in quantitate fundantur. Similitudo autem fundatur in vnitate qualitatis. Ordo quoq; loci ad locatū fundatur in eo,quod habet modum quantitatis,id eſt, ſecundum quod habent rationē menſuræ & menſurati. Similiter ſubſtantia altera ad alteram ordinatur per actionem & paſſionem, vt Pater ad filium,& econuerſo: Vel per id,quod habet modum actionis & paſſionis, vt habitus ad habituatum. Et hoc poteſt eſſe aliquando ſecundum præteritam actionem, vt in patre & filio: aliquando ſecundum præſentem, vt calefaciens, & quod calefit: aliquando ſecundum futuram, vt calefacturum, & calefactibile. Itaq; ordo vnius rei ad alteram fundatur vel in quantitate,vel in actione & paſſione: Quia intellectus per hoc conſiderat vnam ſubſtantiam ad alteram ordinari. Si ergo

nullæ

nulla eſt in re quantitas, vel actio & paſſio, vnde intellectus ordinem accipit, relatio, quam intelliget, non erit realis, ſed tantùm vt relatio eiusdem ad idem, & ſpeciei & generis. Si autem ſit aliquod illorum ex parte vnius extremi, tantùm relatio erit realis ex parte illius ſolùm, vt relatio ſcientiæ ad ſcibile. Si autem aliquod illorum ſit in re ex parte vtriusq; extremi, erit relatio tota realis, quæ quidem in re non ponit niſi fundamentum, & perficitur ordo ab intellectu. Nec tamen poteſt dici: Quòd ſi intellectus non eſſet, nec ipſa relatio eſſet, quia ſemper fundamentum eſt tale, vt ſi intellectus ſit, poſſit ad alterum actu ordinari. Remanet enim radix illius ordinis, à quo relatio eſſe reale habet.

64. Actio eſt ens, ſecundum quod aliquid agere dicitur.

Vt eſt calefactio & frigefactio, ſecundum quas aliquis dicitur calefacere, vel frigefacere.

65. Paſsio eſt ens, ſecundum quod aliquid dicitur pati.

Vt eſt calefieri, frigefieri. Dicitur autem paſſio aliquando quæcunq; ſuſceptio, vt ſuſceptio ſcientiæ dicitur paſſio. Aliquando ſuſceptio eius, quod eſt contra naturam, vt cùm aqua ſuſcipit caliditatem, & homo ægritudinem, vel aliquid triſte. Sed de his inferiùs, vbi de motu agemus, ſubtilius pertractabimus.

66. Quando eſt eſſe in tempore.

Eſſe autem in tempore nihil aliud eſt, quàm

menſurari à tempore, vt eſſe in die, eſſe in anno, & eſſe in præterito, præſenti, vel futuro. Quid ſit autem tempus, poſteriùs dicetur. Quando autem materialiter dicit tempus, & rem tempore menſuratam. Formaliter autem eſt id menſurari, quod in anima perficitur. Vnde Quando eſt ens, quod habet perfectionem ab anima, ſicut dictum eſt de relatione.

67. Vbi eſt eſſe in loco.

Eſt enim eſſe in domo, eſſe in cœlo, & in loco proprio, in quo nihil eſt, niſi ipſum corpus locatum. Sed quid ſit locus, inferiùs dicendum. Vbi ergo realiter & materialiter dicit locum & locatum. Sed eſſe in loco, quod eſt formale, perficitur ab anima, ita vt vbi ſit ens reale, habens tamen perfectionem ab anima. Locus enim realis eſt, & ſimiliter locatum: Sed illud eſſe in loco, nihil eſt intra locatum: Sed per animam perficitur. Vnde realiter eſt aliquid in loco, tanquam in extrinſeco. Sed eſſe illud intrinſecum, id eſt, eſſe in loco, perficitur in anima, quemadmodum de Quando *dictum eſt.*

68. Situs eſt eſſe ſic in loco.

Dictum autem ſic, quoniam non eſt ſimpliciter eſſe in loco: Hoc enim eſt Vbi, vti dictum. Sed eſt eſſe in loco ſecundum aliquem modum, vt eſſe ſupinum vel ſtantem in loco. Situs ergo non ſolùm dicit locum & locatum materialiter: Sed & partes ſibi inuicem correſpondentes, ſecundum aliquem ordinem. Modus ergo eſſendi in in loco ipſius locati ſecundum partes, eſt formale in ſi-

in ſitu. Nec eſt dicendum, quòd formaliter ſitus dicat relationē. Eſſet enim in prædicamento relationis, Nam non videtur conuenienter dictum, quòd aliquæ ſint relationes, quæ non continentur in prædicamento relationis. Situs igitur dicit quendā modū eſſendi in loco, qui non eſt relatio, ſed ad ipſum immediatè ſequitur relatio: Quia ex hoc modo eſſē di ſequitur ordo quidam partiū in loco. Vnde etiā ſolet dici, quòd ſitus eſt ordo partium in loco, quia explicatur ab eo, quod eſt magis notum. Vnde eſt relatiuum ſecundum dici, non autem ſecundum eſſe, quia principaliter non dicit relationem, & ipſum quoque eſt ens habens perfectionem ab anima, vti patet ex dictis.

69. Habitus eſt ens, vel eſſe, quo aliquid dicitur alterum habere.

Vt eſt eſſe armatum, eſſe calceatum, vel annulatum, vel veſtitum, & ſimilia. Dicit enim rem habentem, & habitum materialiter. Formaliter autem eſſe tale, quod etiam perficitur in anima: Qualiter de alijs ſuprà aſſertum. Quamuis igitur habere & haberi, videatur actionem vel paſſionem dicere: Non tamen eſt actio, vel paſſio: nec etiam relatio. Sed verum eſt, quòd ad hoc eſſe ſequitur quidam modus actionis & paſſionis, & quædam relatio, vt de ſitu dictum eſt. Excepta enim ſubſtantia, quantitate, & qualitate, cætera prædicamenta perficiuntur ab anima. Paſſio autem & actio, quando, vbi, ſitus, & habitus, ſunt relatiua ſecundum dici, non autem ſecundum eſſe. Dicunt enim modum eſſendi principaliter, qui non

eſt ordo, nec relatio, ſed ad quem ſequitur relatio. Propter exiguam verò eſſentiam, quam habent, & minimam diſtinctionem, quæ eſt inter illum eſſendi modum, & quæ immediatè ex illo ſequitur relationem: Sex prædicamenta hæc, quaſi relatiua, viſa ſunt.

70. Principium multipliciter dicitur.

Principium enim dicitur, vnde incipit motus vel magnitudo, & vnde bene incipit aliquid, & in eo, quod generatur, illud, quod primò fit, vt cor in animali: Et primũ efficiens aliquid non exiſtens, & principium in diſciplinis. Regis item in imperio poteſtas.

71. Cauſſa maximè quatuor modis dicitur.

Eſt enim cauſſa efficiens, finalis, materialis, & formalis. Plus autem eſt eſſe principium, quàm cauſſa: Quia aliquid eſt principium, quod non eſt cauſſa: Vt principium magnitudinis, vnde incipit motus. Nulla autem eſt cauſſa, quæ non ſit rei, cuius eſt cauſſa, principium.

72. Elementum eſt, ex quo componitur aliquid primò, in quo exiſtit, & non diuiditur in p[illegible] diuerſarum ſpecierum.

Vt ignis, aër, aqua, & terra. Et ſimiliter literæ, ex quibus componuntur ſyllabæ, vel dictiones. Dicuntur quoq; & prima principia indemonſtrabilia elementa. Minùs verò commune elementum, quàm cauſſa: Elementũ enim cauſſa materialis eſt.

73. In cauſsis efficientibus non proceditur in infinitum.

Sic enim continuò cauſſa cauſſæ daretur, nec aliqua prima foret, vnde nec aliæ. Cauſſæ enim inferiores in virtute primæ mouent. Nec

74. Nec in materialibus proceditur in infinitum.

Si enim hoc fieret ex hoc, & illud ex alio, & ſic in infinitum, nunquam daretur effectus. Praterea materia, quæ eſt illud, ex quo aliquid fit, eſt media inter eſſe & non eſſe, modò ſuſcipiens eſſe, modò non eſſe. Impoſſibile eſt autem media eſſe infinita poſitis extremis. Et poſitis infinitis medijs, impoſſibile eſt extrema inueniri.

75. Nec in cauſsis formalibus.

A forma enim ſumitur ſpecies & eſſe rei, quam ſignificat definitio. Oporteret ergo in definitionibus procedere in infinitum. Nihil ergo contingeret cognoſcere. Res enim non cognoſcitur perfectè, niſi eius definitio habeatur. Infinitum verò intellectu comprehendi nequit.

76. Nec in cauſsis finalibus.

Sic enim nullus eſſet finis. Non enim daretur vltimum, in hoc autem eſt ratio finis. Præterea cùm omnia appetant bonum, & agant propter finem: Finis habebit rationem boni. Ratio ergo boni tolletur, nec ullum operari conabitur: Itaq; nullum per intellectum agens futurum. Unde intellectus ſubmouebitur practicus.

77. Species cauſſarum non ſunt infinitæ.

Nihil enim contingeret ſcire. Scire enim arbitramur vnumquodq; vbi omnes cauſſas eius cognouerimus.

78. Natura multis modis dicitur.

Uno enim modo dicitur generatio naſcentium, ſiue natiuitas, quaſi naſcitura. Alio modo principiū huius

huius natiuitatis. Tertiò principium cuiuscunque motus intrinſecum, vt materia & forma. Quartò modo eſſentia, vel quidditas rei. Dicitur & materia artificialium eorum natura. Præterea, tranſlatione quadam, eſſentia omnis naturæ nomen obtinuit.

79. Neceſſarium eſt, quod non contingit aliter ſe habere.

Primò neceſſarium dicitur id, ſine quo animal viuere, aut aliquid eſſe nequit, etiamſi non ſit princeps vitæ cauſſa, vt alimentum, reſpiratio &c. Secundò id, ſine quo bonum acquiri, & malum depelli nequit. Tertiò quod violentum eſt, & vim adfert. Quartò, quòd ſe aliter habere nequit: Quo ferè modo neceſſarium in demonſtrationibus dicitur.

80. Ens dicitur multipliciter.

Nam primò diuiditur in ens per ſe, & ens per accidens. Ens per accidens dicitur, vel cùm accidens dicitur de accidente, vel accidens de ſubiecto, vel econuerſo. Secundò, Ens per ſe diuiditur in ens extra animam, quod ſignificat figuras prædicamentorum, ſcilicet Subſtantiam, Quantitatem, &c. Et in illa diuiditur: Et in ens in anima, quod dicitur ens verum, & eſt illud ens, quod ſignificat veritatem propoſitionis, ſicut non ens illi oppoſitum ſignificat falſitatem. Vnde conſiſtit in compoſitione & diuiſione, & circa partitionem contradictionis, de quo ente non oportet hic

hic agere: tum quia cauſſatur ab operatione intellectus, & ſic pertinet ad ſcientiam de intellectu, tum quia conſiſtit circa entia per ſe extra animã, circa quæ intellectus facit compoſitionem & diuiſionem. Et ſic non oſtendit aliam naturam entis, præter illa, licet quandoque dicatur ens iſto modo, quod non eſt ens illo modo, pro quanto intellectus conſiderat aliquid, quod non eſt ens in ſe, vt quoddam ens, ſicut negationem & huiuſmodi. Et tale dicitur ens rationis, quod conſideratur à logico. Tertiò diuiditur ens per actum & potentiam: Quæ diuiſio competit omnibus modis entis ſupradictis, quia in omnibus dicitur aliquid in actu, & aliquid in potentia.

81. Vnum dicitur multipliciter.

Nam vltra modos ſuperiùs dictos, cùm de vno ageretur, dicitur vnum numero, vnum ſpecie, vnum genere, & vnum analogia ſiue proportione, licet hæc diuiſio ſit magis logica: Illa verò ſuperior metaphyſica. Vnum numero dicuntur, quorum materia eſt vna: Specie, quorum ratio eſt vna: Genere, quæ habent vnum modum prædicandi: Analogia, quando vnum ſe habet ad illud, ſicut aliud ad aliud: Quod *contingit dupliciter: Vel quia duo habent habitudinem ad vnum, ſicut ſanum, dictum de vrina & medicina: dicuntur enim in ordine ad ſanitatem animalis; vel quia eſt eadem proportio duorum ad diuerſa, ſicut tranquillitatis ad mare, & ſerenitatis ad aërem.*

82. Potentia dicitur multipliciter.

Primò quod eſt principium motus vel mutationis in alio, in quantum aliud, quæ eſt ratio potentiæ actiuæ. Secundò, quòd eſt principium motus vel mutationis, ab altero in quantum alterum; quæ eſt ratio potentiæ paſſiuæ. Tertiò, quod eſt principium agendi vel patiendi, non quomodocunq; ſed bene, vel ſecundum quod homo diſponit. Quartò omnis forma & diſpoſitio, ſecundum quam aliqua redduntur impaſſibilia, vel immobilia omnino, aut nõ de facili: Et tot etiam modis dicitur poſſibile, & oppoſita eorum, ſcilicet impotentia & impoſſibile, licet poſſibile & impoßibile etiam aliter ſecundum habitudinem terminorum dicatur.

83. Actus etiam dicitur multipliciter.

Dicitur enim de forma, quæ eſt actus primus, & de motu ſiue operatione, quæ eſt actus ſecundus. Et primo modo diuiditur in actum ſubſtantialem, & accidentalem, ſicut eſt quædam forma ſubſtantialis, quæ dat eſſe ſimpliciter in actu, & quædam accidentalis, quæ dat eſſe in actu ſecundum quid. Tot etiam modis dicitur eſſe in actu, & vltra illos, dicitur aliquid eſſe in actu perfecto, quando eſt totum in actu, vt entia permanentia, & aliquid in actu imperfecto, qui ſcilicet habet admixtam potentiam, vt infinitum, entia ſucceſſiua, & huiuſmodi, vltra modos dictos ipſius actus. Et ipſum eſſe rei dicitur actus, quia eſt actualitas rei, & diuiditur in eſſe eſſentiæ, & eſſe exiſtentiæ: Et etiam in eſſe ſubſtantiale & accidentale.

Actus

84. Actus ſimpliciter eſt prior potentia: non autem in eodem.

Primum ex eo patet. Nam vt aliquid de potentia in actum reducatur, aliquid in actu exiſtens requiritur: Cùm nihil reducat ſe de potentia in actũ. Unde potentia ſemper præſupponit actum, qui ſermo de potentia paſſiua intelligendus. Nam actiua eſt actus quidam eo modo, quo forma dicitur actus. Secundum inde conſtat, quia in his, quia fieri debent, vnumquodq; eſt prius in potentia, quàm in actu. De alijs verò partibus entis, ſc. ſubſtantia, quantitate, quot modis dicantur, ex ſuperioribus liquet.

85 Eadem dicuntur multipliciter.

Quædam ſunt eadem per ſe, quædam per accidens Quædam eadem genere, quædam eadem ſpecie. Quædam eadem numero, quædam definitione, quædam proportione: & ferè tot modis, quot modis vnum: Tot quoq; diuerſa dicuntur, quæ partes multitudinis ſunt, quemadmodum idem pars vnius eſt.

85 Differentia dicuntur multipliciter.

Primò & propriè, quando aliqua conuenientia in aliquo vno, aut numero, aut ſpecie, aut genere, aut proportione, ſunt diuerſa. Secundò & communiter, quando aliqua ſunt diuerſa, ſiue conueniant in aliquo vno ſiue non: Atq; ſic idem differentia ſunt & diuerſa.

87. Similia dicuntur multipliciter.

Nam & quæ idem, & quæ magis idem, quàm diuerſum patiuntur, ſimilia dicimus. Sed maximè propriè ſimilia ſunt, quorũ eadem ſpecies & qualitas

58 Malum ſummum non datur.

Quia malum ſummum excludit omne bonum: Igitur etiam ſubiectum. Nullum ergo habet fundamentum: Ergo omnino nihil eſt malum ſummum.

59. Subſtantia eſt ens, per ſe exiſtens.

Subſtantia enim non eſt in altero, tanquam in ſubiecto, ſed ipſa eſt aliorum ſubiectum. Unde, quia omnibus accidentibus ſubſtet, à ſubſtando dicitur. Et ſecundum hoc, priùs conuenit ſingularibus eſſe ſubſtantiam, quàm generibus & ſpeciebus. Dicitur quoque ſubſtantia à ſubſiſtendo, & per ſe ſtando: Quia eſt ens per ſe, id eſt, cui per ſe conuenit eſſe, non in alio. Et ſic primò vniuerſali ſubſtantiæ conuenit. Eſt enim hoc de ratione ſubſtantiæ, in quantum ſubſtantia eſt. Dicitur etiam ſubſtantia aliquando eſſentia ab eſſendo: Unde quod quid eſt, dicitur ſubſtantia rerum: Et ſimiliter forma, quæ dat eſſe, dicitur ſubſtantia.

60. Accidens eſt ens in ſubiecto.

Non enim per ſe ens eſt, ſed eò, quia ſit entis, hoc eſt, ſubſtantiæ. Aliquando autem propriè, vt de forma, realiter ſubiecto inhærente, veluti de albedine, accidens dicitur. Aliquando autem non ita propriè: Ut cùm dicitur de aliquo, quod tantùm ſecundũ rationem inhæreat, vt dextrum vel ſiniſtrum in columna. Et adhuc minùs propriè, cùm de ſubſtantia, quòd accidat alteri, vtpote quòd veſtis accidat Socrati, aſſeritur. Habet

bet enim nomen accidentis, licet non ſit accidens. Dicitur etiam accidens ens per accidens, de quo locuti ſumus ſuprà in 30. concluſione.

61. Quantitas eſt accidens, cui primò ineſt diuiſio in partes componentes.

Intellige autem de diuiſione materiali: Omne enim, quod ſic diuiditur, vel eſt quantum diſcretum, vt numerus: Vel continuum, vt linea. Per ſe igitur quantum eſt, quod per ſe diuiditur: per accidens verò, quod per alterum diuiditur, vt albedo, motus, & tempus. Multum autem, & paucum, longum & breue, latum & ſtrictum, profundum & altum, graue & leue, & ſimilia, non ſunt quantitates, ſed paſſiones eius.

62. Qualitas eſt ens, ſecundum quod vnumquodque denominatur quale.

Hoc autem primo modo eſt vniuscuiusq; differentia ſubſtantialis, ſecundum quam res dicitur qualis. Cùm enim quæritur, qualis eſt homo? Conuenienter reſpondemus: Rationalis, vel bipes. Verùm hæc qualitas in ſubſtantijs, id eſt, differentia ſubſtantialis ſubſtantiarum non eſt propriè ſecundum rem qualitas: Sed habet ſolum modum qualitatis. Habitus autem, ſeu diſpoſitiones ſubſtantiarum, ſiue in anima, ſiue in corpore, ſiue in materia, ſiue in forma: Potentiæ quoque naturales ad agendum vel ad patiendum: Et ſimiliter paſſiones ſubſtantiæ, & ea, quæ ſentiri poſſunt, & percipi aliquo ſenſu exteriori, id eſt, viſu, auditu, olfactu, guſtu, tactu, quæ dicuntur

paſſibiles qualitates, & ſimiliter figuræ rerum & formæ ſunt propriæ qualitates. Secundum iſtas enim vnumquodq; dicitur quale.

63. Ad aliquid eſt ens, cuius eſſentia eſt ad alterum.

Vt duplum, dimidium, pater & filius, dominus & ſeruus, &c. Verùm hoc ens non videtur aliquid reale ponere ſecundum ordinem, quem dicit, ſed ſolum fundamentum illius ordinis, quod quidem non eſt, niſi accidens. Subſtantia enim eſt per ſe, non autem ad alterum. Ordinatur autem vna ſubſtantia ad alteram per quantitatem, vel principiũ quantitatis, vel per aliquid, quod habet modum quantitatis, vt duplum, & dimidium, quæ in quantitate fundantur. Similitudo autem fundatur in vnitate qualitatis. Ordo quoq; loci ad locatũ fundatur in eo, quod habet modum quantitatis, id eſt, ſecundum quod habent rationẽ menſuræ & menſurati. Similiter ſubſtantia altera ad alteram ordinatur per actionem & paſſionem, vt Pater ad filium, & econuerſo: Vel per id, quod habet modum actionis & paſſionis, vt habitus ad habituatum. Et hoc poteſt eſſe aliquando ſecundum præteritam actionem, vt in patre & filio: aliquando ſecundum præſentem, vt calefaciens, & quod calefit: aliquando ſecundum futuram, vt calefacturum, & calefactibile. Itaq; ordo vnius rei ad alteram fundatur vel in quantitate, vel in actione & paſſione: Quia intellectus per hoc conſiderat vnam ſubſtantiam ad alteram ordinari. Si ergo

nulla eſt in re quantitas, vel actio & paſſio, vnde intellectus ordinem accipit, relatio, quam intelliget, non erit realis, ſed tantùm vt relatio eiusdem ad idem, & ſpeciei & generis. Si autem ſit aliquod illorum ex parte vnius extremi, tantùm relatio erit realis ex parte illius ſolùm, vt relatio ſcientiæ ad ſcibile. Si autem aliquod illorum ſit in re ex parte vtriusq; extremi, erit relatio tota realis, quæ quidem in re non ponit niſi fundamentum, & perficitur ordo ab intellectu. Nec tamen poteſt dici: Quòd ſi intellectus non eſſet, nec ipſa relatio eſſet, quia ſemper fundamentum eſt tale, vt ſi intellectus ſit, poſſit ad alterum actu ordinari. Remanet enim radix illius ordinis, a quo relatio eſſe reale habet.

64. Actio eſt ens, ſecundum quod aliquid agere dicitur.

Vt eſt calefactio & frigefactio, ſecundum quas aliquis dicitur calefacere, vel frigefacere.

65. Paſsio eſt ens, ſecundum quod aliquid dicitur pati.

Vt eſt calefieri, frigefieri. Dicitur autem paſſio aliquando quæcunq; ſuſceptio, vt ſuſceptio ſcientiæ dicitur paſſio. Aliquando ſuſceptio eius, quod eſt contra naturam, vt cùm aqua ſuſcipit caliditatem, & homo ægritudinem, vel aliquid triſte. Sed de his inferiùs, vbi de motu agemus, ſubtiliùs pertractabimus.

66. Quando eſt eſſe in tempore.

Eſſe autem in tempore nihil aliud eſt, quàm

menſurari à tempore, vt eſſe in die, eſſe in anno, & eſſe in præterito, præſenti, vel futuro. Quid ſit autem tempus, poſteriùs dicetur. Quando autem materialiter dicit tempus, & rem tempore menſuratam. Formaliter autem eſt id menſurari. quod in anima perficitur. Unde Quando eſt ens, quod habet perfectionem ab anima, ſicut dictum eſt de relatione.

67. Vbi eſt eſſe in loco.

Eſt enim eſſe in domo, eſſe in cælo, & in loco proprio, in quo nihil eſt, niſi ipſum corpus locatum. Sed quid ſit locus, inferiùs dicendum. Vbi ergo realiter & materialiter dicit locum & locatum. Sed eſſe in loco, quod eſt formale, perficitur ab anima, ita vt vbi ſit ens reale, habens tamen perfectionem ab anima. Locus enim realis eſt, & ſimiliter locatum: Sed illud eſſe in loco, nihil eſt intra locatum: Sed per animam perficitur. Vnde realiter eſt aliquid in loco, tanquam in extrinſeco. Sed eſſe illud intrinſecum, id eſt, eſſe in loco, perficitur in anima, quemadmodum de Quando dictum eſt.

68. Situs eſt eſſe ſic in loco.

Dictum autem ſic, quoniam non eſt ſimpliciter eſſe in loco: Hoc enim eſt Vbi, vti dictum. Sed eſt eſſe in loco ſecundum aliquem modum, vt eſſe ſupinum vel ſtantem in loco. Situs ergo non ſolùm dicit locum & locatum materialiter: Sed & partes ſibi inuicem correſpondentes, ſecundum aliquem ordinem. Modus ergo eſſendi in in loco ipſius locati ſecundum partes, eſt formale in ſi-

in ſitu. Nec eſt dicendum, quòd formaliter ſitus dicat relationẽ. Eſſet enim in prædicamento relationis. Nam non videtur conuenienter dictum, quòd aliquæ ſint relationes, quæ non continentur in prædicamento relationis. Situs igitur dicit quendã modũ eſſendi in loco, qui non eſt relatio, ſed ad ipſum immediatè ſequitur relatio: Quia ex hoc modo eſſẽdi ſequitur ordo quidam partiũ in loco. Vnde etiã ſolet dici, quòd ſitus eſt ordo partium in loco, quia explicatur ab eo, quod eſt magis notum. Vnde eſt relatiuum ſecundum dici, non autem ſecundum eſſe, quia principaliter non dicit relationem, & ipſum quoque eſt ens habens perfectionem ab anima, vti patet ex dictis.

69. Habitus eſt ens, vel eſſe, quo aliquid dicitur alterum habere.

Vt eſt eſſe armatum, eſſe calceatum, vel annulatum, vel veſtitum, & ſimilia. Dicit enim rem habentem, & habitum materialiter. Formaliter autem eſſe tale, quod etiam perficitur in anima: Qualiter de aliȷs ſuprà aſſertum. Quamuis igitur habere & haberi, videatur actionem vel paſſionem dicere: Non tamen eſt actio, vel paſſio: nec etiam relatio. Sed verum eſt, quòd ad hoc eſſe ſequitur quidam modus actionis & paſſionis, & quædam relatio, vt de ſitu dictum eſt. Excepta enim ſubſtantia, quantitate, & qualitate, cætera prædicamenta perficiuntur ab anima. Paſſio autem & actio, quando, vbi, ſitus, & habitus, ſunt relatiua ſecundum dici, non autem ſecundum eſſe. Dicunt enim modum eſſendi principaliter, qui non

eſt ordo, nec relatio, ſed ad quem ſequitur relatio. Propter exiguam verò eſſentiam, quam habent, & minimam diſtinctionem, quæ eſt inter illum eſſendi modum, & quæ immediatè ex illo ſequitur relationem: Sex prædicamenta hæc, quaſi relatiua, viſa ſunt.

70. Principium multipliciter dicitur.

Principium enim dicitur, vnde incipit motus vel magnitudo, & vnde bene incipit aliquid, & in eo, quod generatur, illud, quod primò fit, vt cor in animali: Et primũ efficiens aliquid non exiſtens, & principium in diſciplinis. Regis item in imperio, poteſtas.

71. Cauſſa maximè quatuor modis dicitur.

Eſt enim cauſſa efficiens, finalis, materialis, & formalis. Plus autem eſt eſſe principium, quàm cauſſa: Quia aliquid eſt principium, quod non eſt cauſſa: Vt principium magnitudinis, vnde incipit motus. Nulla autem eſt cauſſa, quæ non ſit rei, cuius eſt cauſſa, principium.

72. Elementum eſt, ex quo componitur aliquid primò, in quo exiſtit, & non diuiditur in p[illegible] diuerſarum ſpecierum,

Ut ignis, aër, aqua, & terra. Et ſimiliter literæ, ex quibus componuntur ſyllabæ, vel dictiones. Dicuntur quoq; & prima principia indemonſtrabilia elementa. Minùs verò commune elementum, quàm cauſſa: Elementũ enim cauſſa materialis eſt.

73. In cauſsis efficientibus non proceditur in infinitum.

Sic enim continuò cauſſa cauſſæ daretur, nec aliqua prima foret, vnde nec aliæ. Cauſſæ enim inferiores in virtute primæ mouent. Nec

74. Nec in materialibus proceditur in infinitum.

Si enim hoc fieret ex hoc, & illud ex alio, & ſic in infinitum, nunquam daretur effectus. Præterea materia, quæ eſt illud, ex quo aliquid fit, eſt media inter eſſe & non eſſe, modò ſuſcipiens eſſe, modò non eſſe. Impoſſibile eſt autem media eſſe infinita poſitis extremis. Et poſitis infinitis medijs, impoſſibile eſt extrema inueniri.

75. Nec in cauſsis formalibus.

A forma enim ſumitur ſpecies & eſſe rei, quam ſignificat definitio. Oporteret ergo in definitionibus procedere in infinitum. Nihil ergo contingeret cognoſcere. Res enim non cognoſcitur perfectè, niſi eius definitio habeatur. Infinitum verò intellectu comprehendi nequit.

76. Nec in cauſsis finalibus.

Sic enim nullus eſſet finis. Non enim daretur vltimum, in hoc autem eſt ratio finis. Præterea cùm omnia appetant bonum, & agant propter finem: Finis habebit rationem boni. Ratio ergo boni tolletur, nec ullum operari conabitur: Itaq; nullum per intellectum agens futurum. Vnde intellectus ſubmouebitur practicus.

77. Species cauſſarum non ſunt infinitæ.

Nihil enim contingeret ſcire. Scire enim arbitramur vnumquodq;, vbi omnes cauſſas eius cognouerimus.

78. Natura multis modis dicitur.

Vno enim modo dicitur generatio naſcentium, ſiue natiuitas, quaſi naſcitura. Alio modo principiū

huius

huius natiuitatis. Tertiò principium cuiuscunque motus intrinſecum, vt materia & forma. Quartò modo eſſentia, vel quidditas rei. Dicitur & materia artificialium eorum natura. Præterea, tranſlatione quadam, eſſentia omnis naturæ nomen obtinuit.

79. Neceſſarium eſt, quod non contingit aliter ſe habere.

Primò neceſſarium dicitur id, ſine quo animal viuere, aut aliquid eſſe nequit, etiamſi non ſit princeps vitæ cauſſa, vt alimentum, reſpiratio &c. Secundò id, ſine quo bonum acquiri, & malum depelli nequit. Tertiò quod violentum eſt, & vim adfert. Quartò, quòd ſe aliter habere nequit: Quo ferè modo neceſſarium in demonſtrationibus dicitur.

80. Ens dicitur multipliciter.

Nam primò diuiditur in ens per ſe, & ens per accidens. Ens per accidens dicitur, vel cùm accidens dicitur de accidente, vel accidens de ſubiecto, vel econuerſo. Secundò, Ens per ſe diuiditur in ens extra animam, quod ſignificat figuras prædicamentorum, ſcilicet Subſtantiam, Quantitatem, &c. Et in illa diuiditur: Et in ens in anima, quod dicitur ens verum, & eſt illud ens, quod ſignificat veritatem propoſitionis, ſicut non ens illi oppoſitum ſignificat falſitatem. Vnde conſiſtit in compoſitione & diuiſione, & circa partitionem contradictionis, de quo ente non oportet hic

hic agere: tum quia cauſſatur ab operatione intellectus, & ſic pertinet ad ſcientiam de intellectu, tum quia conſiſtit circa entia per ſe extra animã, circa quæ intellectus facit compoſitionem & diuiſionem. Et ſic non oſtendit aliam naturam entis, præter illa, licet quandoque dicatur ens iſto modo, quod non eſt ens illo modo, pro quanto intellectus conſiderat aliquid, quod non eſt ens in ſe, vt quoddam ens, ſicut negationem & huiuſmodi. Et tale dicitur ens rationis, quod conſideratur à logico. Tertiò diuiditur ens per actum & potentiam: Quæ diuiſio competit omnibus modis entis ſupradictis, quia in omnibus dicitur aliquid in actu, & aliquid in potentia.

81. Vnum dicitur multipliciter.

Nam vltra modos ſuperiùs dictos, cùm de vno ageretur, dicitur vnum numero, vnum ſpecie, vnum genere, & vnum analogia ſiue proportione, licet hæc diuiſio ſit magis logica: Illa verò ſuperior metaphyſica. Vnum numero dicuntur, quorum materia eſt vna: Specie, quorum ratio eſt vna: Genere, quæ habent vnum modum prædicandi: Analogia, quando vnum ſe habet ad illud, ſicut aliud ad aliud: Quod contingit dupliciter: *Vel quia duo habent habitudinem ad vnum, ſicut ſanum, dictum de vrina & medicina: dicuntur enim in ordine ad ſanitatem animalis; vel quia eſt eadem proportio duorum ad diuerſa, ſicut tranquillitatis ad mare, & ſerenitatis ad aërem.*

Potentia

84. Actus ſimpliciter eſt prior potentia: non autem in eodem.

Primum ex eo patet. Nam vt aliquid de potentia in actum reducatur, aliquid in actu exiſtens requiritur: Cùm nihil reducat ſe de potentia in actū. Unde potentia ſemper præſupponit actum, qui ſermo de potentia paſſiua intelligendus. Nam actiua eſt actus quidam eo modo, quo forma dicitur actus. Secundum inde conſtat, quia in his, quia fieri debent, vnumquodq; eſt prius in potentia, quam in actu. De alijs verò partibus entis, ſc. ſubſtantia, quantitate, quot modis dicantur, ex ſuperioribus liquet.

85 Eadem dicuntur multipliciter.

Quædam ſunt eadem per ſe, quædam per accidens Quædam eadem genere, quædam eadem ſpecie, Quædam eadem numero, quædam definitione, quædam proportione: Et ferè tot modis, quot modis vnum: Tot quoq; diuerſa dicuntur, quæ partes multitudinis ſunt, quemadmodum idem pars vnius eſt.

85 Differentia dicuntur multipliciter.

Primò & propriè, quando aliqua conuenientia in aliquo vno, aut numero, aut ſpecie, aut genere, aut proportione, ſunt diuerſa. Secundò & communiter, quando aliqua ſunt diuerſa, ſiue conueniant in aliquo vno ſiue non: Atq; ſic idem differentia ſunt & diuerſa.

87. Similia dicuntur multipliciter.

Nam & quæ idem, & quæ magis idem, quàm diuerſum patiuntur, ſimilia dicimus. Sed maximè propriè ſimilia ſunt, quorū eadem ſpecies & quabilis

litas. Quò fit, vt quò plures qualitates fuerint eædem, eò res dicantur ſimiliores: Sicut etiam quæ in qualitate magis propria conueniunt. Diſſimilia porrò tot modis dicuntur, quot ſimilia. Nam oppoſitorum eadem eſt diſciplina.

88. Oppoſita dicuntur multipliciter.

Scilicet contrariè, contradictoriè, relatiuè, & vt habitus & priuatio. Et duobus modis cognoſcuntur. Primò ex terminis motuum ſiue mutationum, qui ſemper ſunt oppoſiti, ſcilicet terminus à quo, & terminus ad quem: Et ex eo, quòd ineſſe ſimul eidem ſubiecto nequeunt. Prima horum, ſcilicet contraria, etiam multipliciter dicuntur. Nam principaliter dicuntur contraria, quæ plurimùm differunt in eodem genere, vt album & nigrum: Aut in eodem ſuſceptibili, vt ſanum & ægrum: Aut in eadem poteſtate, vt congruum & incongruum. Secundariò verò dicuntur contraria per habitudinem ad contraria dicta ſcilicet, aut quia habent contraria in actu, aut quia ſunt ſuſceptiua contrariorum, aut quia ſunt factiua ſeu paſſiua contrariorum in potentia, aut quia ſunt agentia vel patientia contrariorum in actu, aut quia ſunt generationes & corruptiones contrariorum, vel etiam habitus & priuationis.

89. Diuerſa ſpecie multipliciter dicuntur.

Primò quæ ſunt in eodem genere non ſubalterna, nec diuiſa oppoſitis differentijs, vt ſcienti-

entia & albedo in qualitate. Secundò, quæ ſunt in eodem genere, & per aliquas differentias, aut oppoſitas, aut non, diuiduntur, vt bipes & quadrupes. Tertiò, quæ diuiduntur per contrarias differentias, ſiue ipſa ſint contraria, ſiue non, vt album & nigrum, homo & aſinus. Quartò, quæ ſola ſpecie differunt, vt ſpecies ſpecialiſſimæ. Quintò, quando aliqua accidentia ſunt in eodem ſubiecto, & tamen differunt ab inuicem: Quòd plura eiuſdem ſpeciei ſimul eſſe in eodem ſubiecto nequeant. Vnde per oppoſitum ad prædicta, eadem ſpecie dicuntur.

90. Priora dicuntur multipliciter.

Priora ex eo dicuntur, quòd in vnoquoque genere, primum quiddam eſt, & principio vicinius, ſiue natura & omnino, ſiue comparatione alterius, nempe vel loci, vel temporis, vel motus, vel ordinis. Eſt enim ratione loci prius, quod certo cuidam loco natura conſtituto, vt medio vel extremo, vicinius eſt. Ratione temporis prius dicimus, quod vel à præſente momento longius abeſt, vt in præteritis; Vel eidem eſt vicinius, vt in futuris. Ratione motus prius dicitur, quod primo mouenti propinquius eſt: Nec refert, vtrum motus naturalis, an voluntarius ſit. Ratione ordinis, quæ certo modo collocata ſunt, dicuntur priora. Secundo modo priora dicuntur, quæ notiora ſunt natura, vt vniuerſalia, vel ſenſu, vt ſingularia. Tertiò affectiones priorum ſubiectorum priores dicuntur, vt læuitate rectitudo

prior eſt: Quia hæc lineæ, illa ſuperficiei, quæ poſterior linea, affectio eſt. Quartò priora ſunt, quæ ſua natura talia, à quibus videlicet non reciprocatur conſequentia, qua rem eſſe colligimus. Sic vniuerſalia minùs generalibus, ſubſtantiam accidente, poteſtatem actu in ijs, quæ ortui & interitui ſubiecta, priora dicimus. Et ad hunc reliqui reuocari modi poſſunt. Totidem igitur, & ijſdem modis dicetur poſterius. Quot modis enim vnum oppoſitorum, tot & reliquum dicitur.

91. Perfectum dicitur multipliciter.

Primò, ſecundum quantitatem, cui nulla pars, ad ſuam integritatem requiſita, deficit. Secundò, ſecundum virtutem, cui nihil, ad ſuam virtutem vel bonitatem pertinens, deeſt. Tertiò, ſecundum finem, id eſt, quod eſt aſſecutum finem ſuum. At primo & ſecundo modo dicitur aliquid perfectum, vel abſolutè, vt mundus in primo modo, & Deus in ſecundo: vel in aliquo genere, vt homo, medicus, & huiuſmodi. Vtimur etiam perfecto ſecundo modo translatiuè in malis, vt cùm dicimus perfectum furem, & huiuſmodi. Et hi modi ſecundum ſe dicuntur. In ordine verò ad aliud, aliquid perfectum, vel quia faciat aliquid perfectum, aliquo primorum modorum, vel quia habeat aliquid perfectè, velut habens perfectam ſcientiam, vel quia imitatur vel repræſentat aliquid perfectè, dicitur.

92. Terminus dicitur multipliciter.

Licet

Licet terminus vniuerſè ſignificet rei cuiuſque vltimum, extra quod primum accipi nihil poſſit, & intra quod primum inſint omnia: Tamen quandoq; refertur ad magnitudinem, ſicuti cùm punctus dicitur terminus lineæ: quandoque ad motum, & tum ſignificat tam id, vnde motus incipit, quod dicitur terminus à quo, quàm id, ad quod tendit, quod appellamus terminum ad quem. Interdum ſignificat id, cuius gratia cætera fiunt: Interdum etiam rei definitionem, eſſentiam, & formam, quæ eſt cognitionis, ideoq; etiam rei extrema. Et omnino quot modis dicitur principium, tot etiam modis, atq; adeò pluribus dicitur extremum: Cùm præſertim omne principium ſit quoddam extremum, non contrà, vt punctus, lineam claudens, extremũ dicitur, non item principium.

93. Secundum quod, & ſecundum ſe, ſiue per ſe, dicuntur multipliciter.

Nam ſecundum quod dicitur primò de forma ſeu eſſentia rei, ſecundum quam dicitur aliquid eſſe. Secundò de ſubiecto, cui primò natum eſt ineſſe aliquid. Tertiò de cauſſa. Quartò prout poſitionem & locum ſignificat. Secundum ſe verò, vel per ſe dicitur. Primò, quando definitio vel pars definitionis dicitur de aliquo. Secundò, quando aliquid oſtenditur ineſſe alicui, tanquam ſubiecto primo. Tertiò id, cuius aliqua alia cauſſa reddi non poteſt. Quartò id, quod alicui ſoli ineſt.

94. Diſpoſitio dicitur multipliciter.

Definitur autem diſpoſitio, ordo partiũ in haben-

tibus partes. Et dicitur primò ſecundum ordinem partium in loco: Et ſic eſt prædicamentum Situs. Secundò prout ordo partium attenditur ſecundum potentiam & virtutem: Et ita prima ſpecies Qualitas eſt. Tertiò prout ordo partium attenditur ſecundum ſpeciem, & figuram totius: Et ſic eſt Quantitatis differentia.

95. Habitus & habere dicuntur multipliciter.

Habitus primò quaſi actio eius, quod habet: Et eius, quod habetur, dicitur. Vt enim, cùm hoc fa[?]t, & illud fit, interiecta affectio eſt: Sic inter eum, qui habet veſtem, & veſtem ipſam, intercedit habitus. Secundò affectionem ſignificat, quæ bene vel malè afficit id, quod afficitur, vel per ſe, vel ad aliud relatum. Habere autem primò illud, quod ſuo impetu, vel ſuapte natura aliquid impellit, id, quod impellit, habere dicitur: vt febris homines, & tyranni ciuitates. Secundò ſubiectũ habet id, quod ſubiecto ineſt: Ita corpus morbũ, materia formã, & animus ſcientiã habere dicitur. Tertiò quod aliud continet, & circumſcribit. Quartò quod ſua vi impedit, quò minùs aliquid concidat, aut moueatur: Quo modo Atlas à poëtis habere, id eſt, cœlum ſuſtinere dicitur.

96. Paſsio multipliciter dicitur.

Paſsio omnem qualitatem, qua res verè commutari poſſunt, ſignificat; Cuiusmodi ſunt: Candor, nigror, &c. Secundò harum commutationes, ſed maximè eas, quæ perniciem aut detrimen-

tum

tum adferunt, denotat. Tertiò paſſionis nomen ad graues calamitates, doloresq; transferri ſolet.

97. Priuatio dicitur multipliciter.

Licet propriè defectum formæ ſeu habitus in ſubiecto capaci ſignificet, quo tempore per naturam ineſſe dicitur: Tamen id quandoq; priuari dicitur, quod forma deſtituitur, cuius non eſt capax. Sic ſtirps priuari aſpectu dicitur. Præterea priuari dicitur, quod ea forma caret, cuius ſuum genus capax eſt. Sic talpam dicimus priuari viſu, non quòd hunc habere nata ſit, ſed quia animal. Id etiam, cui aliquid per vim detractum eſt, priuatum dicitur. Et omnino quot modis ex præpoſitione IN *negationes dicuntur, tot modis dicuntur priuationes. Cùm igitur præpoſitio* IN *in cōpoſitione aliàs vitium & defectum, aliàs imbecillitatem ſeu exilitatem, quandoq; difficultatem, nonnunquam etiam omnimodam abſentiā in ſubiecto capaci ſignificet: fit, vt priuatio in his omnibus locum habeat.*

98. Ex aliquo eſſe dicitur multipliciter.

Primò aliquid ex alio dicitur eſſe, tanquam ex materia, ſiue proxima, ſiue remota. Secundò tanquam ex principio efficiente, quod primum motum adfert, quo modo pugnam eſſe dicimus ex conuitio. Tertiò tanquam partes ex toto, & totum ex partibus. Vt enim ex lapidibus domus: ſic ex domo lapides eſſe dicuntur. Atque hæc quidem primò ex aliquo fieri, aut eſſe dicuntur. Alia ſunt, quæ ex alio eſſe dicuntur, quia ex parte aliquid

dictorum illis accidit. Sic filius ex patre eſſe dicitur: quia ex ſemine. Alia ratione ordinis aut temporis, ſiue ea viciſſim mutentur (vt cùm ex tempeſtate fit ſerenitas, & contrà) ſiue non: quo modo ex æquinoctio, id eſt, poſt æquinoctium, dicitur facta nauigatio.

99. Pars & totum dicuntur multipliciter.

Pars primò id omne ſignificat, in quod diuidi poteſt quantitas, ſiue id aliquoties repetitum metiatur totum (quo modo ternarius eſt pars ſenarij, quia bis repetitus conſtituit ſenarium) ſiue non, vt cùm dicimus, binarium eſſe partem ternarij. Secundò id omne, quod alteri ſubijcitur, obtinet nomen partis: Sic ſpecies dicuntur eſſe partes generis. Præterea pars dicitur id omne, ex quo aliquid conſtat, vt anima & corpus hominis. Item ea omnia, quæ definitione, quid res ſit, explicante, continentur: vt genus & differentia ſunt partes ſpeciei. Totum verò id denotat, cui nulla pars deeſt earum, ex quibus conſtare dicitur, & quòd ea, quæ continentur, ita continet, vt vnum quidam illa ſint. Et hoc bifariam accidere poteſt. Vel enim ita continentur, vt vnumquodque eorum ſit vnum, quo modo genus continet ſpecies, & vniuerſalia continent ſingularia. Vel ita, vt ex ijs vnum conſtet, cùm inſint aut vi & poteſtate, aut reipſa, ſeu actu: Sed maximè vi & poteſtate.

110. Genus & diuerſa genere dicuntur multipliciter.

Genus quidem dicitur primò de continua generatione multorum, in eadem natura ſpecifica cõuenientium, vt hominum genus. Secundò, de principio, vnde illa multitudo generante. Tertiò, de primo & communi, rerum diuerſarum formarum, ſubiecto. Quartò de eo, quod ponitur in definitione, & dicitur in quid de definito, & diuiditur differentijs, quæ ſunt qualitates eius. Diuerſa autem genere, philoſophicè loquendo, dicuntur primò, quorum ſubiectum primum, id eſt, materia eſt diuerſa, ita vt non inuicem, nec in aliquod tertium tranſmutetur. Secundò, quæ ſub diuerſis continentur prædicamentis.

101. Falſum dicitur multipliciter.

Interdum enim pertinet ad ſimplicia, interdum ad coniuncta. Ac in coniunctis iterum falſum dicitur id, tum quod fieri non poteſt, vt diametrum eſſe ſymetram lateri: tũ id, quod quidem nunc non ſit, aut eſt, fieri tamen poteſt, vt aliquem, qui ſtat, ſedere. In ſimplicibus quoq; res varijs modis dicuntur falſæ. Vel enim, quia ipſæ non ſunt: vel quia ſpecies, quam gerunt, eſt non entis, hoc eſt, quia vel omnino non ſunt entia, vt vmbræ: vel quia non ſunt talia, qualia apparent, vt ſomnia. Item homo dicitur falſus, qui ſtudio quodam falſas rationes ſibi, nullius alterius rei gratia proponit: Et omnino qui alijs autor eſt, vt falſa ſequantur.

102. Finitum & infinitum dicuntur pluribus modis.

Dicitur finitum in quantitate, quod ſiue in con-

tinua, ſiue in diſcreta quantitate terminatum. In formis finitum dicitur, cùm forma determinatæ materiæ finitè coniuncta, & ſimiliter materia ſub determinata forma, finita. Dicitur quoque finitum eſſe, quod eſt determinatæ eſſentiæ: Infinitum autem, quod ad nullam eſſentiam determinatur. Vnde infinitum aliquando dicitur negatiuè pro non determinato, & hoc modo eſſe non determinatum ad eſſentiam, & forma non determinata ad materiam, & materia non determinata ad formam, dicuntur infinita. Aliquando autem dicitur priuatiuè, quod ſcilicet eſt aptum habere finem, & non habet. Et hoc propriè in quantitate eſt: de quo inferiùs.

103. Non ſufficit res in genere cognoſcere.

Cognoſcere enim res in genere, eſt cognoſcere indiſtinctè & confuſè: Quia ſpecialia in generalibus continentur indiſtinctè. Cùm autem diſtinctam de rebus habere ſcientiam oporteat: quid ens generaliter, & quæ ipſum conſequuntur, non ſatis eſt noſſe, niſi ad proprietates cuiuslibet entis deſcendamus. Hæc verò tantùm de ente in communi, & quæ ipſum, in quantum ens, conſequuntur, dicta ſunt.

DE PRINCIPIIS ENTIS.

LIBER SECVNDVS.

Summa & diſpoſitio libri II.

Poſt

POſt vniuerſalem, quæ circa ens vniuerſale verſatur, ſcientiam, ſpeciales, quæ de diuerſis generibus entis tractant, ſequuntur. Inter quas ordine doctrinæ prima eſt naturalis, vt declarabitur: Ideo agit priùs de illa. Et primò quidem in genere, ſiue quoad communia toti philoſophiæ naturali vſque ad quintum librum. Secundò in ſpecie, de partibus eius, in libris reliquis. Et quia ſubiectum eſt primum conſideratum in ſcientia: ideo in hoc ſecundo libro qui eſt primus ſcientiæ naturalis, agit de ſubiecto ipſius hoc ordine. Primò quidem ſtabilit ſubiectum vſque ad concluſionem 8. Secundò agit de principijs illius, per quæ cognoſcitur, ab 8. vſque ad 17. Tertiò de principijs ſcientiæ, quibus definitur in cognitionem ſubiecti, vſq. ad finem libri. Quoad primum, antequam ſtabiliat ſubiectum, præmittit ordinem totius ſcientiæ naturalis, ad cæteras philoſophiæ partes. Primò quidem ad eas, quæ ſunt de accidentibus, in 1. concluſione: ſubiungens modum, quo diſtinguuntur huiuſmodi partes philoſophiæ, in 2: Et ex illo deducens numerum earum in genere, in 3. Secundò declarat ordinem eius ad illas, quæ ſunt de ſubſtantijs immaterialibus, præmittens in 4. fundamentum, & in 5. intentum, à ſenſibilibus ſc. incipiendum, circa quæ ſcien-

tia naturalis occupatur, deducens. Demum ſtabilit ſubiectum in 6. & remouet in 7. id, quod à quibuſdam ſubiectum eſſe falſè putatum. Quoad ſecundum, præmiſſa huius libri ſerie, qui eſt de principijs entis mobilis ad ſequentes, in concluſione 8. primò declarat quandam conditionem ſeu proprietatem communem principiorum, ſcilicet contrarietatem, in 9. Secundò, ex illa deducit numerum principiorum, remouens vnitatem, in 10: infinitatem in 11. dualitatem in 12. & in 13. inferens trinitatem, qui numerus eorum in genere eſt. Tertiò, declarat qualitatem eorum in 14. Quartò, naturam vnius illorum ſpecialiter declarat, materiæ, inquam, naturam per ſe, & per reſpectum ad priuationem, qua cum idem videtur, in 15. & 16. oſtendit. Quoad tertium, duo principaliter declarat, iuxta ea, quæ primò in aliqua ſcientia noſſe oportet, ſubiectum ſcilicet, & medium. Et primò quidem, de quibus ſit ſcientia naturalis, declarat, quod eſt ſubiectum oſtendere, vſque ad concluſionem 27. Secundò, ex quibus cauſſis demonſtret, quod eſt medium declarare, vſque ad finem libri. Circa primum horum, quia entia, quæ conſiderat naturalis, ſunt entia naturalia: Nam ens mobile, quod eſt ſubiectum, eſt ens naturale, incipit à natura. Et præmiſſo, quòd eius conſideratio

ſpectet

ſpectet ad naturalem, in concluſione 17: primò definit ipſam in 18. ex qua definitione deducit in 19. an ſit demonſtrabilis. Secundò declarat, quot modis dicatur, in 20. & 21. Comparando poſtea illos modos inter ſe, in 22. Tertiò hinc intentum, quòd ſcilicet de his ſcientia naturalis conſideret, in 23. Et quomodo definiat, in 24. deducit. Vnde, quæ ſit eſſentia rerum naturalium, ſiue entis mobilis, in 25. extruit. Demum terminum conſiderationis eius, in 26. declarat. Circa ſecundum autem, ſcilicet medium, præmiſſo, quòd naturalis conſideret de cauſsis, & quomodo, in 27. primò determinat: De cauſſis, quot ſint cauſſæ, in 28. quæ potiſsima inter illas, in 29. & qui modi cauſſarum, in 30. docet. Secundò, quomodo phyſicus ſe habeat ad omnes illas cauſſas, & quoad conſiderationem, in 31. & quoad demonſtrationem, in 32: Tertiò, duo, quæ in prædictis ſupponit, ſcilicet naturam agere propter finem, cùm in naturalibus ſit cauſſa finalis, idque declarat in 33. Et neceſſarium in naturalibus ſumi etiam ex fine, quod in 34. demonſtrat. Quartò, tria, quæ ex modis cauſſarum ſequuntur, in 35. 36. & 37. deducit: Vltimò de quibuſdam cauſsis immanifeſtis, ſcilicet fortuna & caſu: Quid ſit fortuna, in 38: quid caſus, in 39. Ad quam cauſſam reducantur, in 40. quæ attribuantur fortunæ, in 41. 42. 43.

ſiderans eas, vt ſubÿciuntur qualitatibus ſenſibilibus, vel vt ſunt in corporibus, ſubiectis iſtis qualitatibus: ſed ſecundum quod ſunt in ſubſtantia materiali, & quomodocunq; ſe habeant ad iſtas qualitates, non curat. Quidam autem *abſque omni materia definiunt, vt metaphyſicus: qui conſiderat ea, quæ ſunt ſeparata ab omni materia, ſiue ſint ſecundum ſe tota ſeparata, vt Deus, & intelligentiæ, ſiue ſint ſeparata ſecundum partem, ita quòd non dependeant ab aliqua materia, vt ens, in quantum ens. Itaq; tria ſunt genera ſcientiarum ſpeculatiuarum, ſc. metaphyſica, mathematica, & phyſica.*

4. Notiora ſecundum naturam ſunt minùs nota nobis.

Notiora enim ſecundum naturam ſunt illa, quæ plus participant actum eſſendi, vt Deus, & intelligentiæ. Intellectus autem noſter à ſenſibilibus incipit propter ſuam imperfectionem. Oportet enim quòd acquirat ſcientiam, à ſenſu incipiendo. Unde ſenſibilia ſunt ei magis nota, quæ tamen ſunt minùs nota ſecundum naturam, & inſenſibilia ſunt ei minùs nota, quæ ſunt notiora naturæ.

5. De ſubſtantia tractaturus, à ſenſibilibus incipiat oportet.

Oportet enim à notioribus nobis in diſciplinis procedere, vt per nota deueniamus in cognitionem ignotorum. Senſibilia autem ſunt magis nota nobis, vt dictum eſt. Igitur ab illis exordiendum eſt.

Subiectum

6. Subiectum philoſophiæ naturalis eſt ens mobile.

Naturalis enim de naturalibus tractat. Res autem naturales ſunt illæ, quæ in ſeipſis habent naturam. Natura autem eſt principium motus & quietis, vt infrà declarabitur. Philoſophia ergo naturalis eſt de ijs, quæ habent in ſe principium motus. Hæc autem ſunt entia mobilia: Ens igitur mobile eſt ſubiectum eius.

7. Corpus mobile non dicitur congruè ſubiectum philoſophiæ naturalis.

Quia nulla ſcientia probat ſuum ſubiectum de aliquo, tanquam paſſionem de ſubiecto. In philoſophia autem naturali probatur de ente mobili corpus. Probatur enim, omne mobile eſſe corpus. Vnde corporeitas probatur de mobili, tanquam paſſio de ſubiecto. Ens enim mobile prius eſt ipſa corporeitate: Quia ens mobile eſt, quod habet materiam & formam. Prius autem eſt, quòd ſubſtantia habeat materiam & formã, quàm quod habeat corporeitatem. Vnde corporeitas ſequitur ad ens mobile, ſicut paſſio ad ſubiectũ. Ideo de ipſo demonſtratur tanquã paſſio. Propterea non rectè dicitur, corpus mobile eſſe ſubiectum: quemadmodum & perperam riſibile homo ſubiectum in ſcientia de homine ſtatueretur. Licet autem dici poſſit, per corpus mobile idem, quod ens mobile, id eſt, ens compoſitum ex materia & forma, intelligi. Ad quod poſtea trina ſequitur dimenſio, quæ de ipſo in 6. lib. probatur. Ideo Thomas magis modum dicendi, quàm illud, quod dicitur, reprobat, cùm ait: Dico autem ens

ens mobile, non corpus mobile, quia omne mobile probatur eſſe corpus. Ac ſi diceret: Etſi defendi poſſit: non tamen congruè dicitur.

8. A principijs ſubiecti & ſcientiæ eſt inchoandum.

Quia tunc arbitramur ſcire vnumquodq;, cùm cauſſas eius cognoſcimus, & principia vſq; ad elementa. Ab illis igitur inchoandum eſt.

9. Principia rerum naturalium oportet eſſe contraria.

Principia autem rerum naturalium voco illa, ex quibus primò res naturales factæ ſunt, & ex quibus componuntur. Quia ergo nihil fit, niſi ex oppoſito ſuo, vt ex non albo album, & non equo equus: Iccirco oportet, quòd ea, ex quibus res naturales fiunt, ſint contraria.

10. Non eſt tantùm vnum principium rerum naturalium.

Cum enim contrarietas ſit in principijs, ex quibus res naturales fiunt, vt iam dictum eſt, & idem ſibi ipſi non ſit contrarium: patet, quòd non ſit vnum tantùm principium rerum naturalium, ſed eſſe plura oportet.

11. Nō ſunt infinita principia rerū naturaliū.

Infinitum enim, in quantum huiuſmodi, eſt ignotum: Ergo principia rerum naturalium eſſent omnino ignota. Res ergo naturales à nobis cognoſci non poſſent. Ignoratis enim principijs neceſſe eſt ignorare ea, quæ ſunt ex ipſis. Igitur principia non ſunt infinita.

Non

14. Duo ſunt principia rerum naturalium per ſe, & vnum per accidens.

Materia enim & forma ſunt per ſe; Quia ex his fiunt res naturales, & ex his componuntur: Vnde permanent in compoſito. Priuatio autem formæ eſt principium per accidens, id eſt, per alterum, in quantum ſcilicet coniungitur materiæ. Quamuis ergo ſit terminus, à quo per ſe incipit motus: Non tamen eſt principium naturalium per ſe. Hoc autem in artificialium ſimilitudine faciliter intelligimus: Ex infigurato enim fit figuratum. Principia autem per ſe figurati, ſunt materia, vtputa lapis: Et forma, quæ eſt figura, exiſtima, imago cæſaris. Infiguratum autem eſt per accidens. Non enim ex infigurato componitur ſtatua, ſed ex lapide: Qui quidem lapis, etſi etiam, poſtquam eſt ſub forma Cæſaris, ſit priuatus multis formis aliȷs, quas poſſet habere: non tamen illæ priuationes ſunt per ſe principia huius ſtatuæ, ſed per accidens, in quantùm coniunguntur lapidi. Materia ergo rerum naturalium eſt primum ſubſtratum, quod omnibus formis ſubſternitur: quod quantum eſt ex ſe, eſt pura potentia, nullam habens formam, tamen nunquam eſt ſine aliqua forma. Et cùm habet vnam, priuatur infinitis, & non poteſt cognoſci, niſi per analogiam ad formam. Forma enim eſt, quæ dat eſſe, & conſtituit ſpeciem: Materia autem ſuſcipit hoc eſſe. Quamuis ergo materia, dum eſt ſub vna forma, habeat multas priuationes: Non tamen priuatio

eſt principium rei, niſi per accidens, id eſt, in quantum coniungitur materiæ. Duo ergo ſunt principia per ſe, videlicet materia & forma, quæ philoſophis dicuntur principia conſtituentia: Et vnum per accidens, ſc. priuatio, quæ principium tranſmutans iiſdem appellatur

15. Materia & priuatio differunt ratione.

Non enim realiter differunt Quia priuatio eſt non ens. Si autem differunt, differunt ratione: Quia materia prima, & priuatum formis, idem ſunt realiter. Sed materia, in quantum materia habet aliquid, quod non habet, in quantum priuata: Quia cùm forma ſit quid diuinum & optimum: oportet ſuum contrarium, quod eſt priuatio, non ens eſſe & malum. Non autem materiam malam dicimus. Item materia appetit formam, tanquam propriam perfectionem, quemadmodum turpe eſſe pulchrum, & fœmina virum eſſe appetit. Imperfectum enim ſemper appetit ſuam perfectionem. At priuatio non appetit formam, cùm ſit ſuum contrarium: Aliter appeteret ſuipſius deſtructionem. Differunt ergo ratione.

16. Materia eſt ingenerabilis & incorruptibilis.

In omni enim generatione & corruptione requiritur ſubiectum, & materia, contrarietatem ſuſtentans. Materia autem eſt primum ſubiectum omnium. Non ergo poteſt generari, neq; corrumpi: Aliter oporteret eſſe aliud ſubiectum primum, ex quo fieret materia, Et ſic aliquid prius primo foret.

17. Ad phyſicum pertinet tractare de natura.

Ad phyſicum enim pertinet tractare de rebus naturalibus. Res autem naturales habent naturam, & non poſſunt cognoſci, niſi cognoſcatur natura. Ideo ad phyſicũ pertinet tractare de natura.

18. Natura eſt principium motus & quietis in eo, in quo eſt primò & per ſe, & non ſecundum accidens.

Naturalia enim à non naturalibus, & artificialibus differunt. Quia illa habent naturam: hæc autem non habent. Sed non apparet alia differentia inter iſta: niſi quia naturalia, habent in ſeipſis principium motus & quietis per ſe. Artificialia autem non habent per ſe principium motus & quietis, in quantum ſunt artificialia: ſed ſolùm per accidens, in quantum ſunt naturalia, ſecundum materiam. Ergo natura eſt principium motus & quietis, ſicut dictum eſt.

19. Naturam eſſe, non eſt demonſtrabile.

Naturam enim eſſe, eſt per ſe notum. Ad ſenſum enim cognoſcimus naturalia, & motum eorum. Non igitur poteſt demonſtrari.

20. Materia eſt natura.

Eſt enim principium motus paſſiuum. Nihil enim eſt aptum moueri per ſe, quod non habet materiam. Sufficit autem, aliquid eſſe natura, ſi ſit principium paſſiuum motus intrinſecum. Materia igitur eſt natura.

21. Forma eſt natura.

Ab ipſa enim res naturales appellantur. Non enim dicuntur ſimpliciter naturales, priuſquam habeant formam. Præterea omnis generatio & natiuitas, quæ dicitur natura, terminatur ad naturam. Non autem terminatur, niſi ad formam: Ergo forma eſt natura. Unde, cùm dicitur, quòd res naturales generent ſibi ſimile in natura, non verificatur, niſi ſecundum ſimilitudinem formæ. Homo enim generat hominem ſimilem ſibi ſecundum formam.

22. Forma eſt magis natura, quàm materia.

Res enim naturales ſecundum materiam, dicuntur in potentia tantùm naturales: Sicut & dicuntur eſſe tantùm in potentia. At ſecundum formam dicuntur naturales ſimpliciter, cùm ſcilicet forma eſt introducta in materiam: Sicut etiam tunc dicuntur eſſe ſimpliciter. Ergo forma eſt magis natura, quàm materia.

23. Scientia naturalis conſiderat tàm de materia, quàm de forma.

Scientia enim naturalis conſiderat de natura rerum naturalium. Hæc autem eſt tàm materia, quàm forma, vt dictum eſt, quæ ad ſe inuicem ordinantur. Igitur de vtraque conſideratio naturalis eſt.

24. Scientia naturalis non definit res naturales, abſque materia ſenſibili.

De ratione enim rerum naturalium eſt natura, quæ eſt principium motus. Natura autem

& principium motus eſt tàm materia, quàm forma. Ergo in definitione rerum naturalium ponitur tàm materia, quàm forma. Materia autem hæc cùm ſit ſubiectum motus, quia eſt principium motus paſſiuum, non poteſt eſſe, niſi materia ſenſibilis. Ergo naturalis non definiet abſque materia ſenſibili.

25. Eſſentia rerum naturalium eſt materia & forma coniunctè.

Non enim eſt ſola materia: Quia forma eſt magis natura earum, quàm materia. Nam magis dat eſſe naturale ſimpliciter. Nec eſt ſola forma: Quia etiam materia eſt principium earum per ſe, vt dictum eſt, & ponitur in definitione earum. Nec eſt aliquid tertium, quia illud eſſet accidens. Forma enim ſolùm cum materia ſunt principia per ſe, & ſubſtantia compoſiti; Ergo oportet, quòd eſſentia earum ſit materia & forma coniunctè. Ergo humanitas non eſt tantùm materia, nec tantùm forma, nec aliquid tertium: Sed eſt materia humana & forma, id eſt, anima intellectiua coniunctè.

26 Vſque ad animam rationalem pertingit naturalis conſideratio.

Ad ipſum enim pertinet conſiderare formam in materia. Anima autem rationalis aliqualiter eſt forma in materia, vt infrà oſtendetur. Ergo vſque ad ipſam pertingit. Non tamen vltra ſe extendit: Quia anima intellectiua eſt vltima formarum naturalium.

27. Philoſophus naturalis de cauſsis conſiderat: non tamen in quantũ huiuſmodi.

Scientia enim naturalis eſt ſpeculatiua, & propter ſcire: Non autem propter operationem. Scire autem arbitramur, cùm cognoſcimus cauſſam rei. Ergo conſiderare debet cauſſas rerum naturalium: Non tamen in quantum cauſſæ ſunt, ſed ſolùm, in quantum ſunt principia motuum. Quia cauſſa, in quantum cauſſa, non dependet à materia. Naturalis autem ſolùm conſiderat materialia.

28. Cauſſæ non ſunt plures, quàm quatuor.

Sunt autem hæ: Efficiens, forma, materia & finis. Nam ad interrogationem, factam per Propter quid, ſemper reſpondetur cauſſa. Sed nihil aliud vnquam reſpondetur, quàm aliqua illarum quatuor: Ergo non ſunt plures cauſſæ: Et hoc rationabile eſt. Quia cùm cauſſa ſit, ad quam ſequitur eſſe, & eſſe ſit à forma, quæ ſuſcipitur in materia, quæ fit ex potentia ente, actu ens: Fit autem hoc ab aliquo agente, quod agit propter finem: Manifeſtum eſt, quòd non reperiuntur plures cauſſæ per ſe.

29. Finis eſt cauſſa potiſsima.

Eſt enim cauſſa aliarum cauſſarum: Quia alijs cauſſis cauſſalitatem præbet. Materia enim non eſſet cauſſa, niſi haberet formam. Et forma non eſſet cauſſa, niſi introduceretur ab agente. Agens autem non ageret, niſi moueretur à fine: Finis autem immobilis permanet. Eſt ergo primum mouens, & prima cauſſa.

Modi

30 Modi cauſſarum ſunt plures.

Eſt enim cauſſa per ſe, & cauſſa per accidens. Cauſſa prior, & cauſſa poſterior: Siue cauſſa vniuerſalis, & cauſſa particularis. Cauſſa completa, & cauſſa incompleta: Siue compoſita, & ſimplex. Et denum cauſſa in actu, & in potentia.

31 Phyſicus omnes iſtas cauſſas conſiderat.

Conſiderat enim philoſophus de generatione rerum naturalium, ad quam concurrunt omnes iſtæ cauſſæ: Scilicet, materia, quæ fit in actu per formam, & agens, hoc faciens propter aliquem finem. Ergo de omnibus iſtis conſiderare debet.

32 Ex omnibus iſtis cauſsis ſcientia naturalis demonſtrat.

Medium enim demonſtrationis eſt definitio. Ad perfectam autem definitionem concurrunt omnes cauſſæ: Et ideo per omnes cauſſas demonſtrat. Aliter non arbitraremur nos ſcire, niſi omnes cognitas haberemus cauſſas.

33. Natura agit propter finem.

Tum quia ſemper agit eodem modo, & vt ſemper, vel vt frequenter producit eoſdem effectus. Quod enim fit à caſu, vel à fortuna eſt, vt in paucioribus, tum quia naturaliter vnumquodq; agitur, ſicut natum eſt agi. Sed naturalia, vt in pluribus, vel ſemper aguntur, ſicut naturaliter ſunt apta nata agi. Sed ſic aguntur, propter aliquem finem, quẽ quærunt. Ergo propter finẽ natura agit: Tum quia ars, quæ imitatur naturam, agit propter

finem. Apparet item hoc in formicis, apibus, & araneis: Quæ intellectu deſtitutæ, nihilominus à natura ductæ, finis gratia agunt. Eſt item in natura peccatum, quod, niſi ad aliquem finem natura ordinaretur, non foret. Item agit per determinata media: Ergo ſignum eſt, quod habet determinatum finem. Ad hoc, ſi non ageret propter finem, ex omni ſemine poſſet quodcunq; indifferenter produci: Quod eſt falſum. Inſuper omnes res naturales habent in ſeipſis principium, quo mouentur à determinato principio per determinata media, ad determinatum finem. Non enim mouentur indifferenter per quodcunq; in quodcunq; à quocunq;. Ergo patet, quòd natura, quæ eſt in ipſis, aliquem intendat finem.

34 Neceſſarium in rebus naturalibus, non tàm eſt ex materia, quàm ex fine.

Non enim res naturales ſolùm ſunt tales ex neceſſitate, quia materia ſic requirit: Sed etiam eſt neceſſarium, quòd ſint tales propter finem. Si enim talis finis debet ſequi: neceſſe eſt talia præcedere media. Ergo neceſſarium ex ſuppoſitione finis eſt.

35. Cauſſæ ſingulares in actu ſint ſimul cum ſuis effectibus.

Poſito enim vno correlatiuorum, ponitur & reliquum. Cauſſa autem ſingularis in actu & effectus eius ſunt correlatiua. Igitur ſunt ſimul. Præterea ſi non eſſet cauſſa in actu cauſſandi, puta ædificans: non actu ædificaretur. Ergo cauſſa eſt

eſt ſimul cum effectu in actu: Quod non ſemper accidit in cauſſis, quæ ſunt in potentia.

36. In naturalibus oportet vniuſcuiuſque cauſſam ſupremam requirere.

Tunc enim arbitramur nos ſcire, cùm cauſſam vltimam ſeu ſupremam cognóſcimus vniuſcuiuſque. Oportet igitur ad primam peruenire.

37. Cauſsis debent proportionabiliter correſpondere effectus.

Vnumquodq; enim relatiuum habet correlatiuum, ſibi propriè correſpondens. Cauſſa autem & effectus ſunt correlatiua: Igitur ſibi correſpondent: Ita quòd vniuerſalibus cauſſis debeant reſpondere effectus vniuerſales, & ſingularibus ſingulares: Et ſimiliter cauſſis in potentia, effectus in potentia: Cauſſis in actu, in actu effectus.

38. Fortuna eſt cauſſa aduentitia in ijs rebus, quæ ex deliberatione, alicuius gratia, & rarò fiunt.

Cùm enim eorum, quæ fiunt, alia neceſſariò, alia plerunque, alia rarò fiant: Item alia ob finem, alia ob nullum finem: Item alia ex cauſſa definita, alia ex incerta: Conſtat, fortunam in ijs non eſſe, quæ vel neceſſariò, vel plerunq;, vel à certis cauſſis, vel ob nullum finem fiunt: Maximè cùm ea, quæ fortuna fiunt, temerè fieri dicantur. Ita ſi quis fodiens ſepulchrum, inueniat theſaurum, dicitur fortuna inueniſſe. Foſſio enim ipſa eſt cauſſa huius inuentionis per accidens: Quia non fuit

intenta propter inuentionem theſauri, ſed ad ſepeliendũ mortuum. A propoſito autem fit, quod fit ab intellectu. Fiebat ergo hæc foſſio ab intelligentia: Quia ab homine, qui gnarus operum & finium ſuorum, fiebat: Item propter finem, ad ſepeliendum ſc. mortuum. Quòd verò in eo inuentus theſaurus, id rarius eſt. Reſpectu ergo theſauri, foſſio hæc fortuna eſt.

39. Fortuna & caſus non omnino idem ſunt.

Caſus enim fortuna latiùs patet. Nam non ſolùm ijs, quæ mente, iudicio, & deliberatò agunt: verùm etiam rebus inanimis tribuitur. Ita vt definiri caſus poſſit cauſſa aduentitia in ijs, quæ rarò & propter finem fiunt, ſed citra delectum & deliberationem.

40. Fortuna & caſus reducuntur ad cauſſam mouentem.

Omne enim per accidens reducitur ad id, quod eſt per ſe. Caſus ergo & fortuna cùm ſint cauſſæ per accidens: reducuntur ad cauſſas per ſe. Hæ autem non ſunt, niſi natura & intelligentia: Quia principium eorum, quæ ſunt à fortuna & caſu, eſt natura vel intelligentia, quæ ſunt cauſſæ mouentes: Ergo reducuntur ad cauſſam mouentem.

41. Fortuna eſt nobis ignota.

Cauſſæ enim per accidens ſunt infinitæ. Infinitis enim modis variatur ens per accidens: Cùm infinita vni accidere poſſint abſque vllo ordine. Infinitum

finitum autem, in quantum huiuſmodi, eſt ignotum. Igitur fortuna eſt ignota.

42 Fortuna eſt cæca, & abſque ratione.

Cùm ſit enim per accidens, de ea nulla poteſt eſſe ratio, neq; ars, neq; ſcientia.

43. Bona fortuna eſt incerta.

Fortuna enim, vt dictum eſt, ignota eſt, & abſque ratione. Nec de ea ars eſt: Sed bona fortuna eſt fortuna. Ergo bona fortuna eſt incerta. Non eſt ergo credendum diuinationibus: Quoniam nullam de fortuitis reddere rationem queunt.

44 Fortuna eſt propriè nihil.

Fortunæ nomen cauſſarum ignoratio peperit. Et cùm ens per accidens ſit ens, ſecundum quid, proprieq; nihil: Fortuna verò cauſſa ſit ens per accidens: Ergo eſt propriè nihil. Quoniam ens per accidens ens, non ſimpliciter eſt.

45 Naturalia non ſunt à caſu, nec à fortuna.

Ea enim, quæ à fortuna fiunt, rariùs contingunt: Sed naturalia ſemper, vel in pluribus, & eodem modo ſe habent, proceduntq; à ſuis cauſſis, quodam ordine, vt dictum eſt. Igitur neq; à caſu, nec à fortuna proficiſcuntur.

De principijs ergo entis mobilis, & ſcientiæ naturalis, iſta ſufficiant.

De

DE MOTV GENERALITER, ET QVÆ IPSVM conſequuntur.

LIBER TERTIVS.

Summa & diſpoſitio libri III.

Conſideratis principijs tàm ſubiecti, quàm ſcientiæ; Sequitur conſideratio de ipſo ſubiecto, ſiue de paſſione prima illius, quæ eſt motus, de quo in hoc libro, & ſimul de conſequentibus ipſum, ſcil. infinito, loco, & tempore. Quoad ipſum motum, in communi, præmiſſo, quòd eius conſideratio ſpectet ad naturalem, in 1. concluſione, primò definitur duabus definitionibus, quibus declaratur natura eius. Prior in concluſione 2. altera in 3. Ex qua deducit in 4. quod ſit ſubiectum eius. Secundò, quomodo ſe habet ad actũ mouentis in 5. Tertiò, qualiter ad actionem & paſsionem, in 6: Ex qua deducit in 7. in quo ſint hæc ſubiectiuè. Quoad infinitum, quod ſequitur motum intrinſecè, præmiſſo, quòd ſpectet eius conſideratio ad naturalem, in 8: Primò declaratur quæſtio, an ſit; In infinito quidem ſecundum magnitu-

gnitudinem, in *9*: In infinito verò ſecundum multitudinem, in *10*. Secundò, quæſtionem, Quid ſit, in *11*. Tertiò duo, quæ dicuntur de infinito: Alterum de infinito ſecundum diuiſionem, in *12*: Alterum de infinito ſecundũ appoſitionem, in *13*. declarat. Quoad locum, qui ſequitur motum extrinſecè, tanquam menſura mobilis, præmiſſo, quòd debeat conſiderari à naturali, in *14*. oſtendit primò, quomodo aliquid poſsit eſſe in ſeipſo, in *15*. Et quomodo non, in *16*. & *17*. Hæc enim deſeruiunt ad inueſtigandam definitionem loci. Secundò venatur ipſam definitionem: Priùs oſtendendo, quid non ſit, in *18*. & *19*: Poſteà, quid ſit, in *20*. Tertiò quomodo aliquid ſit in loco, & ſpecialiter vltima ſphæra, de qua eſt dubium, in *21*. docet. Quartò aſſignat rationem cuiuſdam proprietatis loci, in *22*. Et quia vacuum reducitur ad locum, conſequenter & de hoc determinat. Et primò oſtendit, quòd eius conſideratio ſpectet ad naturalem, ſicut alia prædicta, in *23*. Secundò aſsignat, quid nominis eius: Non enim habet quid rei, in *24*. Tertiò ex hoc, non dari ipſum in rerum natura, in *25*. deducit. Quoad tempus, quod ſequitur motum, vt menſura eius, præmiſſo, quòd conſideratio eius pertineat ad naturalem, in *26*. Incipit ab eius definitione, & declarato, quomodo ſe habeat ad motũ, in *27*. & *28*, oſtendit

dit primò, quòd ſit aliquid motus, ſcilicet conſequens ipſum, in 29. Secundò inueſtigat, quem motum conſequitur, in communi quidem, in 30: In ſpeciali verò, in 31. Tertiò interponit comparationem inter motum localem, & ſuum mobile, in 32. & 33: deducens ex dictis, quid ſit motus localis, in 34: Et ex hac definitione, quid habeamus actu de motu, in 35. Quartò inueſtigat aliam particulam definitionis eius, ſc. prius & poſterius: oſtendens, quomodo ſint in magnitudine, loco, motu, & tempore, ordine quodam, ſc. in ſecundo horum per primum, & ſic de alijs in 36. 37. 38. 39. 40: Et quomodo tempus ſequitur motum iuxta hæc, in 41. Ex dictis colligens duas definitiones temporis: Alteram mancam in 42: Alteram perfectam in 43: Inferens in 44. identitatem eorum inter ſe, licet quidã alij teneant ea diſtingui realiter. Demum comparat ipſum ad animam, quomodo abſque illa eſſe vel non eſſe poſsit, in 45. & 46. oſtendens. Et quia nunc eſt terminus temporis, conſequenter agit de ipſo: declarans primò, quid ſit, in 47: Secundò eius vnitatem, in 48. Tertiò aſsignat rationem trium, quæ illi attribuuntur, in 49. 50. 51. Reddit deinde rationem eorum, quæ dicuntur de tempore, quæ quidem ſunt in triplici differentia. Quædam enim important paſsiones quantitatis, vt eſſe longum,

longum, breue, & huiuſmodi: De quibus in 52. 53. 54. agit. Quædam pertinent ad vnitatem & diuerſitatem ipſius temporis, de quibus in 55. per reſpectum ad temporalia. Et in 56. 57. per reſpectum ad motum. Quoddam vero ad eius cognitionem, de quo in 58. Vltimò agit de tempore per reſpectum ad ea, quæ ſunt in tempore: Primò oſtendens quomodo menſurantur tempore. Quoad motum quidem, in 59: Quoad quietem, in 60: Quoad alia, in 61: Subiungens, quid ſit, eſſe in tempore, in 62. Secundò ponit duas conditiones eorum, in 63 64. Tertiò declarat, quæ non ſunt in tempore, in 65. 66. 67. 68. Quartò, quibus competat eſſe in tempore, vniuerſaliter loquendo, in 69. 70: Tempus eſſe vbique, in 71, deducens.

Concluſio ſiue regula prima.

1 Ad philoſophum naturalem pertinet tractare de motu.

Motus enim ponitur in definitione naturæ. Igitur ignorato motu, neceſſe eſt ignorare naturam. Si autem non cognoſcimus naturam: Ergo nec res naturales. Cognitio igitur naturæ acquirenda eſt ex cognitione motus: ac diuerſitas naturæ ex motus diuerſitate.

2 Motus eſt actus entis in potentia, in quantum huiuſmodi.

Quando

Quando enim mobile eſt adhuc in termino, à quo incipit moueri, nondum mouetur. Similiter nec quando eſt in termino, ad quem peruenire vltimò debuit: Tunc enim motum eſt, & non mouetur. Tum verò mouetur, quando eſt in actu, in quo priùs non fuit, & ſimul tendit ad vlteriorem actum, ad quem adhuc eſt in potentia. Illud ergo, quod mouetur, eſt in actu imperfecto, & tendit ad vltimum actum. Reſpectu igitur actus imperfecti, eſt in actu: Reſpectu autem vltimi actus, eſt in potentia. Si autem ſiſteretur in actu imperfecto: non diceretur moueri, ſed quieſcere. Tunc autem dicitur moueri, cùm exiſtens in illo actu, tendit in actum vlteriorem. Motus ergo eius eſt ille actus, dum mobile tendit ad vlteriorem actum, ad quem eſt in potentia. Motus ergo eſt actus entis in potentia, in quantum huiuſmodi.

3. Motus eſt actus mobilis, in quantum eſt mobile.

Eſt enim actus entis in potentia, in quantum huiuſmodi. Hoc autem non eſt, niſi mobile, in quantum eſt mobile actu, id eſt, in quantum actu mouetur. Eſt ergo motus actus mobilis, in quãtum huiuſmodi.

4. Motus eſt in mobili.

Actus enim eſt in eo, cuius eſt actus. Motus autem eſt actus mobilis: Ergo eſt in mobili.

5. Idem eſt actus mouentis & mobilis.

Idem eſt enim, quod mouens agendo cauſ-

ſat,

ſat, & quod mobile patiendo recipit. Hoc autem dicitur actus vtriuſque: Mouentis quidem, in quantum aliquid agit: Moti verò, in quantum patitur. Igitur vtriuſque eſt idem actus.

6. Actio & paſsio ſunt idem motus realiter.

Idem enim realiter eſt actus agentis & mobilis patientis. Actio autem eſt actus agentis, & paſſio patientis: Ergo vnus & idem actus eſt actio & paſſio. Actus autem mobilis ſeu patientis ab agente eſt motus: Actio ergo & paſſio ſunt vnus motus realiter. Differunt autem ratione: Quia hic actus, vt eſt ab agente, dicitur actio: Vt autem eſt in paſſo, dicitur paſſio.

7. Actio & paſsio realiter ſunt in patiente, tanquam in ſubiecto.

Cùm enim ſint idem motus realiter, & ille motus ſit in mobili: Patet, quòd ambo realiter ſint in mobili & paſſo. Eſt enim ab agente, non in agente. Aliter moueretur agens eo motu, quo alterum mouet. Eſt ergo in paſſo, tanquam in ſubiecto.

8. Ad philoſophum naturalem pertinet tractare de infinito.

Infinitum enim conſequitur motum, ſicut & quodlibet continuum. Continuum enim eſt diuiſibile in infinitum. Cùm igitur philoſophus naturalis conſideret de motu, vt dictum eſt, & de alijs continuis, puta, magnitudine & tempore; Patet, quòd ad eundem tractare dè infinito ſpectet.

9 Infinitum corpus ſenſibile dari non poteſt.

Omne enim corpus ſenſibile eſt mobile, cùm habeat materiam, quæ eſt principium motus. Ergo oportet omne ſenſibile corpus habere aliquem determinatum motum. Sed ſi eſſet infinitum, non poſſet moueri: non quidem motu recto, quia omnia loca occuparet: nec circulari: Neceſſe enim foret in motu circulari, vnam partem transferri in locum alterius: Sed hoc non eſt poſſibile in infinito. Dicendum enim eſſet, infinitum pertranſiri. Si etiam daretur corpus infinitum, in eo inueniri nec medium, nec vltimum poſſet. Corpus ergo ſenſibile infinitum eſſe nequit.

10 Infinitum in multitudine, dari actu in natura non poteſt.

Loquitur autem nunc de rebus materialibus: Et probatur concluſio hæc, tum quia omnis multitudo materialis eſt in aliqua ſpecie numeri, cùm nihil ſit in genere, quod nō ſit in aliqua ſpecie: Omnis autem ſpecies numeri eſt actu finita, cùm numerus ſit multitudo facta per vnum: Tum quia omnis multitudo eſt aliquid creatum, loquendo de multitudine actu exiſtente, de qua eſt ſermo. Omne autem creatum ſub certa intentione creantis comprehenditur, & continetur ſub certo numero. Ergo datur tamen tale infinitum in potentia: Quia augmentum multitudinis ſequitur diuiſionem continui, quod in infinitū eſt diuiſibile.

11. Infinitum eſt, cuius ſemper aliquid extra, ratione quantitatis accipi poteſt. *Unde*

Vnde & annulum pala deſtitutum, infinitum ob id dicere conſueuimus: Quod ſemper aliud atq; aliud, annulum continenter obuoluenti, occurrere videatur.

12. Infinitũ in diuiſione, vt nõ detur tam parua magnitudo, quin poſsit minor dari, efficit.

Cum enim nunquam ceſſet diuiſio data quacunque magnitudine, quantumcunq; minima, illa poterit diuidi in partes, quæ ſunt minores toto. Semper igitur quacunque magnitudine data dari minor poteſt.

13. In appoſitione infinita excedere quamcunque magnitudinem finitam non oportet.

Sint enim duæ magnitudines decem pedum, & vna diuidatur in infinitas partes proportionales. Verbi gratia, diuidatur totum in medietates, & medietas in medietates, & medietas iterum in medietates, & ſic in infinitum, & ſemper pars extracta apponatur alteri lineæ. Cùm ergo ſemper aliquid remaneat diuidendum de altera linea: Patet, quòd linea, cui ſit additio, nunquam viginti pedum ſit futura. Conſtat ergo per additionem infinitam, non excedi lineã viginti pedum: imò æquari. In numeris verò, minimus numerus, vt binarius; non autem maximus datur: Quia numerus cauſſatur ex diuiſione continui. Cùm ergo ſemper liceat diuidere, numerus augeri in infinitũ poterit.

14. Ad philoſophum naturalem pertinet tractare de loco.

Ad philoſophum naturalem pertinet tractare de

cauſſa efficiente, ſicut in cauſſa finali, ſicut in vaſe. Et hic vltimus modus eſt maximè proprius.

17. Nihil eſt in ſeipſo primò, & per accidens.

Eſſet enim in ſeipſo per hoc, quòd aliquod corpus, in quo eſt, eſſet in ipſo: Et ſic duo corpora eſſent in eodem, quod falſum eſt. Quando verò Deus eſſe in ſeipſo dicitur, eſt negatiuè id, quòd non ſit in altero, intelligendum.

18. Locus non eſt forma, nec materia.

Materia enim & forma ſunt partes rei locatæ. Locus autem non eſt pars, ſed ſeparatus eſt à locato. Non igitur eſt forma vel materia.

19. Locus non eſt ſpatium.

Spatium dicebant antiqui quantitatem ſeparatam à ſubſtantia corporea, quæ dicitur trina dimenſio, id eſt, longitudo, latitudo, & profunditas: Quæ penetrabat corpora locata, & hic erat ſecundum eos locus eorum. Primò igitur ſequebatur, quod accidens ſit ſeparatum à ſubſtantia. Secundò, quòd loci eſſet locus: Quia ſi vas transferatur, in alio collocari loco neceſſe eſt. Cùm igitur ſpatium eius ſit locus aquæ vel vini: Patet, quòd locus ille in alio loco locabitur. Præterea, quòd corpus non ſit ſimul cum alio corpore, non eſt ratione formæ, nec ratione materiæ, quæ ſecundum ſe ſunt indiuiſibiles: Sed ratione dimenſionum. Dimenſiones igitur loci & corporis locati non poterunt eſſe ſimul: Ergo locus non eſt ſpatium.

20. Locus eſt terminus immobilis continentis primum.

Continens primum dico, quod nihil aliud continet præter locatum. Aër enim totus eſt locus hominis communis: Sed continens primum eſt ille, à quo aliquis homo continetur, ita quòd nihil aliud ab eo eſt contentum ſecundum vltimam ſuperficiem, quæ eſt terminus eius tangens corpus locatum. Ille igitur terminus dicitur locus, qui in ſe duo habet. ſc. materiale, quod eſt ipſe terminus continentis primum: Et formale, quod eſt reſpectus ad centrum terræ & polos mundi. Cùm ergo dicitur eſſe immobilis, intellige quantũ ad formale. Semper enim manet diſtantia eadem, reſpectu centri & polorum mundi, etiam ſi varietur ſuperficies, vt patet in naui flumini impoſita, vbi aqua ſemper fluit & facit diuerſam ſuperficiem. Vnde locus eſt idem propter eandem formam. Ita partes hominis continuò d ffluunt; idem tamen propter eandem formam homo permanet. Ergo ex his, quod cuicunq; corpori adiacet aliquod corpus continens ipſum exterius, hoc in loco ſimpliciter & per ſe eſſe: Cui verò non adiacet aliquod corpus, non ſimpliciter, & per ſe in loco eſſe ſequitur. Quomodo verò ſit in loco, mox declarabitur.

21. Vltima ſphæra eſt in loco per partes.

Eſt enim in loco aliquo modo, quia mouetur localiter: Non autem eſt in loco, ſicut cætera corpora, quia non continetur ab aliquo. Non poteſt autem dici meliùs, cùm aliquo modo ſit in loco, quia mouetur localiter, quàm quòd ſit in loco

per

per partes. Totum enim non variat locum in motu circulari ſecundum rem, ſed ſolùm ſecundum rationem, niſi per partes: Quia partes variant locum etiam ſecundum rem. Dicatur ergo, quòd ſit in loco per partes, quæ quidem ſunt in potentia in toto. Non enim ſunt actu diuiſæ & deſignatæ. Vnde etiam partes non ſunt actu in loco, ſed potentia tantùm, in quantum poſſunt deſignari vel intelligi deſignatæ. Eſt ergo in loco, in quo modo poteſt. Omne autem corpus, cui ineſt aliud corpus, continens ipſum, eſt in loco per ſe, & in actu.

22. Omne corpus naturale fertur naturaliter in ſuum locum proprium, & ibi naturaliter quieſcit.

Locus enim proprius corporis eſt naturaliter proximus & ſimilis ei, locatiq́; ſalus, & quaſi totum reſpectu locati. Vnumquodq; autem naturaliter fertur ad ſuum proximum, vel ſimile, quod ipſum conſeruat, & naturaliter quieſcit pars in ſuo toto. Igitur naturaliter tendit corpus naturale ad ſuum locum, naturaliterq́; in eo quieſcit.

23. Ad philoſophum naturalem pertinet tractare de vacuo.

Nam quidam, eſſe vacuum in natura per eaſdem rationes, quibus probatur, locum eſſe, oſtendere conati. Id igitur vt abigatur, circa vacuum ſpeculandum philoſopho.

24. Vacuum ſignificat locum, in quo non eſt corpus tangibile, quod ibi eſſe aptum natum eſt.

Hoc pacto enim de vacuo antiqui locuti.

25. Vacuum non datur in natura.

Si enim vacuum eſſet, maximè propter motum localem foret, ne dum aliquid mouetur localiter, duo corpora eſſe ſimul, contingat: Sed huius rei gratia ponere non opus fuit. Nam ſaluatur motus localis in corporibus cedentibus, vt in aqua, aëre, & igne. Ergo non eſt ponendum vacuum propter motum: quinimò deſtrueret motum. Nam motus naturalis eſt ad locum ſibi ſimilem & proximum naturaliter. In vacuo autem nulla eſt proximitas: Ergo ibi non poteſt eſſe motus naturalis: Et per conſequens nec violentus. Quia remoto naturali remouetur violentus, eò quòd violentus motus ille, qui contra naturam eſt. Ergo poſito vacuo, remouetur motus omnis. Non ergo eſt ſtatuendum vacuum.

26 Ad philoſophum naturalem tractatus de tempore pertinet.

Tempus enim ſequitur motum, & eſt menſura motus, & diuiditur quoq; ad modum motus. Vnde quemadmodum ad naturalem tractare de motu: Ita etiam de tempore diſſerere, pertinet.

27. Tempus non eſt motus, nec mutatio.

Motus enim & mutatio ſunt in eo duntaxat, cuius ſunt motus & mutatio, vel in loco, vbi fit. Sed tempus eſt ſimiliter in omni loco, & in omni re. Igitur non eſt motus nec mutatio.

28 Tempus non eſt ſine motu.

Non enim ſentitur tempus, niſi etiam motus

tus ſentiatur. Grauiter enim dormientes, & fortiter contemplantes non ſentiunt tempus: Quia non ſentiunt motum. Qui autem ſentit motum, ſtatim ſentit etiam tempus. Tempus ergo non eſt ſine motu.

29. Tempus eſt aliquid motus.

Cùm enim tempus non ſentiatur ſine motu, & cùm ſentitur motus, ſimiliter etiam ſentiatur tempus, neceſſe eſt: vel quòd tempus ſit motus, vel quòd ſit aliquid motus. Dictum eſt autem, quòd non eſt motus: Ergo eſt aliquid motus, ſcilicet menſura eius, vt infrà declarabitur.

30. Tempus ſequitur motum localem.

Vnumquodq; enim menſuratur primo ſui generis. Inter omnes autem motus primus eſt localis, vt infrà probabitur: Tempus autem eſt menſura motus. Oportet igitur, quòd tempus ſit aliquid motus localis, motumq; localem ſequatur.

31. Tempus ſequitur motum localem primi mobilis.

Cùm enim tempus ſit menſura motus, oportet ſequatur illum motum. Vnde alij cauſſantur motus: Quia *vnumquodq; menſuratur primo ſui generis. Motus autem primi mobilis eſt primus, & cauſſa omnium aliorum, vt inferiùs oſtendetur: Ergo ipſum ſequitur tempus.*

32. Motus localis nihil intrinſecè parit in mobili.

Per motum enim localem non acquirimus, niſi locum, vel eſſe in loco. Locus autem eſt ali-

quid extrinſecum, & eſſe in loco nihil aliud dicitur realiter, quàm locum & locatum, vt dictum fuit in primo libro, concluſione 67. Aliter ſequeretur, quòd quando aliquid moueretur localiter, infinita accidentia in eo continuè generarētur & corrumperentur, vt in Sole, luna, & ſtellis, quod nullo modo videtur eſſe verum. Nihil igitur intrinſecè ponit in mobile.

33 Mobile in toto motu eſt idem ſubiecto, & diuerſum ratione.

Nam cùm nihil intrinſecè acquirat: Patet, quòd realiter ſubiectum non varietur in motu locali. De hoc enim ſemper loquimur. Sed cùm ſemper ſit in alio & alio Vbi: Patet, quòd varietur ſecundum rationem, quia ſemper habet diuerſos reſpectus ſeu diſpoſitiones. Loca enim, quæ variat, ſunt diuerſa realiter. Sed ſubiectum intrinſecè realiter non variatur.

34. Motus localis eſt ſucceſsio diuerſorum Vbi.

Vbi enim ponit locum & locatum, quando veniuntur ad inuicem. Sed ſicut humanitas ponit animam & corpus, id eſt, materiam & animam intellectiuam realiter, quando ſunt vnita, & vnio non eſt, niſi ens rationis: Ita Vbi dicit locatum & locum vnita, vnio non ponit aliquod tertium ens reale, ſed ens rationis. Succeſſio ergo iſtorum Vbi, eſt motus. Cùm enim motus ſit actus entis in potentia, in quantum huiuſmodi: Motus localis nihil aliud erit, niſi mutata eſſe, id eſt, eſſe in hoc

hac vel in illo loco, ad quem id mobile peruenit, in quantum adhuc ad aliud vbi tendit: Vnde continua ſucceſſio iſtorum vbi motus localis eſt.

35 De motu non habemus, niſi vnum indiuiſibile.

Cùm enim in quadam ſucceſſione conſiſtat: oportet, quòd pars præterita & pars futura non ſit. Illa enim fuit: Hæc autem nondum eſt. Vnde ſemper remanet mobile in vno mutatum eſſe, vel in vno vbi, quod eſt indiuiſibile motus. Vnde partes motus non remanent, ſicut partes lineæ. Cùm ergo dicatur, quòd motus ſit diuiſibilis, & de numero continuorum, & in re non habeatur de eo, niſi vnum indiuiſibile: Patet, quòd motus habeat ſuam perfectionem ab anima continuante partes eius ad inuicem, & diuidente eas. Vnde omni remoto reſpectu ad animam, nihil ſunt partes motus, niſi quòd per illud indiuiſibile dicuntur eſſe: Sicut & totus motus. Anima autem eſt, quæ comparat partes eius ad inuicem, & numerat eas ſecundum prius & poſterius: Et diuidit motum, & continuat partes eius ad inuicem. Igitur etſi motus ſit extra animam, quod ad aliquid indiuiſibile reale: Non tamen habet eſſe perfectum, niſi ab anima.

36. In magnitudine, in qua fit motus, eſt prius & poſterius.

Quia cùm ſit continua, & poſitionem habeat in partibus, & de ratione poſitionis ſit prius & poſterius, ſequitur, quòd in magnitudine ſit prius & poſterius.

Locus

37. Locus habet prius & poſterius ſecundum magnitudinem in motu locali.

Quia prior locus eſt, vbi eſt prior pars magnitudinis, & poſterior, vbi eſt poſterior, & medius, vbi eſt media. Secundum magnitudinem igitur habet prius & poſterius.

38. Motus localis habet prius & poſterius ratione locorum & magnitudinis.

Prima enim pars motus eſt in prioribus locis, & in priore parte magnitudinis, & media in medijs, & vltima in vltimis. Igitur ratione illorum habet prius & poſterius.

39. Prius & poſterius in motu non differunt, niſi ſecundum rationem à motu.

Prius enim in motu, quantum ad id, quod eſt, non eſt niſi prior pars motus, quæ non differt realiter à motu. Et ſimiliter poſterius eſt poſterior pars: Sed differunt ratione. Quia motus ſecundum ſe eſt actus entis in potentia, in quantum huiuſmodi. Quòd autem in eo ſit prius & poſterius, ex ordine partium magnitudinis ſit.

40. In tempore eſt prius & poſterius proportionabiliter ſecundum motum.

Iam enim dictum eſt, quòd tempus non ſeparatur à motu, & cùm ſentitur motus, ſimul etiam ſumitur tempus: Vnde etiam eodem ordine ſumitur tempus & motus. Dicimus etiam priorem partem motus eſſe factam in priori parte temporis, & poſteriorem in poſteriori. Eſt ergo in tempore prius & poſterius, ſicut & in motu.

Tem-

41 Tempus ſequitur motum ſecundum rationem prioris & poſterioris.

Non enim ſequitur motum abſolutè, quia non ſentimus tempus, quando ſentimus motum abſolutè. Niſi enim in motu determinares prius & poſterius: nunquam ſentires tempus. Ratione ergo prioris & poſterioris ſequitur motum.

42. Tempus eſt numerus motus.

Nunquam enim ſentimus tempus, niſi quando numeramus partes prioris & poſterioris motus. Cum ergo tempus ſit aliquid motus, vt iam dictum eſt: Patet, quòd non eſt niſi numerus motus, cùm numerando motum, mox tempus percipiamus.

43. Tempus eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius.

Si enim acciperemus vnum nunc, quod eſſet principium poſterioris, & finis prioris: Nunquam diceremus fieri tempus: Quia partem priorem & poſteriorem motus non ſentiremus. Tunc autem ſentimus tempus, cùm numeramus vnum motum poſt alterum. Eſt ergo numerus motus ſecundum prius & poſterius in motu.

44. Tempus & motus non differunt realiter.

Cùm enim tempus ſit numerus, iam non eſt numerus, quo numeramus: Quia ille eſt in anima ſolùm. Eſt ergo numerus numeratus, id eſt, res numerata. Cùm ergo non ſit niſi numerus motus; patet, quòd eſt motus numeratus. Non differunt

runt autem realiter motus numeratus, & numerus motus numerati. Item etiam, cùm prius & poſterius in motu non differant realiter à motu: Et tempus ſit prius & poſterius, numerata in motu: Patet, quòd tempus à motu realiter nõ differat.

45. Tempus ſine anima habet eſſe imperfectum.

Sicut enim motus non habet eſſe, niſi ſecundum vnum indiuiſibile eius extra animam, & perfectio eius accipitur ab anima conſiderante: Ita & tempus, quod eſt idem realiter cum motu, non habet niſi vnum indiuiſibile extra animam. Perfectionem verò habet ab anima numerante, & ordinante prius & poſterius.

46 Anima non exiſtente, non oportet non eſſe tempus.

Nam anima non exiſtente, poterit eſſe motus, qui etſi non numeretur actu: erit tamen aptus natus numerari ab anima, quæ poterit eſſe. Eſt ergo ſine anima vtcunque, id eſt, imperfectè. Si autem anima non poteſt eſſe: nec item poſſet eſſe tempus: Nam non exiſtere valeret. Motus enim non eſſet numerabilis, ſi nihil eſſet, quód numeraret.

47 Inſtans non differt à mutato eſſe realiter.

Inſtans enim ita ſe habet in tempore, ſicut mutatum eſſe in motu. Sicut enim mutatum eſſe eſt terminus motus: Ita etiam Nunc eſt terminus temporis. Ergo à commutata proportione, ita

ſe habet Nunc ad mutatum eſſe, ſicut tempus ad motum. Tempus autem non differt realiter à motu. Ergo Nunc non differt realiter à mutato eſſe. Igitur in tantum mutatum eſſe dicitur mutato inſtans, in quantum terminat partes motus, prout in anima numeratæ ſunt.

48. Nunc temporis idem eſt ſubiecto in toto tempore, & diuerſum ratione.

Cùm enim ſit idem Nunc, quod mutatum eſſe: Et mutatum eſſe ſit ipſum mobile, ſecundum quod eſt ſub tali vel tali diſpoſitione: Quod quidem *manet in toto motu, idem ſubiecto, & diuerſum ſecundum rationem: Patet, inſtans eſſe idem, quod ipſum mobile, realiter. Mobile igitur ſecundum ſe, non eſt mutatum eſſe, ſed ſecundum quod eſt ſub tali diſpoſitione, qua terminat partes motus, in quantum eſt motus. At ſecundum quod eſt ſub tali diſpoſitione, vt terminat partes motus, in quantum eſt ab anima numeratus, ſic eſt ipſum inſtans. Cùm igitur ſit ſemper idem realiter in toto motu, & diuerſum ratione, ſecundum quod eſt ſemper ſub alia vel alia diſpoſitione locali: Patet, quòd inſtans eſt idem realiter in toto motu, & differt ratione.* Q*uia fundamentum reale ipſius inſtantis ſemper manet idem, ſed ratio diuerſa eſt.*

49. Tempus non eſt ſine Nunc: nec Nunc abſque tempore.

Tempus enim & Nunc ſe habent, ſicut motus & mobile. Sed motus non eſt ſine mobili, nec econuerſo: Ergo nec Nunc ſine tempore, nec econuerſo.

50. Tempus eſt continuũ ipſi Nunc. *Sic*

Sic enim ſe habet Nunc ad tempus, ſicut mobile, exiſtens ſub vna diſpoſitione in motu, ad ipſum motum. Mobile autem ſic ſe habens coniungit partes motus, ſcilicet priorem cum poſteriori, ita quòd ambæ continuantur, ad ipſum mobile ſic ſe habens, tanquam ad vnum terminum communem. Ergo Nunc eodem modo continuat, & coniungit partes temporis. Igitur continuum eſt ipſi nunc.

51. Nunc non eſt pars temporis.

Sicut enim mobile non eſt pars motus, ſed eſt indiuiſibile motus tanquam terminus continuans motum: Ita & Nunc eſt indiuiſibile in tempore, & non eſt pars temporis: Verùm eſt in tempore, ſicut punctus in linea.

52. Tempus poteſt dici longum vel breue.

Continuo enim competit longitudo ac breuitas. Tempus autem eſt continuum, eò, quòd eſt idem realiter, quod motus, qui eſt continuus: Ergo poteſt dici longum vel breue: Et eadem ratione poteſt dari in tempore minimum, ſecundum multitudinem, vt vnum vel duo, puta, vnus annus aut duo. Non tamen minimum ſecundum magnitudinem: Quia cuiuſlibet temporis dati eſt accipere partes, in quas diuiditur, ſicut & in motu.

53. Tempus dicitur multum vel paruum.

Eſt enim numerus, cui multum & paucum conuenit.

Tempus

54. Tempus neque tardum eſt, neq; velox.

Velox & tardum competit alicui, ſecundum quod menſuratur tempore. Velox enim dicitur, quod in paruo tempore magnum: Tardum verò, quod in magno tempore paruum tranſit ſpatium. Si ergo tempus diceretur tardum, vel velox: Seipſum determinaret ac menſuraret, quod eſt falſum. Ergo tempus neque tardum eſt, neque velox.

55 Tempus per comparationem ad temporalia eſt vnum & idem.

Non enim diuerſificatur ſecundum diuerſa mobilia, aut temporalia. Omnia enim temporalia poſſunt vno & eodem tempore menſurari. Hæc enim dies menſurat omnia, quæ ſunt vel mouentur in hac die. Igitur reſpectu temporalium tempus eſt vnum.

56 Tempus eſt diuerſum ſecundum diuerſas partes motus.

Nam cùm ſequatur motum, vel ſit realiter ipſe motus: oportet, quòd ſicut prima pars motus eſt diuerſa à media & vltima: ita & prima pars temporis ſit diuerſa à prima & vltima. Ergo ſecundum diuerſas partes motus diuerſificatur.

57 Tempus non iteratur idem numero, ſed ſpecie.

Cum enim ſit motus, & diuerſificetur ſicut motus, & motus nunquam iteretur idem numero,

Continens primum dico, quod nihil aliud continet præter locatum. Aër enim totus eſt locus hominis communis: Sed continens primum eſt ille, à quo aliquis homo continetur, ita quòd nihil aliud ab eo eſt contentum ſecundum vltimam ſuperficiem, quæ eſt terminus eius tangens corpus locatum. Ille igitur terminus dicitur locus, qui in ſe duo habet. ſc. materiale, quod eſt ipſe terminus continentis primum: Et formale, quod eſt reſpectus ad centrum terræ & polos mundi. Cùm ergo dicitur eſſe immobilis, intellige quantū ad formale. Semper enim manet diſtantia eadem, reſpectu centri & polorum mundi, etiam ſi varietur ſuperficies, vt patet in naui flumini impoſita, vbi aqua ſemper fluit & facit diuerſam ſuperficiem. Vnde locus eſt idem propter eandem formam. Ita partes hominis continuò diffluunt: idem tamen propter eandem formam homo permanet. Ergo ex his, quod cuicunq; corpori adiacet aliquod corpus continens ipſum exterius, hoc in loco ſimpliciter & per ſe eſſe: Cui verò non adiacet aliquod corpus, non ſimpliciter, & per ſe in loco eſſe ſequitur. Quomodo verò ſit in loco, mox declarabitur.

21. Vltima ſphæra eſt in loco per partes.

Eſt enim in loco aliquo modo, quia mouetur localiter: Non autem eſt in loco, ſicut cætera corpora, quia non continetur ab aliquo. Non poteſt autem dici melius, cùm aliquo modo ſit in loco, quia mouetur localiter, quàm quòd ſit in loco per

per partes. Totum enim non variat locum in motu circulari ſecundum rem, ſed ſolùm ſecundum rationem, niſi per partes: Quia partes variant locum etiam ſecundum rem. Dicatur ergo, quòd ſit in loco per partes, quæ quidem ſunt in potentia in toto. Non enim ſunt actu diuiſæ & deſignatæ. Vnde etiam partes non ſunt actu in loco, ſed potentia tantùm, in quantum poſſunt deſignari vel intelligi deſignatæ. Eſt ergo in loco, in quo modo poteſt. Omne autem corpus, cui ineſt alind corpus, continens ipſum, eſt in loco per ſe, & in actu.

22. Omne corpus naturale fertur naturaliter in ſuum locum proprium, & ibi naturaliter quieſcit.

Locus enim proprius corporis eſt naturaliter proximus & ſimilis ei, locatiq; ſalus, & quaſi totum reſpectu locati. Vnumquodq; autem naturaliter fertur ad ſuum proximum, vel ſimile, quod ipſum conſeruat, & naturaliter quieſcit pars in ſuo toto. Igitur naturaliter tendit corpus naturale ad ſuum locum, naturaliterq; in eo quieſcit.

23. Ad philoſophum naturalem pertinet tractare de vacuo.

Nam quidam, eſſe vacuum in natura per eaſdem rationes, quibus probatur, locum eſſe, oſtendere conati. Id igitur vt abigatur, circa vacuum ſpeculandum philoſopho.

24. Vacuum ſignificat locum, in quo non eſt corpus tangibile, quod ibi eſſe aptum natum eſt.

Hoc pacto enim de vacuo antiqui locuti.

25. Vacuum non datur in natura.

Si enim vacuum eſſet, maximè propter motum localem foret, ne dum aliquid mouetur localiter, duo corpora eſſe ſimul, contingat: Sed huius rei gratia ponere non opus fuit. Nam ſaluatur motus localis in corporibus cedentibus, vt in aqua, aëre, & igne. Ergo non eſt ponendum vacuum propter motum: quinimò deſtrueret motum. Nam motus naturalis eſt ad locum ſibi ſimilem & proximum naturaliter. In vacuo autem nulla eſt proximitas: Ergo ibi non poteſt eſſe motus naturalis: Et per conſequens nec violentus. Quia remoto naturali remouetur violentus, eò quòd violentus motus ille, qui contra naturam eſt. Ergo poſito vacuo, remouetur motus omnis. Non ergo eſt ſtatuendum vacuum.

26 Ad philoſophum naturalem tractatus de tempore pertinet.

Tempus enim ſequitur motum, & eſt menſura motus, & diuiditur quoque ad modum motus. Vnde quemadmodum ad naturalem tractare de motu: Ita etiam de tempore diſſerere, pertinet.

27. Tempus non eſt motus, nec mutatio.

Motus enim & mutatio ſunt in eo duntaxat, cuius ſunt motus & mutatio, vel in loco, vbi fit. Sed tempus eſt ſimiliter in omni loco, & in omni re. Igitur non eſt motus nec mutatio.

28 Tempus non eſt ſine motu.

Non enim ſentitur tempus, niſi etiam motus

tus ſentiatur. Grauiter enim dormientes,& fortiter contemplantes non ſentiunt tempus: Quia non ſentiunt motum. Qui autem ſentit motum, ſtatim ſentit etiam tempus. Tempus ergo non eſt ſine motu.

29. Tempus eſt aliquid motus.

Cùm enim tempus non ſentiatur ſine motu, & cùm ſentitur motus,ſimiliter etiam ſentiatur tempus, neceſſe eſt: vel quòd tempus ſit motus, vel quòd ſit aliquid motus. Dictum eſt autem, quòd non eſt motus: Ergo eſt aliquid motus, ſcilicet menſura eius, vt infrà declarabitur.

30. Tempus ſequitur motum localem.

Vnumquodq; enim menſuratur primo ſui generis. Inter omnes autem motus primus eſt localis,vt infrà probabitur:Tempus autem eſt menſura motus. Oportet igitur, quòd tempus ſit aliquid motus localis, motumq́; localem ſequatur.

31. Tempus ſequitur motum localem primi mobilis.

Cùm enim tempus ſit menſura motus, oportet ſequatur illum motum. Vnde alij cauſſantur motus: Quia vnumquodq; menſuratur primo ſui generis. Motus autem primi mobilis eſt primus,& cauſſa omnium aliorum,vt inferiùs oſtendetur: Ergo ipſum ſequitur tempus.

32. Motus localis nihil intrinſecè parit in mobili.

Per motum enim localem non acquirimus, niſi locum, vel eſſe in loco. Locus autem eſt ali-

quid extrinſecum, & eſſe in loco nihil aliud dicitur realiter, quàm locum & locatum, vt dictum fuit in primo libro, concluſione 67. Aliter ſequeretur, quòd quando aliquid moueretur localiter, infinita accidentia in eo continuè generarētur & corrumperentur, vt in Sole, luna, & ſtellis, quod nullo modo videtur eſſe verum. Nihil igitur intrinſecè ponit in mobile.

33 Mobile in toto motu eſt idem ſubiecto, & diuerſum ratione.

Nam cùm nihil intrinſecè acquirat: Patet, quòd realiter ſubiectum non varietur in motu locali. De hoc enim ſemper loquimur. Sed cùm ſemper ſit in alio & alio Vbi: Patet, quòd varietur ſecundum rationem, quia ſemper habet diuerſos reſpectus ſeu diſpoſitiones. Loca enim, quæ variat, ſunt diuerſa realiter. Sed ſubiectum intrinſecè realiter non variatur.

34. Motus localis eſt ſucceſsio diuerſorum Vbi.

Vbi enim ponit locum & locatum, quando veniuntur ad inuicem. Sed ſicut humanitas ponit animam & corpus, id eſt, materiam & animam intellectiuam realiter, quando ſunt vnita, & vnio non eſt, niſi ens rationis: Ita Vbi dicit locatum & locum vnita, vnio non ponit aliquod tertium ens reale, ſed ens rationis. Succeſſio ergo iſtorum Vbi, eſt motus. Cùm enim motus ſit actus entis in potentia, in quantum huiuſmodi: Motus localis nihil aliud erit, niſi mutata eſſe, id eſt, eſſe in hoc

hoc vel in illo loco, ad quem id mobile peruenit, in quantum adhuc ad aliud Vbi tendit: Vnde continua ſucceſſio iſtorum Vbi motus localis eſt.

35 De motu non habemus, niſi vnum indiuiſibile.

Cùm enim in quadam ſucceſſione conſiſtat: oportet, quòd pars præterita & pars futura non ſit. Illa enim fuit: Hæc autem nondum eſt. Vnde ſemper remanet mobile in vno mutatum eſſe, vel in vno vbi, quod eſt indiuiſibile motus. Vnde partes motus non remanent, ſicut partes lineæ. Cùm ergo dicatur, quòd motus ſit diuiſibilis, & de numero continuorum, & in re non habeatur de eo, niſi vnum indiuiſibile: Patet, quòd motus habeat ſuam perfectionem ab anima continuante partes eius ad inuicem, & diuidente eas. Vnde omni remoto reſpectu ad animam, nihil ſunt partes motus, niſi quòd per illud indiuiſibile dicuntur eſſe: Sicut & totus motus. Anima autem eſt, quæ comparat partes eius ad inuicem, & numerat eas ſecundum prius & poſterius: Et diuidit motum, & continuat partes eius ad inuicem. Igitur etſi motus ſit extra animam, quod ad aliquid indiuiſibile reale: Non tamen habet eſſe perfectum, niſi ab anima.

36. In magnitudine, in qua ſit motus, eſt prius & poſterius.

Quia cùm ſit continua, & poſitionem habeat in partibus, & de ratione poſitionis ſit prius & poſterius, ſequitur, quòd in magnitudine ſit, prius & poſterius.

Locus

37. Locus habet prius & poſterius ſecundum magnitudinem in motu locali.

Quia prior locus eſt, vbi eſt prior pars magnitudinis, & poſterior, vbi eſt poſterior, & medius, vbi eſt media. Secundum magnitudinem igitur habet prius & poſterius.

38. Motus localis habet prius & poſterius ratione locorum & magnitudinis.

Prima enim pars motus eſt in prioribus locis, & in priore parte magnitudinis, & media in medijs, & vltima in vltimis. Igitur ratione illorum habet prius & poſterius.

39. Prius & poſterius in motu non differunt, niſi ſecundum rationem à motu.

Prius enim in motu, quantum ad id, quod eſt, non eſt niſi prior pars motus, quæ non differt realiter à motu. Et ſimiliter poſterius eſt poſterior pars: Sed differunt ratione: Quia motus ſecundum ſe eſt actus entis in potentia, in quantum huiuſmodi. Quòd autem in eo ſit prius & poſterius, ex ordine partium magnitudinis fit.

40. In tempore eſt prius & poſterius proportionabiliter ſecundum motum.

Iam enim dictum eſt, quòd tempus non ſeparatur à motu, & cùm ſentitur motus, ſimul etiam ſumitur tempus: Vnde etiam eodem ordine ſumitur tempus & motus. Dicimus etiam priorem partem motus eſſe factam in priori parte temporis, & poſteriorem in poſteriori. Eſt ergo in tempore prius & poſterius, ſicut & in motu.

Tem-

41 Tempus ſequitur motum ſecundum rationem prioris & poſterioris.

Non enim ſequitur motum abſolutè, quia non ſentimus tempus, quando ſentimus motum abſolutè. Niſi enim in motu determinares prius & poſterius: nunquam ſentires tempus. Ratione ergo prioris & poſterioris ſequitur motum.

42. Tempus eſt numerus motus.

Nunquam enim ſentimus tempus, niſi quando numeramus partes prioris & poſterioris motus. Cùm ergo tempus ſit aliquid motus, vt iam dictum eſt: Patet, quòd non eſt niſi numerus motus, cùm numerando motum, mox tempus percipiamus.

43. Tempus eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius.

Si enim acciperemus vnum nunc, quod eſſet principium poſterioris, & finis prioris: Nunquam diceremus fieri tempus: Quia partem priorem & poſteriorem motus non ſentiremus. Tunc autem ſentimus tempus, cùm numeramus vnum motum poſt alterum. Eſt ergo numerus motus ſecundum prius & poſterius in motu.

44. Tempus & motus non differunt realiter.

Cùm enim tempus ſit numerus, iam non eſt numerus, quo numeramus: Quia ille eſt in anima ſolùm. Eſt ergo numerus numeratus, id eſt, res numerata. Cùm ergo non ſit niſi numerus motus; patet, quòd eſt motus numeratus. Non differunt

runt autem realiter motus numeratus, & numerus motus numerati. Item etiam, cùm prius & poſterius in motu non differant realiter à motu: Et tempus ſit prius & poſterius, numerata in motu: Patet, quòd tempus à motu realiter nõ differat.

45. Tempus ſine anima habet eſſe imperfectum.

Sicut enim motus non habet eſſe, niſi ſecundum vnum indiuiſibile eius extra animam, & perfectio eius accipitur ab anima conſiderante: Ita & tempus, quod eſt idem realiter cum motu, non habet niſi vnum indiuiſibile extra animam. Perfectionem verò habet ab anima numerante, & ordinante prius & poſterius.

46 Anima non exiſtente, non oportet non eſſe tempus.

Nam anima non exiſtente, poterit eſſe motus, qui etſi non numeretur actu: erit tamen aptus natus numerari ab anima, quæ poterit eſſe. Eſt ergo ſine anima vtcunque, id eſt, imperfectè. Si autem anima non poteſt eſſe: nec item poſſet eſſe tempus: Nam non exiſtere valeret. Motus enim non eſſet numerabilis, ſi nihil eſſet, quod numeraret.

47 Inſtans non differt à mutato eſſe realiter.

Inſtans enim ita ſe habet in tempore, ſicut mutatum eſſe in motu. Sicut enim mutatum eſſe eſt terminus motus: Ita etiam Nunc eſt terminus temporis. Ergo à commutata proportione, ita

ſe

ſe habet Nunc ad mutatum eſſe, ſicut tempus ad motum. Tempus autem non differt realiter à motu. Ergo Nunc non differt realiter à mutato eſſe. Igitur in tantum mutatum eſſe dicitur mutato inſtans, in quantum terminat partes motus, prout in anima numeratæ ſunt.

48. Nunc temporis idem eſt ſubiecto in toto tempore, & diuerſum ratione.

Cùm enim ſit idem Nunc, quod mutatum eſſe: Et mutatum eſſe ſit ipſum mobile, ſecundum quod eſt ſub tali vel tali diſpoſitione: Quod quidem manet in toto motu, idem ſubiecto, & diuerſum ſecundum rationem: Patet, inſtans eſſe idem, quod ipſum mobile, realiter. Mobile igitur ſecundum ſe, non eſt mutatum eſſe, ſed ſecundum quod eſt ſub tali diſpoſitione, qua terminat partes motus, in quantum eſt motus. At ſecundum quod eſt ſub tali diſpoſitione, vt terminat partes motus, in quantum eſt ab anima numeratus, ſic eſt ipſum inſtans. Cùm igitur ſit ſemper idem realiter in toto motu, & diuerſum ratione, ſecundum quod eſt ſemper ſub alia vel alia diſpoſitione locali; Patet, quòd inſtans eſt idem realiter in toto motu, & differt ratione. Quia fundamentum reale ipſius inſtantis ſemper manet idem, ſed ratio diuerſa eſt.

49. Tempus non eſt ſine Nunc: nec Nunc abſque tempore.

Tempus enim & Nunc ſe habent, ſicut motus & mobile. Sed motus non eſt ſine mobili, nec econuerſo: Ergo nec Nunc ſine tempore, nec econuerſo.

50. Tempus eſt continuũ ipſi Nunc. *Sic*

54. Tempus neque tardum eſt, neq; velox.

Velox & tardum competit alicui, ſecundum quod menſuratur tempore. Velox enim dicitur, quod in paruo tempore magnum: Tardum verò, quod in magno tempore paruum tranſit ſpatium. Si ergo tempus diceretur tardum, vel velox: Seipſum determinaret ac menſuraret, quod eſt falſum. Ergo tempus neque tardum eſt, neque velox.

55 Tempus per comparationem ad temporalia eſt vnum & idem.

Non enim diuerſificatur ſecundum diuerſa mobilia, aut temporalia. Omnia enim temporalia poſſunt vno & eodem tempore menſurari. Hæc enim dies menſurat omnia, quæ ſunt vel mouentur in hac die. Igitur reſpectu temporalium tempus eſt vnum.

56 Tempus eſt diuerſum ſecundum diuerſas partes motus.

Nam cùm ſequatur motum, vel ſit realiter ipſe motus: oportet, quòd ſicut prima pars motus eſt diuerſa à media & vltima: ita & prima pars temporis ſit diuerſa à prima & vltima. Ergo ſecundum diuerſas partes motus diuerſificatur.

57 Tempus non iteratur idem numero, ſed ſpecie.

Cum enim ſit motus, & diuerſificetur ſicut motus, & motus nunquam iteretur idem numero,

ro, ſed ſpecie tantùm: Sequitur etiã, quòd tempus non iteretur idem numero, ſed ſolùm ſpecie.

58. Tempus aliquando menſuramus per motum.

Nam ſemper menſuramus per aliquid notius eo, quod menſuratur. Aliquando verò motus eſt notior nobis ipſo tempore: Ergo tempus aliquando per motum menſuramus. Vnde etiam motum ſæpe menſuramus ex magnitudine viæ, & magnitudinem viæ ex motu. Vt cùm dicimus: Tuus motus fuit magnus, quia hæc eſt magna via: Et hoc tempus fuit magnum, quia hic fuit magnus motus, & aliquando econuerſo.

59. Tempus menſurat eſſe & durationem motus determinando ad aliquam partem motus, quæ totum menſurat.

Eſſe enim motus in ſucceſſione conſiſtit, ſicut & eius duratio. Tempus autem menſurat ſucceſſionẽ. Et quia vnumquodq; menſuratur aliquo ſui generis, ſicut cubitus viæ menſurat totam viam: Idcirco optimè tunc tempus menſurat motum, cùm determinat aliquam eius partem, per quam numerando menſurat totum: Numerus enim motus eſt.

60. Quies menſuratur tempore.

Eſt enim quies priuatio motus: Et priuatio cognoſcitur per habitum. Ideo quies menſuratur tempore, quo menſuratur motus. Nam ex menſura motus cognoſcitur menſura quietis mobilis, in quantũ mobile. Hoc enim eſt menſurabile tempore. Quies ergo per accidens, id eſt, per alterũ menſu-

ratur tempore. Idem dico de quieſcente. Non enim oportet, omne, quod eſt in tempore, quod eſt menſurari tempore, moueri. Tempus enim non eſt motus, ſed numerus motus. In hoc autem numero poteſt eſſe mobile, quod non moueatur: Sit tamen aptum natum moueri: Et vt ſic menſuratur tempore, quia eſt aptum natum moueri, in hoc vel in illo tempore.

61. Res, quæ non ſunt motus, non menſurantur tempore, niſi in quantum motui ſubduntur.

Non enim menſurantur ſecundum eſſe ſuum vel ſubſtantiam, niſi in quantum ſucceſſio ei coniungitur. Quia tempus eſt numerus & menſura motus per ſe. Ratione igitur motus menſurat alia.

62. Res eſſe in tempore eſt ipſas menſurari tempore.

Non enim eſſe in tempore eſt idem, quod eſſe ſimul cum tempore: Quia eadem ratione eſſe in aliquo, eſſet idem, quod eſſe ſimul cum eo. Hoc autem modo cœlum eſſet in grano milij: Quia eſt ſimul cum eo: Nec res poteſt dici eſſe in tempore, ſicut accidens vel paſſio eſt in ſubiecto, vel pars in toto. Hoc enim modo prius & poſterius, & inſtans ſunt in tempore. Dicendum ergo, res eſſe in tempore, tanquam in menſura, quia menſurantur tempore, ſicut decem homines in numero denario, tanquam ab ipſo numerati.

63 Omnia, quæ ſunt in tempore, concluduntur ſub tempore.

Cùm enim ſint in eo, tanquam in numero &

menſura; & nihil ſit in numero, quod non includatur ſub eo, hoc modo, quòd ſemper maior numerus poſſit accipi: Neceſſe eſt omnia, quæ ſunt in tempore, ſub tempore concludi, ita quòd ſemper maius tempus, quàm eorum ſit duratio, accipiatur.

64 Omnia, quæ ſunt in tempore, ſub eo patiuntur & tabeſcunt.

Tempus enim edax rerum. Nam longitudine temporis res deficiunt, ſeneſcunt, ac corrumpuntur. Tempus verò dicitur cauſſa horum defectuum, quando non apparet manifeſta cauſſa illorum. Et hoc competit ei, quia numerus motus eſt, cuius ratio, efficere, vt à ſua prima diſpoſitione diſtet mobile: Unde hoc modo defectus, vel corruptio quædam cauſſatur. Et quamuis aliquando motus ad perfectionem ducat: hoc tamen non eſt de ratione eius, in quantum eſt motus, ſed in quantum eſt finitus. Unde omnia, quæ ſunt in tempore, dicuntur aliquo modo deficere ſub eo, quamuis hoc in diuerſis diuerſimodè inueniatur.

65 Ea, quæ ſunt ſemper, non ſunt in tempore.

Cùm enim duratio eorum ſit infinita: Non poteſt concludi ſub tempore; Et idcirco in tempore non futura. Quia omnia, quæ ſunt in tempore, concluduntur ſub tempore, vti dictum eſt.

66. Corpora cœleſtia, quantum ad ſubſtantiam, nullo modo ſunt in tempore, niſi per motum localem.

Non enim augmentantur, vel corrumpuntur, vel alterantur propriè. Subſtantia enim eorum eſt ſemper, cuius ſignum eſt, quòd longo tempore non contabuerint. Non igitur in tempore ſunt, niſi in quantum localiter mouentur.

67 Subſtantiæ ſeparatæ non ſunt in tempore.

Non enim menſurantur tempore, cùm non moueantur propriè, nec quieſcant, & cùm ſint ſemper. Quæ autem ſunt in tempore, menſurantur tempore: In tempore igitur eſſe nequeunt.

68 Neceſſaria non ſunt in tempore, nec impoſsibilia.

Neceſſaria enim ſemper ſunt, & non poſſunt claudi ſub tempore. Impoſſibilia autem nunquam ſunt: Vnde à nullo tempore clauduntur: Quia eorum non eſſe non clauditur tempore. Neutra eorum ergo in tempore ſunt.

69. Ea, quæ non ſunt impoſsibilia eſſe, ſunt in tempore.

Sunt enim in tempore: Quia menſurantur tempore, eò quòd eorum generatio claudatur ſub tempore. Non eſſe enim eorum vſque ad eorum eſſe menſuratur tempore.

70 Omnis mutatio eſt in tempore.

Quia omnis mutatio menſuratur tempore. Tardum enim & velox menſurantur tempore, & ſimiliter eſſe, in quo inuenitur prius & poſterius ſecundum ſucceſſionem. Omnis autem mutatio eſt velox vel tarda, & in ea inuenitur prius & po-

ſterius ſecundum ſucceſſionem partium. Igitur eſt in tempore. Et ſimiliter omne, quod mutatur vel quieſcit, in tempore id patitur.

71 Tempus vbique eſt.

Cùm enim tempus non ſolùm menſuret motum, ſed etiam quietem, & omnia corpora mobilia, in quantum mobilia: Tempus in omnibus corporibus tanquā menſuram in menſuratis eſſe, patet.

Et hæc de motu & conſequentibus motum ſufficiant.

DE SPECIEBVS, PARTIBVS ET DIVISIONE motus.

LIBER QVARTVS.

Summa & diſpoſitio libri IIII.

TRactationem de motu in genere ſequitur de ſpeciebus & partibus motus in hoc libro tractatus: In quo agitur de diuiſione motus in ſuas partes. Quoad partes ſubiectiuas vſque ad concluſionem 34. & quoad partes quantitatiuas in reliquis. Quoad diuiſionem motus in partes ſubiectiuas, primò de ipſa diuiſione motus vſque ad con-

concluſionem 28. tractat. Secundò de vnitate & contrarietate motus in reliquis. Circa diuiſionem igitur primò diſtinguit motum per ſe, à motu per accidens, diſtinguens tranſmutans, tranſmutabile, & terminum tranſmutationis in concluſione 1: Comparando mobile ad terminos, in 2: Et terminos inter ſe, in 3: Demum excludendo motum per accidens à ſcientia, in 4. Secundò diſtinguit mutationem generaliter in tres ſpecies, in 5: Et diſtinctis duabus illarum in 6. declarat ſingulas in 7. 8. 9. Tertiò volens diſtinguere motum propriè dictum, qui eſt tertia ſpecies mutationis, præmittit, in quibus prædicamentis non ſit, in 10. 11. 12. ſecundum tria prædicamenta, quæ excluduntur a motu: Et in quibus ſit, in 13. 14. 15. ſecundum alia tria, & ordinem eorum. Et demum in 16. motum in certas ſpecies diſtribuit. Et quia oppoſitorum eadem diſciplina, diſtinguit conſequenter immobile, in 17. Circa vnitatem verò & contrarietatem motus, quæ ipſius quædam diuerſitas eſt, primò declarat ipſam vnitatem, in 18. Secundò contrarietatem motuum propriè dictorum, in 19. & mutationum in 20. 21. Tertiò oſtendit contrarietatem motus & quietis, generaliter quidem in 22. 23. In ſpecie autem quoad motum propriè dictum, in 24: quoad mutationem, in 25: quo-

ad quietem violentam, in 26: Subiungens, quomodo fiat, in 27: Demum comparat contrarietates dictas, in 28. Quartò declarat contrarietatem quietum inter ſe, in genere in 29. in ſpecie in 30. Quintò, quoſdam terminos, qui deſeruiunt tàm ad prædicta, quàm ad ſequentia, ſc. quid ſit tangere, in 31: quid conſequenter ſe habere, in 32. Et quid continuum, in 33. Quoad diuiſionem autem motus in partes quantitatiuas, primò agit de ipſa diuiſione motus. Secundò de finitate & infinitate eius. Tertiò de ordine partium eiuſdem: Et vltimò de comparatione motuum. Circa diuiſionem primò præmittit, motum eſſe diuiſibilem ex eo, quod non componitur ex indiuiſibilibus, id quod oſtendit, ex ratione continui in 34. ex ratione ipſius, in 35. & ex ratione temporis, in 36. Secundò præmittit quaſdã regulas circa æqualiter & inæqualiter velocia, in 37. 38. 39. 40. Tertiò docet, motum & quietem non fieri in inſtanti, in 41. 42. Quartò ponit diuiſionem mobilis in 43. ex qua deducit, indiuiſibile non moueri per ſe, in 44. Demum agit de ipſa diuiſione motus, oſtendens, quomodo diuidatur, in 45: quomodo diuidatur tempus menſurans ipſum, in 46. Et omnia, quæ ſimul concurrunt ad motum, in 47. Circa finitatem & infinitatem, quæ ſequuntur rationem cõtinui, ſicut diuiſibilitas. Primò, qua ratione motui

motui, tempori, & mobili competant, in 48. Secundò, an detur motus infinitus, in 49. Circa ordinem partium motus, qui ſequitur diuiſionem eius, primò præmittit duo neceſſaria ad intentum, ſc. in quo termino ſit, quod eſt mutatum, in 50 & quale ſit tempus menſurans mutatum eſſe, in 51. Secundò, vtrum in motu detur primum, necne, in 25. oſtendit. Tertiò, ordinem eorum, quæ ſunt in motu, in 53. 54. 55. declarat: Quartò, idem de quiete in 56. demonſtrans. In 57. quomodo moueatur, ne aliquid acquieſcat, cognoſcendum docens. Circa comparationem demum motuum, primò oſtendit, qui motus comparari poſsint, in 58. Secundò, quomodo comparentur, vltima concluſione monſtrat.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Tranſmutans dicitur tripliciter.

Quædam enim per ſe tranſmutant, vt cùm ædificator ædificat: Quædam per accidens, vt cùm album ædificat: Quædam ſecundum partem, vt cùm aliquis percutit pugno. Et eadem poteſt fieri diuiſio de tranſmutabili, atq; de tranſmutationis termino.

2. Mobile per ſe eſt diuerſum ab vtroque termino.

Nam mobile mouetur; Termini autem non mouentur: Eſt igitur alterum ab illis. Dico

autem per ſe: Quia poſito, quòd frigidum moueatur ad calidum, & frigidū ſit terminus à quo: eſt tamen per accidens, & non per ſe.

3. Mutatio magis denominatur à termino ad quem, quàm à termino, à quo.

Terminus enim à quo per motum aufertur: Vnde motus videtur ei repugnare. Et cùm tendat ad terminum ad quem: conuenientiam videtur habere cum eo. Ab eo igitur magis denominatur.

4. De mutatione per accidens non eſt ſcientia.

In infinitum enim poteſt variari: Quia infinita vni poſſunt accidere. De infinitis autem non eſt ars, neq; ſcientia. Igitur de mutatione per accidens ſcientia eſſe nequit.

5. Mutationis tres ſunt ſpecies.

Mutatio enim aut eſt ex ſubiecto affirmato in ſubiectum affirmatum, aut ex ſubiecto in non ſubiectum, aut ex non ſubiecto in ſubiectum. Nulla autem eſt, quæ ſit ex non ſubiecto in non ſubiectū: Quia omnis mutatio eſt inter oppoſita. Non ſubiectum autem, & non ſubiectum non ſunt oppoſita. Tres igitur tantùm motus ſpecies ſunt.

6. Mutatio, quæ eſt ex non ſubiecto in ſubiectum, vel ex ſubiecto in non ſubiectum, dicitur dupliciter.

Hæc enim mutatio eſt generatio vel corruptio, quæ dicuntur ſimpliciter & ſecundum quid. Simpliciter autem dicitur illa generatio, quæ eſt in ſubſtantiis, in qua quidem ſubiectum eſt in potentia

tia

tia tantùm, Secundum quid autem generatio dicitur, quæ eſt in accidentibus, in qua ſubiectum eſt ens in actu. Idem & dicendum de corruptione.

6. Generatio non eſt motus.

Si enim generatio eſſet motus: quod generatur, moueretur. Sed quod generatur non eſt: Nam eſt ens in potentia, & non actu, nec ſimpliciter ens, Quomodo ergo mouebitur? Non igitur generatio motus eſt.

8. Corruptio non eſt motus.

Omni enim motui contrarium eſt vel quies, vel motus. Generatio autem eſt contraria corruptioni, & non eſt quies, nec etiam motus, vti probatum: Ergo nec corruptio eſt motus.

9. Mutatio de ſubiecto in ſubiectum eſt motus.

Motus enim eſt mutationis ſpecies. Et cùm non ſit in ſubiectis negatis, veluti oſtenſum: Nam neq; generatio, nec corruptio ſunt motus: Ergo in affirmatis, ſcilicet de ſubiecto in ſubiectum, futurus.

10. Motus non eſt in ſubſtantia.

Motus enim eſt de contrario in contrarium. Contrarietas autem non eſt in ſubſtantia. Contraria enim propriè ſunt ea, quæ ſub eodem genere maximè diſtantia ſunt, ita vt intra illa concludantur omnia alia, quæ in illo genere continentur, & ab vno extremo non fiat tranſitus ad alterum, niſi per aliqua, quæ ſunt in medio cum quadam continuatione, id eſt, cum intenſione & remiſſione formæ, vt eſt album & nigrum, inter

inter quæ omnes alij colores includuntur. In ſubſtantijs verò non reperitur id: omnium autem maximè per media tranſitus, præſertim cum illa continuatione, vnde in eis propriè non eſt contrarietas, niſi ſecundum communem radicem contrarietatis, quæ eſt excellentia & defectus. Per conſequens ergo nec motus in eis futurus.

11. Motus non eſt in relatione.

Nullus enim motus terminatur ad relationem per ſe: Quia relatio aduenit rei, nulla omnino in re mutatione facta. In quocunque autem genere per ſe motus eſt: nihil de eo genere aduenire alicui, niſi per motum, poteſt. Sed aliquis fit ſimilis alteri & æqualis, quando non mutatur, ſolùm in illo altero mutatione facta. In ea igitur motus eſſe nequit. Vnde nec etiam eſt motus in ſitu, nec in habere propriè loquendo. Nam omnia quendam dicunt ordinem, qui eſt relatio.

12. Motus non eſt in actione & paſsione.

Cùm enim actio & paſſio conueniant in vna ſubſtantia motus, ſi motus per ſe eſſet ad actionem & paſſionem: Sequeretur, quòd motus eſſet ad motum, & terminus motus per ſe eſſet motus, quod eſt inconueniens, quia ſic procederetur in infinitum. Non ergo in his motus eſt. Ex quo etiam ſequitur, motum non eſſe in Quando, quoniam tempus realiter à motu non differt.

13. Motus eſt per ſe in qualitate.

Hîc enim manifeſtiſſimè eſt contrarietas pro-

priè dicta, & maximè in tertia ſpecie qualitatis, de qua quidem locuti ſumus in 10. *concluſione. Nihil ergo motum propriè in qualitate eſſe prohibet: Quia eſt de contrario in contrarium, & de affirmato in affirmatum.*

14. Motus eſt per ſe in quantitate.

Nam motus per ſe etiam terminatur ad quantitatem. Quia etſi contrarietas non inueniatur ita propriè in quantitate, ſicut in qualitate: Tamen quantitas aliquam habet contrarietatem, inter quam eſt motus. In ea enim non eſt maxima diſtantia ſecundum communem rationem quantitatis: Quia ſic in infinitum augeri & minui poſſet. Sed in determinatis ſpeciebus rerum naturalium quantitas determinatur: Quia, verbi gratia, datur aliqua minima quantitas, citra quã non poteſt ſubſiſtere natura humana, & aliqua maxima, ſupra quam non poteſt inueniri: Sub omnibus autem medijs inueniri poteſt. Et ſecundum hoc attenditur in quantitate contrarietas: Et per conſequens, inibi poteſt eſſe motus.

15. Motus per ſe eſt in vbi.

Nam in Vbi eſt etiam contrarietas, licet non ita propriè, ſicut in qualitate. Vnde maxima diſtantia non attenditur hîc ſecundum communem rationem loci, ſed per comparationem ad motum rerum naturalium, ita quòd illi ſunt termini maximè diſtantes, à quorum vnum mobile incipit moueri, & ad alterum terminatur, ſiue motus natu-

naturalis ſit, ſiue violentus. In iſto enim motu non inueniuntur termini magis diſtantes: Motus ergo in Vbi eſt.

16 Motus ſunt tantùm tres ſpecies.

Motus enim reducitur ad prædicamentum ſui termini, à quo denominationem habet & ſpeciem. Sed motus eſt tantùm in tribus prædicamentis, vt probatum eſt: Ergo tres ſunt tantùm ſpecies, ſeu denominationes motus, videlicet in qualitate, qui dicitur alteratio, quæ etiam ſub ſe habet ſpecies, vt calefactio, albatio, &c: Et in quantitate, qui dicitur augmentatio vel diminutio. Et in Vbi, qui dicitur motus localis, qui eſt vel circularis vel rectus.

17. Immobile dicitur multipliciter.

Primò dicitur immobile, quod nullo modo eſt aptum natum moueri, vt Deus. Secundò, quod incepit moueri, ſed cum difficultate mouetur & tardè, vt claudus. Tertiò, quod cum difficultate incipit moueri, vt lapis magnus: Quartò, quod poteſt moueri & non mouetur, quando eſt aptum natum moueri ſecundum eam partem, ſecundum quam eſt aptum natum moueri, & eo modo, quo eſt aptum natum moueri. Et hoc modo dicitur immobile priuatiuè, diciturq; quieſcere: Et per hunc modum quies contrariatur motui.

18. Motus dicitur vnus tripliciter.

Primò dicitur vnus genere, & illi motus ſunt vnus genere, qui in eodẽ ſunt prædicamento.

Se-

Secundò ſpecie, & ſunt illi motus, qui ſunt eiuſdem ſpeciei. Tertiò numero, ad quam vnitatem requiritur vnitas mobilis, & temporis, & viæ, vel magnitudinis, quoad motum localem, & termini, quoad omnem motum. Nam motum eſſe vnum numero eſt ipſum eſſe continuum: Et ſic, quæ requiruntur ad eius continuitatem, requiruntur ad eius vnitatem naturalem. Continuus autem eſſe non poteſt, niſi illa omnia concurrant: Requiruntur igitur ad eius vnitatem.

19 Contrarietas in motu propriè attenditur ſecundum terminos.

Nam ad hoc, quòd ſint contrarij, propriè requiritur, vt à contrarijs terminis ad contrarios terminos accedant. Motus enim, qui eſt ab albedine, in nigredinem contrariatur illi, qui eſt à nigredine ad albedinem. Propria enim ratio motus eſt, vt ſit mutatio quædam a termino affirmato ad terminum affirmatum. Oportet autem contrarietatem aliquorum accipere ſecundum propriam ſpeciem & rationem eorum. Ergo ſecundum terminos attenditur.

20. Mutationes in rebus, habentibus propriè contrarietatem, contrariæ judicantur ſecundum terminos ad quos.

Mutationes autem voco in his rebus generationem & corruptionem ſecundum quid, id eſt, in accidentibus, vt cùm ex non albo fit album. Tunc enim, cùm albedo introducitur, dicitur mutatio. Nam etſi præcedant diſpo-

ſitio-

ſitiones quædam: Tamen in inſtanti ſit eius introductio, & generatur albus. Ideo autem contrarietas attenditur ſecundum terminos, ad quos, in huiusmodi: Quia termini, ad quos, ſunt affirmatiui, poſſuntq́ eſſe contrarij. Termini autem, à quibus, ſunt negatiui: Vnde ſecundum eos non attenditur contrarietas. Si ergo termini, ad quos, ſunt contrarij: Et mutationes, vt albatio, id eſt, mutatio ad albedinem, & denigratio, id eſt, mutatio ad nigredinem, ſunt contrariæ.

21. Mutationes in ſubſtantijs ſunt contrariæ, quando vna accedit ad vnum terminum, à quo recedit altera.

Generatio enim contraria corruptioni hoc modo. Nam generatio procedit à non eſſe ad eſſe, & corruptio ab eſſe ad non eſſe. Generatio autem & corruptio ſunt ipſæ in ſubſtantijs mutationes. Hoc igitur modo ſibi inuicem aduerſantur.

22. Motui contrariatur quies.

Quies enim eſt priuatio motus, vt dictum eſt. Prima autem radix contrarietatis eſt habitus & priuatio: Igitur quies contrariatur motui.

23. Non omnis motus eſt contrarius omni quieti, & econuerſo.

Quieti enim ſecundum qualitatem non contrariatur motus localis: imò ſimul ſubſiſtunt.

24. Quies in termino à quo eſt contraria motui, qui eſt ab illo termino.

Aut enim eſt contraria quies, quæ eſt in termino ad quem, motui, qui eſt ad illum terminum, aut,

aut, ſicut dicit concluſio, non primum. Nam talis quies eſt, ad quam tendit motus, & eſt perfectio motus, & fit per motum & cum motu. Ergo oportet, quòd illa ſit ei contraria, quæ eſt in termino, à quo motus incipit & mobile recedit.

25. Mutationi contrariatur non mutatio.

Non enim contrariatur ei quies: Quia quies eſt priuatio motus propriè loquendo. Tale ergo contrarium, non mutationem eſſe oportet.

26. Quies violenta eſt contraria motui naturali.

Nam quies in termino à quo, eſt contraria motui ab eodem termino: idemq́, eſt de quiete naturali, & motu violento dicendum: Ergo quies violenta motui naturali contraria eſt.

27. Quies violenta non generatur.

Quia generaretur à motu violento, qui eſt tardior in fine. Sed generatio per motum eſt velocior in fine: Ergo per violentum non generatur quies: Sed fit per defectum virtutis agentis vel aliud impediens.

28. Motui magis contrariatur motus, quàm quies.

Quia quies in termino à quo, quæ contrariatur motui, qui eſt ab eodem termino, habet aliquam ſimilitudinem cum eo: Quoniam illud, quod mouetur, non ſtatim abijcit terminum à quo, ſed aliqualiter dicitur quieſcere in eo in principio motus, antequam peruenerit ad terminũ ad quem,

T licet

ſ et non propriè in eo quieſcat. Sed motus non habet ſimilitudinem aliquam cum ſuo contrario motu. Magis igitur motus motui, quàm quieti, contrariatur.

29 Quies quieti contrariatur.

Cùm enim quies contrarietur motui, & motus motui ſit contrarius: neceſſe eſt etiam quietes contrariari.

30. Quietes illæ ſunt contrariæ, quæ ſunt in contrarijs terminis.

Terminos enim contrarios requirunt priuationes contrariæ. Cùm igitur quietes contrariæ ſint priuationes contrariæ: patet, contrarias quietes in contrarijs eſſe terminis.

31. Illa ſe tangunt, quorum vltima ſunt ſimul.

Dico autem ea eſſe ſimul ſecundum locum, quæ ſunt in eodem loco proprio: non autem, ſi ſint in loco communi. Aliter enim omnia, quæ ſunt in aëre, vel in cœlo, eſſent ſimul. Separata autem illa dicuntur, quæ non ſunt in eodem loco proprio. Itaq; illa, quæ ſe tangunt, habent hoc modo vltima ſimul. Sic enim aliqua ſe tangere conſueuimus dicere.

32. Illa ſe habent conſequenter, quorum vnum eſt poſt alterum, & inter ipſa nullum eſt medium eiuſdem generis.

Medium autem voco id, in quod primò illud, quod mouetur, eſt aptum natum peruenire, quàm in vltimum, vnde inter duo extrema eſt. Di-

Dicimus verò, illa conſequenter ſe habere, inter quæ nullum eſt medium eiusdem generis, etiamſi aliquod medium ſit. Sic domus ad domum conſequenter ſe habere, ſi nulla alia interiaceat, aliudq́; intermedium nullum ſit, dicitur.

33. Continua ſunt, quorũ vnus eſt terminus.

Hic enim terminus eſt, qui continuat partes ad inuicem ita, vt quod principium vnius partis, eſt & finis alterius. Idcirco & continuus motus eſt ille, in quo nulla temporis aut magnitudinis interpolatio.

34. Nullum continuum ex indiuiſibilibus componitur.

Si enim continuum componeretur ex indiuiſibilibus, id vno horum trium modorum futurum: Scilicet vel per contactum indiuiſibilium, vel per continuationem, vel per rationem conſequentiæ. Verùm per primos duos modos nequit. Nam indiuiſibilia non habent vltima, & ſi ſe tangerent, non in vltimis ſe tangere, ſed totum tangere totum, neceſſe foret. At hic contactus non facit continuationem partium, quia partes continuæ diuerſum ſitum requirunt. Nec item per rationem conſequentiæ eſſe poteſt: Quia ſi indiuiſibilia conſequenter ſe haberent, cùm ſe non poſſint tangere, inter ea aliquod foret medium, ſed illud indiuiſibile eſſe nequit. Nam pari ratione de hoc medio, qualiter cum altero indiuiſibili faciat continuum, quæreretur: Ergo diuiſibile futurum. Sed diuiſibile, inter extrema indiuiſibilia poſitũ, ſi

ſacere continuum dicitur, eiuſdem cum extremis generis eſſe neceſſe eſt. Non enim linea continuat inſtantia temporis, nec tempus puncta. Medium ergo inter puncta erit linea: Et inter inſtantia tempus. Et idem de cæteris continuis aſſerendum. Si autem inter indiuiſibilia tale medium ſit: Ex dictis, non ſe habere conſequenter, patet. Ergo nec per rationem conſequentiæ continuum faciunt: Nullo ergo modo ex indiuiſibilibus componitur continuum.

35. Motus non componitur ex indiuiſibilibus.

Etſi enim motus ſit continuus: non tamen partes eius, ſicuti magnitudinis partes permanent. Ideo ſpecialis de eo ratio eſt. Nam oportet, quòd ſi magnitudo nō componitur ex indiuiſibilibus, quòd nec motus componatur: Quia motus diuiditur, ſicut & magnitudo. Sit ergo magnitudo compoſita ex diuiſibilibus a c d, id eſt, ex a & c & d: Et ſit motus compoſitus ex indiuiſibilibus e f g. Cùm igitur prima pars motus reſpondeat primæ parti magnitudinis, & ſecunda ſecundæ, & tertia tertiæ, vt dictum eſt in ſuperiore libro, concluſione 38. e reſpondebit ipſi a, & f ipſi c, & g ipſi d. Si ergo a eſt pars diuiſibilis: diuidatur in duas partes, puta in a & b. Cum igitur e toti reſpondeat a: oportet etiam, quòd reſpondeat cuilibet parti. Ergo oportet primariam partem motus, quæ eſt e, diuidere. Non ergo indiuiſibilis erat, ſed diuiſibilis: Et poteſt etiam diuidi magnitudo in multas partes

tes

tes, quibus omnibus reſpondebit motus, qui eſt e. Et eadem eſt de alijs partibus ratio. Patet ergo, quod ſi magnitudo non eſt ex indiuiſibilibus compoſita, nec motus. Cùm ergo magnitudo non poſſit componi ex illis, vt patet ex præcedenti concluſione: Ergo nec motus.

36. Tempus non componitur ex indiuiſibilibus.

Si enim componeretur ex indiuiſibilibus: Sequeretur, quòd indiuiſibile diuideretur. Moueatur enim mobile a velociùs, quàm mobile b, ſecundum proportionem ſeſquialteram, vtputa a, velocitate vt tria, & b vt duo, & moueantur in eodem tempore. Cùm igitur eadem ſit proportio inter magnitudinem & motum, conſtat, quòd in eodem tempore mouebitur a, ſuper magnitudine maiori, quàm ſit magnitudo, ſuper quam mouetur b, ſecundum proportionem ſeſquialteram dictam. Sit ergo magnitudo ipſius a c d e f diuiſa in tres partes, id eſt, in c d, & in d e, & in e f: Et magnitudo b ſit g h i, diuiſa in duas partes, id eſt, in g h, & in h i. Quia *ergo tempus eſt menſura motus*: Sequitur, *partibus motus correſpondere partes temporis, & partes motus partibus magnitudinis. Sit ergo tempus, in quo duo iſta mobilia mouentur, k l m. Motui ergo a reſpondent tres partes temporis. Sicut ſunt tres partes magnitudinis, & tres partes motus. Si ergo tempus ex indiuiſibilibus cõponitur: Sint iſtæ tres partes k l m indiuiſibiles, quæ*

correſpondent tribus partibus motus a. Sed cùm partes motus b ſint duæ: Eis correſpondebunt totius iſtius temporis partes duæ, id eſt, duæ partes æquales. Quia ſicut diuiditur magnitudo: ita & motus, & tempus, vt mox probabitur. Sed hæc diuiſio non poteſt fieri, niſi indiuiſibile diuidatur, vtputa ipſum l, quod erit media pars indiuiſibilis temporis. Ergo indiuiſibile diuiditur, quod erat probandum. Sed hoc eſt impoſſibile: Ergo tempus non componitur ex indiuiſibilibus. Ex his omnibus ſequitur, quòd tàm motus, quàm tempus, & vniuerſaliter omne continuũ ſunt diuiſibilia: Quod intenditur in prædictis concluſionibus.

37 Æquè velox minorem magnitudinem in minori & maiorem in maiori, & æqualem in æquali tempore pertranſit.

Cùm enim regulariter moueatur, verificari concluſionem oportet, vti id etiam experientia docet.

38. Velocius in æquali tempore mouetur in maiori ſpatio, quàm tardius.

Velocius enim dicitur illud mobile, quod plùs mouetur, quàm tardius. Quantò autem aliquid plùs mouetur, tantò magis accipit de ſpatio: Igitur velocius in æquali tempore in maiori ſpatio mouetur, quàm tardius.

39 Velocius in minori tempore maiorem magnitudinem poteſt pertranſire, quàm tardius.

Sit enim a mobile velocius, & b tardius, & mo-

moueantur ſuper magnitudinem d, in eodem tempore, puta in hora b. Ergo non perueniet vſque ad finem magnitudinis in hora, licet hunc a intra horam perficiat, quoniam b tardiùs mouetur: Unde requirit maius tempus. Ergo perueniet ad aliquem inferiorem punctum. Sit igitur illud e. Cum ergo magnitudo non componatur ex indiuiſibilibus, inter e & d futura linea, vel magnitudo media. Diuidatur ergo in puncto f. Si igitur a in hora peruenit vſque ad d, minùs quàm in hora perueniet vſque ad f. Sed b in hora peruenit vſque ad e. f autem maior magnitudo eſt, quam ſit e. Ergo velocius in minori tempore maiorem magnitudinem pertranſiuit.

40. Velocius æquale ſpatium in minori tempore, quàm tardius pertranſit.

Si enim pertranſijt maius ſpatium in minori tempore, quam tardius: Multò magis credibile eſt, æquale in minori tempore, quàm tardius pertranſiſſe.

41. Motus non eſt in inſtanti.

Inſtans voco, quod ſecundum ſeipſum eſt totum præſens, quod oportet eſſe indiuiſibile. Si enim eſſet diuiſibile: vna pars eſſet præterita, & altera futura: Et ſic non eſſet ſecundum ſeipſum præſens. Unde neceſſariò ſequeretur, quòd ſit terminus præteriti, & principium futuri: Aliter tempus non foret continuum. Si igitur motus eſſet in inſtanti: cum quolibet motu, quantumcunque veloci, dari poſſit, vel ſaltem cogitari velocior: Et

velocius pertranſeat eandem magnitudinem in minori tempore, quàm tardius, vt dictum eſt: Inſtans diuiſibile eſſe ſequitur: Poſito vno, quòd in inſtanti aliquid moueatur velociùs, quàm alterum, in eodem inſtanti motum. Præterea ſi in illo inſtanti tardiùs mouetur, vel pertranſit aliquam magnitudinem, partem illius magnitudinis tardius longè minus, quàm ſit inſtans, pertranſibit. Non ergo eſt motus in inſtanti.

42. Quies non eſt in inſtanti.

Quies enim eſt priuatio motus in ſubiecto apto nato moueri. Sed nihil eſt aptum natum moueri in inſtanti: Ergo quies non eſt in inſtanti: Præterea idem eſt quieſcere, quod ſimiliter ſe habere nunc, ſicut prius: Quod non poteſt eſſe, niſi in diuerſis inſtantibus, vt patet. Ergo quies non eſt in inſtanti. Præterea cùm id, quod mouetur in aliquo toto corpore, in quolibet illius temporis, moueatur, in quo natum eſt moueri: Et ſimiliter quod quieſcit in aliquo toto tempore, in quolibet illius temporis quieſcat, in quo natum eſt quieſcere. Si aliquid moueretur, vel quieſceret in inſtanti: Simul moueretur & quieſceret. Eſt enim idem inſtans, terminus temporis, in quo mouetur, & temporis, in quo quieſcit. Nec ergo motus, nec quies datur in inſtanti: Sed omne, quod mouetur, & omne, quod quieſcit, neceſſe eſt, in tempore moueri & quieſcere.

43. Omne, quod mouetur, eſt diuiſibile.

Non eſt enim poſſibile, vt illud, quod mouetur

tu, dum mouetur, ſit in termino à quo totum, nec totum in termino ad quem. Sic enim non moueretur: Sed vel inciperet moueri, vel motum eſſet. Nec etiam ſimul in vtroque: Quia idem eſſet ſimul in duobus locis. Nec in neutro: Quia loquimur de termino extremo, in quem ſtatim intrat, cùm incipit moueri. Ergo eſt partim in termino à quo, & partim in termino ad quem. Habet ergo partes: Et hoc in motu locali augmenti, & decrementi, qui quoque de motu locali participant, manifeſtum. In motu autem alterationis non ita apparet, quia aliquid ſimul totum alteratur: Sed hoc etiam verificatur in hoc motu, quia partes propinquiores agenti ſunt intenſiùs alteratæ, quàm remotiores. Vnde remotiores ſunt in termino aliquo, reſpectu propinquarum, quæ ſunt in termino ad quem, iam habentes perfectam alterationem, vel qualitatem perfectè intenſam, quam expectant partes remotiores. Et ſimiliter ſaluatur hoc in generatione & corruptione, ſi ipſis præuia alteratio adiungatur. In generatione enim mobile eſt in termino à quo, id eſt, in non eſſe, & partim in termino ad quem, propter diſpoſitionem, quam habet ad illum terminum, & in corruptione econuerſo ſe habet. Vnde ſaluatur hæc concluſio in iſtis motibus aliqualiter, licet non ita propriè, ſicut in motu locali. Quod autem habet partes, idiuiſibile eſt. Igitur omne, quod mouetur, diuiſibile eſt.

44. Indiuiſibile ſecundum quantitatem per ſe moueri impoſsibile T 5 *Dico*

Dico autem per ſe, quia per accidens poteſt moueri punctus ad motum magnitudinis: Sed per ſe moueri non poteſt. Si enim mouetur, in aliquo tempore mouetur: Ergo in illo tempore eſſet partim in termino, à quo, & partim in termino, ad quem. Non enim poteſt eſſe totum in aliquo iſtorum terminorum, vt dictum eſt. Ergo indiuiſibile diuiditur. Præterea oportet, quòd ſi mouetur, vt in vno inſtanti ſit totum in termino à quo, & in alio in termino ad quem: In tempore ergo medio erit partim in vno, & partim in altero, & ſic erit diuiſibile. Præterea tranſiret prius locum minorem ſeipſo vel æqualem ſibi, quàm maiorem: Ergo erit aliquid minus indiuiſibili, aut numerabuntur puncta lineæ ab indiuiſibili moto, & ſic componeretur linea ex punctis. Præterea cùm omne, quod mouetur, moueatur in tempore, & omne tempus ſit diuiſibile: in quolibet tempore, in quo aliquid mouetur, eſt accipere minus tempus, in quo moueatur aliquid minus mobile, ſicut in minori tempore mouetur pars, quàm totum. Si ergo indiuiſibile mouetur, erit accipere minus tempus, in quo aliquid minus ipſo mouebitur: Ergo aliquid eſt minus indiuiſibili. Patet ergo, indiuiſibile non poſſe moueri.

45. Motus ſecundum diuiſionem magnitudinis & temporis diuiditur.

Diuiditur enim primò ſecundum diuiſionem magnitudinis motæ, id eſt, ſecundum mobile per accidens, ſicut qualitates. Albedo enim exten-

ſa

ſa in magnitudine diuiditur ad diuiſionem magnitudinis, & ſimiliter mobile, quia eſt diuiſibile, & habet partes. Cum ſimul moueatur totum & partes: Patet, quòd cuilibet parti correſpondet motus, ſicut & mobile. Diuiditur etiam ſecundum magnitudinem, per quam fit motus: Quia totus motus eſt in tota magnitudine, & in media medius, & in tertia parte tertia pars motus: Et ſic de alijs, vt ſuperiùs dictum. Et quia omnis motus eſt in tempore, vti pariter antea aſſertum, & in maiori tempore maior motus, & in minori minor: Sequitur, quòd etiam ſecundum tempus motus diuidatur.

46. Similiter ſe diuidunt tempus & magnitudo.

Ponatur a mobile velocius, & b tardius, & magnitudo, quam a pertranſit in hora, ſit c d. Certum eſt ergo, quòd b in eadem hora non perueniet ad d, ſed infra d, vtputa ad e. Quia *ergo in minori tempore velocius æqualem magnitudinem pertranſijt, quàm tardius a, perueniet ad e in minori tempore, quàm ſit hora, in quo quidem tempore b non peruenit ad e, ſed infra e, ad f puta, quia tardius mouetur. Ad f autem perueniet a, adhuc in minori tempore, quàm ſit tempus, in quo peruenit b ad f, in quo quidem tempore non perueniet b ad f, ſed ad aliud infra f, ad g exiſtima, ad quod perueniet a, adhuc in minori tempore. Conſtat*

Conſtat ergo, hoc modo; tempus magnitudinem, & magnitudinem tempus, per mobile velocius & tardius diuidere.

47. Motus, & tempus, & magnitudo, & moueri, & illud, in quo eſt motus, diuidunt ſe inuicem.

In maiori enim tempore eſt maior motus, & maior pertranſitur magnitudo, & maius moueri, & plus acquiritur de termino ad quem, & in minori minus: Et in maiori motu eſt plus de tempore, de magnitudine, de moueri, & de termino, & in minori minus: Et ita de alijs dici poteſt. Igitur iſthæc omnia ſe inuicem diuidunt.

48. Si magnitudo, per quam fit motus, eſt finita: & motus eſt finitus. Sic tempus eſt finitum, & mobile finitum: & econuerſo. Si autem ſit infinita: Et tempus, & motus ſunt infinita, & econuerſo in motu recto.

Sit ergo magnitudo pertranſeunda finita, vtputa decupedalis, & tempus infinitum, & deſignetur in magnitudine vnum pedale. Hoc pedale igitur non pertranſitur tempore infinito, ſed finito: Quia totum decupedale pertranſitur tempore infinito, & in minori tempore pertranſitur pars, quàm totum. Eadem autem ratione & aliud pedale pertranſibitur tempore finito, & ſic aliud pedale vſque ad decimum. Decem ergo erunt partes temporis finitæ, ſicut ſunt decem pedalia. Sed partes finitæ numero & magnitudine nō poſſunt conſtituere infinitum: Ergo tempus, in quo totum per-

pertranſitur, non erat infinitum. Eſt enim hoc tempus, quod componitur ex his decem partibus: Non eſt enim rationabile aſſignare aliud. Par, ſi ponatur magnitudo infinita vel motus, vel mobile, futura ratio. Per ablationem enim partium finiti, & per comparationem ad partes infiniti, ſemper in vnoquoque horum oſtendentur. Vera igitur concluſio.

49. Nullus motus vnus & idem numero exiſtens eſt infinitus.

Generatio enim & corruptio, & ſimiliter alteratio, & augmentum & decrementum habent determinatos terminos in natura, & ideo non procedunt in infinitum: Sed difficultas eſt in motu locali. Si autem motus localis, vnus numero exiſtens, eſſet infinitus: nunquam mobile peruenire ad terminum ſuum poſſet, cùm infinitum nequeat pertranſiri. Nihil autem mouetur, ad quod impoſſibile eſt ipſum peruenire: Ergo nec motus localis eſt infinitus. Poteſt tamen eſſe infinitus tempore, ſc. per reiterationem, non omnis quidem, ſed tantùm motus circularis, vt poſt dicetur.

50. Omne, quod mutatur, poſtquam mutatum eſt, eſt in termino ad quem.

Mutari enim eſt deficere à termino à quo: Et mutatum eſſe eſt ab eodem termino defeciſſe. Quando igitur iam mutatum eſt, ſi non in termino ad quem, cùm etiam non ſit à termino à quo, futurum in medio. Cùm autem eſt in medio, adhuc tendit ad terminum ad quem: Sequeretur er-

go

go, ſi eſt in medio, quando iam mutatum eſt, quòd ſimul ſit iam mutatum, & mutaretur, quod eſt impoſſibile. Tunc igitur in termino, ad quem, eſt.

51. Tempus, in quo primò & per ſe eſt mutatum eſſe, eſt indiuiſibile.

Dico autem primò & per ſe. Quia loquor de tempore, id eſt, de eo, quod eſt aliquid temporis, in quo eſt mutatum aliquid primò & non propter partem eius. Nam aliquid eſt mutatum in die: Quia eſt mutatum in aliqua parte diei. Sed non eſt mutatum primò, & propter ſe in die, ſed per partem. Si igitur hoc tempus ſit diuiſibile, diuidatur in duas partes. Aut ergo in vtraque parte mutatur, aut in vtraq; parte mutatum eſt: aut in vna mutatur, & in altera mutatum eſt. Sed quocunq; modo dicatur, ſequitur, quòd nõ ſit mutatum in toto primò. Nam ſi in vtraq; mutatur: Ergo in toto non eſt mutatum. Si autem in vtraq; mutatum eſt: Ergo antè in prima, quàm in ſecunda. Et ſic per artes mutatum eſt, & non in toto primò. Si verò in vna mutatur, & in altera mutatum eſt: Ergo non primò in toto mutatum eſt. Si verò, in neutra mutatum eſſe, nec in aliqua earum mutari, dicas: Nullum eius tempus futurum. Tempus igitur, in quo eſt mutatum eſſe, primò eſt indiuiſibile.

52. Nequit dari primum mutatum eſſe, nec primum inſtans, in quo aliquid ſit mutatum primò, ita vt non priùs fuerit mutatum.

Nam mutatum eſſe eſt terminus motus.

Sicut

Sicut enim inſtans terminat tempus præcedens & conſequens, ſi tempus ſequitur: Ita & mutatum eſſe terminat motum præcedentem & ſequentem, ſi ſequitur alius motus: Aliter finis vltimus futurus. Quando autem mobile eſt in termino à quo, non poteſt dici mutatum eſſe. Sit ergo in inſtanti a id, quod mouetur in termino à quo, & certè in aliquo alio inſtanti mutatum eſſe oportet. Sit ergo illud b. Inter a autem & b datur tempus medium, vt ex ſuperioribus patet. Si igitur in tempore iſto medio non mouetur vſque ad b, nec poteſt dici, quòd in b inſtanti moueatur: Quia probatum eſt, motum non eſſe in inſtanti, nec quòd in eo ſit mutatum, quia mutatum eſſe eſt terminus motus, & nullus præceſſit motus: Sed hoc contra poſitum eſt. Nam dictum, quòd in b ſit mutatum: Igitur in tempore medio mouebatur. Sed in quolibet motu ſunt infinita mutata eſſe, eò quòd continuum non componitur ex indiuiſibilibus, & ſemper eſt diuiſibile. Ergo ante mutatum eſſe, quod fuit in inſtanti b, præceſſerunt infinita mutata eſſe. Non ergo fuit primum mutatum eſſe, nec b primum inſtans, in quo fuit mutatum eſſe. Et eadem ratio eſt, ſi quodlibet aliud inſtans, & quodlibet aliud mutatum eſſe accipiatur.

53. Omne, quod mutatum eſt, priùs mouebatur.

Hæc concluſio ex ſuperiori patet. Nam ſemper inter quodlibet mutatū eſſe, & terminū à quo

datur motus in medio, ſicut inter inſtans, in quo mobile erat in termino à quo, & inſtans quodcunq;, in quo mutatũ eſt, datur temporis medium, in quo, quod moueatur, verè dicitur. Vnde in quocunque inſtanti verè dicitur, quòd aliquod mutatum ſit, verè quoque priùs motum eſſe, aſtruitur.

54. Omne, quod mouetur, priùs mutatum eſt.

De motu enim non datur niſi vnum indiuiſibile: Sicut etiam de tempore non eſt niſi inſtans. Et hoc ita ſe habet in omnibus ſucceſſiuis. Quando *igitur eſt aliquid in termino à quo, non verè dicitur, quòd tunc moueatur: Sed quòd incipiat moueri. Ergo verè dicetur, in quolibet inſtanti poſt primũ, in quo incipit hoc moueri. Sed inter quodlibet inſtans acceptum eſt poſt primum, & ipſum primum datur tempus medium, in quo mouetur, & motum eſt, vt ex præcedentibus palàm eſt: Quia non datur primum mutatum eſſe. Ergo in nullo inſtanti rectè aſſeuerabitur, quòd aliquid moueatur, quin etiam, quòd priùs mutatum ſit, dicatur. Non eò tamen dico, quaſi in inſtanti aliquid moueretur: Sed quòd in inſtanti, quod in medio motus eſt, hæc verificetur propoſitio: Hoc mobile mouetur. Si enim in nullo inſtanti verificaretur, nunquam eſſet vera.*

55. Omne, quod mouetur, mouebatur.

Omne enim, quod mutatum eſt, mouebatur-

tur. Sed omne, quod mouetur, mutatum eſt, vt ex dictis patet: Ergo omne, quod mouetur, prius mouebatur. Sicut ergo non datur primum mutatum eſſe: ita nec propter diuiſionem motus in infinitum, prima pars motus.

56. Nequit dari prima pars quietis.

Quies enim eſt in tempore. Et omne tempus in infinitum diuiditur, ſiue ſit præteritum, ſiue ſit futurum: Ergo non dabitur prima pars eius, & conſequenter nec prima pars quietis: Quemadmodum etiam nec prima pars motus datur.

57. Illud, quod mouetur, dum mouetur in nullo inſtanti, in eadem eſt diſpoſitione, ſicut prius ſe habebat.

Sic enim quieſceret. Quieſcere enim eſt ſic ſe habere nunc, ſicut prius. In quolibet ergo inſtanti eſt in aliqua diſpoſitione, ſed non poteſt eſſe in eadem diſpoſitione in duobus inſtantibus, quia aliter motus non eſſet continuus. Quieſceret enim, vt dictum eſt. Igitur in nullo ſe habet, ſicut prius.

58. Motus poſſunt ad inuicem comparari, ſi ſunt eiuſdem ſpeciei.

Comparatio enim propriè requirit ſpeciem ſpecialiſſimam, quæ vnam æqualem in re ponit formam, quemadmodum de ſpecie humana patet. Omnes enim animæ intellectiuæ ſunt eiuſdem naturæ, & æqualis perfectionis naturalis. Genus verò non vnam formam, ſi accipiatur phyſicè, ponit:

nit: Quia genus phyſicè non à forma aliqua, quæ ſit vna in rerum natura, ſumitur, niſi ſecundum rationem logicam vel mathematicam. Animal enim non vnam formam in re, ſed multas differentes, ſecundum diuerſas perfectiones naturales, dicit. Vnde ſecundum phyſicum habet æquiuocationem quandam coniunctam. Nam non omnibus æqualiter, ſecundum materiam & formam, conuenit. Et quia multa æquiuoca hoc modo aſſimilantur generi, quia ſcilicet vnum videntur ponere, vnde licet reuera multa dicantur, propter hanc tamen aſſimilationem multæ æquiuocationes latent. Corpus enim videtur eſſe genus, & eſt æquiuocum phyſicè: Ideo ſecundum genus non fiunt comparationes, ſed ſecundum ſpeciem, & ſic motus, ſi ſunt eiuſdem ſpeciei, bene comparari poſſunt.

59. Si aliqua potentia mouet aliquod mobile per aliquod ſpatium in aliquo tempore, medietatem mobilis mouebit in eodem tempore, in duplo ſpatio.

Velocitas enim motus eſt ex victoria potentiæ mouentis ſupra mobile. Oportet ergo, quòd augeatur motus vel minuatur, vel æquetur ſecundum diuerſitatem proportionis, & comparationem mouentis ad mobile. Quia ergo potentia eſt in duplo maior ad medietatem mobilis: Sequitur, quòd in eodem tempore moueat ipſum per magnitudinem in duplo maiorem, & per eandem rationem talis proportionis, oportet, quòd per idem ſpatium moueatur

ueatur in medio tempore, quia maior velocitas tempori detrahit, & ſimiliter quòd medietas potentiæ medietatem mobilis per idem ſpatium in æquali tempore, & dupla potentia idem per duplum ſpatium mobile in eodem tempore, vel per idem ſpatium in medio tempore moueat. Non tamen diuidere potentiam, ſi non diuidatur mobile, oportet. Accidere enim poteſt, vt media potentia nihil moueat, vel quia nullum exceſſum ſupra mobile habeat, vel adeò exiguum, vt non agat. Non enim omnis exceſſus ad agendum ſufficit.

Hæc ergo de ſpeciebus, diuiſione, & proportione motus dicta ſint.

DE PRIMO MOTORE PRIMOQVE MOBILI.

LIBER QVINTVS.

Summa & diſpoſitio libri V.

POſtquam egit de ente mobili in communi autor: incipit de ipſo hîc in ſpecie tractare. Et quia in omni genere datur aliquod primum: a primo mobili, primo motu, & primo motore orditur: Primum dari in vnoquoque horum, oſtendens. Sic autem procedit. Primò duo fundamenta præmittit. Alte-

rum eſt de mobili in communi, à quo ſcilicet moueatur, in 1. concluſione: Alterum verò de mouente ſeipſum, declarans, quales partes habeat, in 2. quot in 3. quomodo coniunctas, in 4.: Et quomodo dicatur moueri à ſeipſo, in 5. Secundò probat, dari primum motorem immobilem, in 6. Ex quo, dari primũ motum, & primum mobile, ſequitur. Tertiò volens inueſtigare, quis, & qualis ſit primus motus, præmittit, an motus ſit æternus, in 7: an habuerit principium, in 8. Pòſt intentum declarat, in 9. Quartò & vltimò inueſtigat conditiones primi mouentis, ſcilicet omnimodam immobilitatem, in 10: perpetuitatem, quæ ex priori, in 11: infinitatem virtutis, quæ ex ſecunda, in 12: immaterialitatem, ſiue eſſe incorporeum, quod ex tertia ſequitur, in 13: vbi ſit per virtutem ſuam, in 14: Et eius vnitatem in vltima.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Neceſſe eſt omne, quod mouetur, ab altero moueri.

Si enim aliquid mouetur, & non ab altero, à ſeipſo moueatur oportet. Primò quidem & per ſe, id eſt, non ſecundum partem, ſed ſecundum totum. Quia ſi ſolùm moueretur ſecundum partem, ſic moueretur ab altero, quoniam pars moueret partem. Cùm igitur omne mobile ſit diuiſi-

viſibile, ſignetur in medio huius mobilis, quod ſeipſum primò mouet punctus, in quo fiat diuiſio partium, & arguatur ſic: Illud mobile, quod ſeipſum mouet, non quieſcit ad quietem alterius, nec mouetur ad motum alterius, aliter motus eius ab altero dependeret, & ſic moueretur ab altero. Sed ſi quieſcat vna pars mobilis aſſumpti, de neceſſitate quieſceret totum: aliter ſi moueretur altera pars, illa quieſcente, non moueret ſeipſum primum, quod eſt contra poſitum: Ergo mobile aſſumtum quieſcit ad quietem alterius, ſcilicet ad quietem partis. Ergo non mouet ſeipſum primò. Et quia nullum eſt totum continuum, quod non quieſcat ad quietem partis: nullum mobile, quod non moueatur, & quieſcat ad motum, vel quietem alterius, dari patet. Et ſic nullum mouet ſeipſum primò. Ergo omne mobile mouetur ab altero. Cauſſa igitur, quòd nihil moueatur à ſeipſo, eſt, quia non datur aliquod primum, quod non moueatur ad motum partis, & quod non quieſcat ad quietem partis, cùm omne mobile ſit in infinitum diuiſibile. Præterea ſi aliquid mouet ſeipſum, nequit totum mouere totum, quia ſic idem reſpectu eiusdem eſſet agens & patiens: Sic calefaciens calefieret eodem penitus motu, numero, & idem eſſet in actu & in potentia reſpectu eiuſdem: Quia mouens, in quantum huiusmodi, eſt in actu, & mobile in potentia. Hæc eadem inconuenientia ſequerentur, ſi pars moueret totum, vel, ſi totam moueret partem, quia ſic pars moueret

ſeipſam. Si enim mouet totum: Ergo & quamlibet partem. Et ſi totum moueret: Ergo & quælibet pars, & ſic pars ſeipſam mouere diceretur. Nequit verò dici, quòd pars partem moueat: Quia ſic aut pars, quæ mouet alteram, etiam mouetur ab illa: Aut ſi non mouetur ab illa, mouetur à ſeipſa, aut eſſet immobilis. Primum non datur, quia cùm vno tantùm motu totum moueatur, ſequeretur, quòd eodem motu numerò vtraq; pars moueretur & moueret reſpectu eiuſdem: Et ſic idem reſpectu eiuſdem eſſet in actu & in potentia: Quod eſt impoſſibile. Et præterea ſi daretur, quòd vna pars moueat alteram, & altera moueatur ab altera, illud, quòd omne, quod mouetur, ab altero moueatur, habebimus. Nequit etiam & ſecundum ſubſiſtere, primò, quòd hoc totum non ſeipſum, ſed ratione partis, quæ mouet ſeipſam, moueret, ſequeretur. Secundò quòd eadem inconuenientia ad partem, quæ ſuperiùs dicta ſunt, daretur: Quia pars eſt etiam quoddam totum, & ideo quærendum eſſet, ſi mouet ſeipſam, ita vt totum moueat totum primò, id quod falſum eſſe probatum eſt. Igitur dari tertium oporteret, hoc eſt, quòd vna pars, quæ mouet, ſit immobilis, & ſic illa, quæ mouetur, ab altero mouetur. Præterea id in omnibus patet, quæ mouentur. Clarum enim eſt, quòd ea, quæ violenter mouentur, ab altero moueantur. Similiter id in animalibus mouentibus ſeipſa, conſtat; Quia ſcilicet vna pars mouet, ſcil. anima;

nima,& altera mouetur, id eſt corpus. In grauibus quoque & leuibus inanimatis hoc manifeſtatur, quia à ſeipſis non poſſunt moueri, non ſolùm propter ea, quæ dicta ſunt, ſed etiam, quia videmus,quòd ea, quæ mouent ſeipſa,ad omnem partem poſſunt moueri, & ſunt animata, quod in grauibus & leuibus minimè reperitur. Idcirco dicendum eſt, quòd mouentur per ſe à generante, quod eis aptitudinem ad motum illum, id eſt, grauitatem,velocitatemq́ dedit. Et per accidens, remouente prohibens, quàndo impediuntur, ne ſint in loco proprio, vnde motus eorum non eſt à forma imperante motum, ſicut in animalibus, nec ab ea, tanquam ab impellente, ſicut manus impellit lapidem, ſed eſt à forma impreſſa à generante, quia motus ille formam illam neceſſitate conſequitur: Vnde generans, qui impreſſit eam, dicitur mouere, ſicut manus lapidem, quem proiecit. Vnde forma, cùm ſit quædam aptitudo ad motum, dicitur principium paſſiuum aliquando illius motus, aliquando dicitur principium formale, quia eſt forma, ad quam conſequitur motus. Et quia forma eſt actus, aliquando dicitur principium actiuum, licet minùs propriè. Patet ergo, quòd motus grauium & leuium dependet ab altero: Ergo ab altero mouentur. Et ſic omne, quod mouetur, ab altero moueri, ſequitur.

2. Omne mouens ſeipſum partem vnam immobilem habet.

Cùm enim totum non poſſit ſeipſum primò

mouere: oportet, quòd diuidatur in partes, quarum vna ſit immobilis, vti patet per ea, quæ dicta ſunt.

3. Mouens ſeipſum primò, non niſi duas partes habere poteſt.

Diuiditur enim in partes, & vna eſt immobilis. Si verò plures haberet partes, verbi gratia, tres a b c, & a ſit pars immobilis, quæ moueat b, quod deinde moueat c, & c nihil moueat: Sed tantùm moueatur. Si igitur ab hoc toto remoueatur a, remanebit b c immobile, quia b non poteſt moueri, cùm ſuum mouens ſit remotum, nec poteſt mouere: Quia cùm ſit in medio, non mouet, niſi motum. Ergo c non mouebitur, & ſic b c remanent immobilia. Si autem remoueatur c à toto, adhuc a b mouet ſeipſum, quia a mouet b: Ergo dicendum, quòd illud totum a b c non mouebat ſeipſum primò, ſed ratione partis a b, quia remoto c, adhuc reliqua pars ſeipſam mouet. Et ſic primò illa pars mouet ſeipſam. Eadem autem eſt & de pluribus, quæ de tribus, ratio. Ergo ſeipſum mouens primò non poteſt, niſi duas partes, habere. Et ſi dicas, quòd ſit diuiſibile in infinitum, nihil tunc, quod primò ſeipſum moueat, futurum eſt. Quia ablata parte aliqua partis, quæ mouetur, quod remanet, adhuc ab altera parte mouebitur, quæ ſc. eſt mouens. Ergo illud totũ non mouebat ſeipſum primò. Cùm ergo poſſit auferri, & remaneat motus, nihil mouebit ſeipſum primò. Reſpondendum, quod etſi partes poſſint in

in infinitum diuidi potentia: non tamen actu, quia non retinent ſuam ſpeciem. Quamuis ergo mouens ſeipſum primò habeat infinitas partes potentia; non tamen niſi duas actu habet. Quæ ſi diuiderentur, non permanerent. Anima enim & corpus ſunt partes, quæ ſi diuiderentur, in ſua ſpecie non perſiſterent.

4. Iſtarum partium vna ſaltem alteram tangit.

Mouens enim & motum ſunt ſimul. Aliquando ergo ſe inuicem tangunt, ſi ſunt duo corpora, quorum vnum mouens & alterum motum ſit, & aliquando vnum alterum tangit, & ab eodem non tangitur, quando ſc. mouens eſt incorporeum. Tale enim mouens poteſt quidem tangere corpus ſua virtute, mouendo ipſum: Non autem ab ipſo contingitur. Duo autem corpora ſe inuicem tangunt: Ergo partium vna tangit alteram.

5. Mouens ſeipſum, ratione totius à ſeipſo mouetur.

Nulla enim ſuarum partium mouetur à ſeipſa: Ideo mouetur à ſeipſo non ratione partis, ſed ratione totius. Verùm mouetur & mouet ratione partis: Quia vna eſt pars, quæ mouetur, & quæ mouet.

6 Neceſſe eſt eſſe aliquod primum mouens immobile.

Si enim non daretur ad aliquod primum peruenire; in mouentibus & motis procedere in

in infinitum oporteret, quod eſt impoſſibile: Quia ſic nihil moueretur. Nam ſecundum mouens non mouet, niſi virtute primi, eò quòd non mouet, niſi moueatur. Si ergo non datur primum mouens: Sequitur, quòd nec ſequentia primum moueant, & ſic, ſi nihil mouet, nihil quoque mouebitur. Præterea cùm ſecundum mouens ſemper ſit inſtrumentum primi, quod non mouet, niſi moueatur, & non mouet, niſi in virtute principalis, ſi non datur primum, nihil moueri, ſequeretur, vt dictum eſt. Præterea ſi non daretur primum mouens, ſed omne, quod mouet, moueretur ab altero: Omne mouens eſſe corpus, neceſſe foret. Nam nihil mouetur, niſi corpus. Sed corpus non mouet, niſi ſimul moueatur cum moto: Quia omne corpus mouet tangendo: Ergo infinita corpora mouerentur ſimul. Cùm autem vltimum mobile, vel aliquod iſtorum mobilium ab vno termino ad alterum terminum in tempore finito tranſeat: Omnia iſta mobilia & mouentia tempore finito moueri, cùm ſimul moueantur, ſequitur. Cùm igitur omne mouens corpus moueat vel per contactum, vel continuationem, ſi ſupponamus, quòd omnia iſta mobilia & mouentia vnum per contactum vel continuationem ſint, contingens eſſe, vt puta quòd totum vniuerſum ſit vnum, totum hoc infinitum corpus futurum: Et mouebitur tempore finito, quod improbatum ſuperiùs. Omne enim, quod mouetur, aliquid pertranſire oportet. Impoſſibile verò eſt, infinitum aliquid

liquid

liquid in tempore finito pertranſire: Quia ſi motus ſit circularis, moueri hoc motu corpus in infinitum non poterit, quemadmodum ſuprà diximus. Si autem ſit rectus, ſurſum, vel deorſum aliquid hoc corpus infinitum tempore finito pertranſibit. Quòd autem omne corpus moueat tangendo: Patet, quia oportet mouens & motum eſſe ſimul, vti patet ex omnium motuum inductione. Præterea ſi omne mouens mouetur, ad vnum primum immobile deuenire datur. Aut ergo id, quod mouet mouendo, mouetur per ſe, aut per accidens. Si per accidens: Ergo potuit non moueri, dum mouet, & ſic non omne mouens moueretur, quod foret rationabile. Nam quando duo in aliquo termino coniunguntur per accidens, ſi alterum eorum inuenitur ſine altero, rationabile eſt, & alterum abſque illo inueniri. Album enim & dulce accidentaliter coniunguntur in lacte. Si ergo albedo inueniatur ſine dulci, rationabile foret, & dulce abſque albedine reperiri. Cùm igitur mouere & moueri conueniant in vno, & moueri inueniatur abſque mouere: quia multa mouentur, quæ nõ mouent, rationabile eſſet, quòd mouere abſq; moueri inueniatur: Et ſic aliquid mouebit, quod non mouebitur. Si autẽ mouendo per ſe mouebitur: aut per ſe, & ex neceſſitate, ſecundum eandem ſpeciem motus, aut ſecundum aliam mouetur. Si ſecundum eandem: Ex neceſſitate, quòd qui docet, doceatur, & qui ædificat, ædificetur, ſeque-

ſequetur, quod abſurdum eſt. Si verò ſecundum aliam, cùm ſpecies motus ſint finitæ: Oportebit tandem ad eandem deuenire. Nam ſi aliquid mouetur localiter ab eo, quod alteratur, & hoc mouetur ab eo, quod augmentatur, cùm ſpecies motus ſint finitæ: Veniemus ad aliquid, quod localiter mouetur mouendo proximum ſibi mobile ſecundum aliquam ſpeciem motus. Cùm ergo prima cauſſa plus moueat, quàm ſecunda: Sequitur, quòd hoc primum mouens, quod mouetur, vltimum mobile localiter moueat, quod eſſet localiter moueri. Et ſic mouens localiter ex neceſſitate localiter moueretur: eademq́ ratio de alijs ſpeciebus motus foret. Vnde idem, quod prius, ſc. quòd ædificator ædificetur & ædificet, & docens doceatur, ſequeretur, id quod inconueniens eſt. Primum ergo aliquid, quod non moueatur, mouens dare oportet. Ex his ergo, in rebus aliquid, quod non moueatur, eſſe conſtat: Eſſe item aliqua, quæ quieſcant, & quædam, quæ moueantur, quemadmodum id ſenſus quoq; teſtantur. Non ergo verum eſt, omnia ſemper moueri, neq; omnia ſemper quieſcere, nec ea, quæ mouentur, ſemper moueri. Nam ſenſui patet, alia quandoq; quieſcere, & quandoq; moueri. Nec item verum, quòd omnia ita ſe habeant, quòd quandoq; quieſcant, & quandoq; moueantur: Quia primum mouens nunquam mouetur, & primum mobile ſemper mouetur.

7. Motum eſſe æternum, efficaciter probari non poteſt.

Si

Si enim efficaciter probari poſſet, maximè hoc probarent rationes Ariſtotelis, quæ ſunt excellentiſſimi ingenij. Sed rationes, quas adducit ab iis, qui Chriſtiani ſunt, & creationem mundi credunt, facilimè ſoluuntur. Ergo quòd motus vel mundus ſit æternus, efficaciter probari nequit. Rationes quippe demonſtrationes eſſe nequeunt, quia concludunt falſum, quod non, niſi ex falſo, concludi poteſt: Nec habent, cùm faciliter ſoluantur, efficaciam. Initio itaque Ariſtotelis adducemus rationes. Secundò earundem ſolutiones ſubiiciemus. Atque ſic Ariſtoteles a motu argumentatur: Si motus incipit, ante motum primum non fuit alius motus: Aut ergo fuerunt mobilia, aut non ante illum primum motum, vel illud principium motus. Si non fuerunt: Ergo ad incipiendum motum mobilia oportuit producere. Sed hæc productio eſt motus, & motus requirit ſubiectum: Ergo ante illum primum motum fuit motus & mobile, & ſic non poteſt dari primus motus: Quæ de hoc ſecundo etiam motu eadem ratio. Si autem dicas, quòd ab æterno fuerint mobilia & mouentia, quæ non mouerunt ab æterno, ſed in tempore: Neceſſe erit dicere, quòd quando inceperunt mouere, ſe habuerint in alia diſpoſitione, quàm priùs. Oportet enim quòd mouens, quando incipit mouere, ſe habeat in alia diſpoſitione ad mobile, quàm priùs ſe habebat: Quia ſi ſe haberet in eadem diſpoſitione ad ipſum, quòd nunquam moueret, ſequeretur. Itaq; quòd mouentia

uentia non mouerint mobilia, aliqua futura cauſſa. Oportuit ergo remoueri illam cauſſam, antequam inciperent mouere. Sed remotio huius cauſſæ, & approximatio alterius diſpoſitionis ad mobilia & mouentia eſt per motum. Ergo ante primum motum datum, alius motus prior datur: Quæ ratio & ad hunc motum præcedentem referri poteſt. Ergo motum nunquam cœpiſſe oportet. Similiter etiam probat, quòd non finiturus ſit, quia daretur vltimus motus. Si ergo poſt illum corrumperentur mobilia, cùm corruptio fiat cum motu: Poſt illum motum, futurum motum, ſequitur. Si autem non corrumpuntur: Sequitur, habere ſe poſt illum vltimum motum in alia diſpoſitione, quàm priùs. Sequitur hoc verò per motum futurum. Ergo motus pòſt futurus. Motum ergo nec cœpiſſe, nec ceſſaturum, ſequitur. Adducit etiam rationem de tempore hoc modò. Omne inſtans in tempore eſt principium futuri, & finis præteriti: Ergo quocunque inſtanti dato, ipſum præcedat & ſequatur tempus oportet. Nullum ergo inſtans eſt ita finis temporis, vt non etiam ſit principium: Et nullum ita principium, quin ſit finis. Si enim ante aliquod inſtans non præcederet tempus, neceſſum eſſet concedere, quòd ipſum, quod dicimus antè, præcedat illud inſtans. Sed ante & poſt non ſunt ſine tempore: Ergo inſtans primũ præcedit tempus. Et ſimiliter ſi eſſet vltimũ inſtans, poſt ipſum non foret tempus: Eſſet tamẽ ipſum poſterius, quia aliter

ter nonpoſſemus dicere poſt ipſum. Sed poſterius eſt tempus vel cum tempore: Ergo poſt vltimum inſtans futurum tempus. Et ſic patet, tempus ſemper eſſe in ſuo principio, & in ſuo fine: Ergo nec incipere, nec deſinere, ſed tempus numerum motus exiſtere. Ergo nec motus incepit, nec finietur. Poteſt etiam ad æternitatem mundi probandam ſic argui: Cælum habet virtutem, vt ſit ſemper: Ergo non quandoq; eſt, & quandoq; non eſt. Nam cælum eſt incorruptibile: Ergo eſt æternum. Præterea cælum eſt ingenitum: Ergo non habet principium ſui eſſe, ergo nec finem. Item, ſi fuit productum de nouo: Ergo Deus, qui produxit, ſe habuit alio modo, quàm prius, vel per naturam, vel per actionem, vel per voluntatem: Ergo præceſſit aliquis motus, ergo aliquod mobile. Et ſic ſequetur idem, quod priùs. Inſuper poſita cauſſa ſufficiente non impedita, neceſſe eſt, quòd ſequatur effectus. Sed prima cauſſa eſt & fuit ſemper ſufficiens ad hunc effectum: Ergo cùm Deus fuerit ab æterno, & mundum fuiſſe ab æterno, ſequitur. His ergo & ſimilibus rationibus facilè réſpondetur ſecundum ſententiam fidei. Si priùs intelligatur, quòd creatio non eſt motus, nec generatio, ſed ſimplex emanatio, ita quòd inter creatorem & creaturam non ponitur modus medius, qui requirat ſubiectum vel materiam. Sed in creatione aliquando producuntur tàm materia, quàm forma, quia mundus vel res creata emanat totaliter à creante. Ad primã igitur rationem dicimus, quòd ante primum motum non erant

mo-

mobilia, ſed quòd producta per creationem fuerint. Et ideo non ſequitur, quòd motus præceſſerit, quia creatio non eſt motus, nec motum duraturum in æternum, per rationem hanc vlla conſequentia eſt. Nam poteſt dici ab eo, qui motum terminat, quòd ceſſante motu in nihilum abitura mobilia ſint, quæ annihilatio non eſt motus, ſicut nec creatio: aut etiam, quòd duratura ſint abſq; motu nec aliam diſpoſitionem mobilis poſt motum futuram, ſed antè: Quia facta illa diſpoſitione poſtea ceſſat motus, & ſic nullus poſt motum vltimum remanſurus motus; licet ſecundum ſententiam fidei aliqualiter ſemper perduraturus motus ſit. Dato enim, quòd motus cœli ceſſet: Creaturæ rationales tamen, in quibus motus erunt, in ſempiternum durabunt. Ad ſecundum verò dicendum, eum ſupponere id, quod neceſſe habuit probare. Non enim omne inſtans eſt principium & finis temporis, niſi in motu ſempiterno. Prima ergo propoſitio ſupponit, motum ſemper & ſempiternum eſſe, quod probari debuit. Si enim motus incepit: non omne inſtans principium & finis temporis erit. Et cùm primum inſtans præcedere ipſum antè vel priùs dicitur: illud antè vel priùs imaginarium, non reale eſſe, reſpondetur. Ad tertiam dicendum, quòd illud, quod habet virtutem, vt ſit ſemper, non quandoq; eſt, quandoq; non eſt, poſtquam productum eſt in eſſe. Vnde aliquid incorruptibile habet principium, ſicut & aliquid neceſſarium habet cauſſam ſuæ neceſſitatis. Ad

quartam,

quartam, quòd cœlum eſt ingenitum. quia non habet contrarium: non tamen eſt increatum. Ad quintam, quòd Deus in creando non ſe habeat alio modo, quàm priùs, in ſui ſubſtantia, vel intellectu, vel voluntate, aut actione: Sed quod producitur, recipit eſſe, quod priùs non habebat. Dei autem ſubſtantia & actio, quæ eſt ipſa ſua ſubſtantia, non mutantur, & ſimiliter non mutatur eius intellectus, quia intelligit ea, quæ priùs intellexit, & vult, quæ priùs voluit, vt mundum eſſe creandum nunc, voluit ab æterno: Et ſic ſemper vult, quòd tunc creetur & fuerit creatus. Res ergo mutatur, nequaquam ſcientia Dei, vel voluntas eius: vnde etiā ſi creaſſet mundū ab æterno & incepiſſet mouere in tempore, non tamen quòd motus, ſed quòd res mota fuerit, ſequeretur. Ad ſextam dicendum eſt, quòd Deus non neceſſitate naturæ, ſicut agentia naturalia, agat, de quibus concludit argumentum: Sed voluntate ſua & intellectu perficiat. Vnde creauit mundum, quando ſibi placuit, licet potuiſſet antè creare. Et ſi, cur Deus ab æterno mundum non condiderit, quæras: Reſponderi poſſet, feciſſe hoc, vt ſimul ſuam bonitatem creando, & ſufficientiam oſtendendo, quòd non indigebat creaturis, quando eas non creauerit ab æterno, oſtenderet. Hoc autem ſaluo ſemper diuino arcano dicimus, quia homo non poteſt diuina ſecreta cognoſcere, niſi per reuelationem. Non ergo efficaciter, motum vel mundum eſſe æternum, probari poſſe patet.

Et quamuis hæc fuerit opinio Ariſtotelis, qui id quantum potuit, probare conatus eſt: Tamen non credidit Ariſtoteles ſe hoc demonſtraſſe, cùm apertè dicat in Topicis: Problema neutrum eſſe, mundum eſſe æternum, vel non: Et inducat opiniones antiquorum, ad hoc probandum, quod non demonſtrationis eſt.

8. Mundum habuiſſe principium, ratione efficaciter probari non poteſt.

Cùm enim medium demonſtrationis ſit definitio; & quicquid eſt ſubiecti, quod ab hic & nunc abſtrahitur: Patet ex hac parte, propoſitionem hanc demonſtrationem non recipere, nec etiam ex parte voluntatis Dei, quæ hominibus incognita, & ratione inueſtigari non poteſt: Vnde mundum cœpiſſe, articulus fidei eſt.

9 Motus circularis ſolus ſemper continuus eſſe poteſt.

Si enim aliquis poteſt eſſe ſemper continuus, hic eſt localis: Nam motus localis eſt primus inter omnes motus, quia præſupponitur in omni motu. Augmentum enim præſupponit alterationem, alteratio autem motum localem: Quia oportet, quòd alterans applicetur alterabili: Ergo. Præterea motus localis eſt alijs perfectior, quia minùs remouet à mobili, & mobile minùs ab eo variatur, vel deterioratur, quia non ponit in eo aliquid intrinſecè: Ergo. Mobile etiam motus localis eſt perfectius ſecundum ſe cæteris mobilibus, Nam mouens ſeipſum propriè mouet ſe iſto

mo-

motu, id eſt, locali: Igitur motus eius cæteris motibus eſt perfectior & prior, & aliorum cauſſa. Et ideo ſi alicui motui attribuitur proprietas hæc, debet attribui motui locali: Alij enim motus ſunt de contrario in contrarium determinatè & propriè, & idcirco, vbi ad vnum illorum contrariorum perueniunt, quieſcunt. Sed motus localis non eſt propriè inter contraria, ſi ſecundum ſe conſideretur. Inter motus autem locales rectus non poteſt eſſe ſemper continuus, quia hoc per reflexionem foret: Nam per lineam rectam fieri nequit, cum iam probatum ſit, quòd non detur magnitudo infinita. Sed ſi per reflexionem continuaretur: motus contrarios eſſe continuos, ſequeretur. Quia motus rectus ad vnum terminum, & reflexus ad oppoſitum terminum, ſunt per eandem viam contrarij. Præterea ſi continuarentur: ſequeretur, quòd ſtatim cùm inciperet moueri à primo termino à quo, poſſemus dicere, quòd mouetur ad illum eundem terminum: Quia cum aliquid in principio mouetur, dicimus, quòd ad hunc vel illum terminum mouetur, hoc eſt, ad illum, in quo finietur motus. Et ſic aliquid moueretur motibus oppoſitis, id eſt, ſimul ab aliquo termino ad eundem terminum. Vnde, in reflexione quietem in medio cadere, dici oporteret. Nam vtitur vno termino, vt actu duobus, ſcilicet vt principio, & vt termino motus: Nihil enim eſt principium, vel terminus motus in actu, niſi quies. Vnde etiam in lapidibus, protectus ſurſum, ſenſibilem percipimus quietem in reflexione. In

medio enim motus non eſt quies, quia non vtitur aliquo ſigno vno, vt duobus, actu, ſed potentia tantùm. Aliter Zenonis ratio concluderet, quòd nihil moueretur: Quia cùm ſint in magnitudine infinita puncta, & infinita nõ contingat pertranſire, ſequeretur, nihil poſſe pertranſiri, ſi mobile de neceſſitate omnia puncta numeraret, & vteretur vnoquoque illorum, vt duobus actu, ſed non vtitur, vt duobus, vno, niſi in potentia. Et ideo mobile non pertranſit magnitudinem propter partes, quaſi pertranſeat totum, quia pertranſit partes, ſicut imaginabatur Zeno. Partes enim non ſunt, cùm ſint ſolùm in potentia: Et ideo mobile nullam partem pertranſit, & ad nullum ſignum in medio dicitur actu peruenire: Quia nullo terminatur motus. Sed quia pertranſit totum actu, idcirco etiam pertranſit partes, quæ includuntur in toto. Itaq; cùm mobile vtatur vno ſigno, vt duobus: non continuari motum, neceſſe eſt: Et ſic motus reflexi non poſſunt eſſe continui, quoniam oppoſita ad inuicem non continuantur. At in motu circulari non eſt eadem ratio. Si enim hoc motu aliquid moueatur ab eodem ad idem: non oportet, quòd tranſeat per eadem media, ſicut in motu recto fit, & in alijs motibus: Sed ſemper tranſit per diuerſa media per circulum, & venit ad idem ſignum, à quo incepit moueri: Et iterum mouetur eodem modo. Vnde ſemper poteſt continuare motum, propter quod ſimplicior recto & perfectior eſt, cùm ſolus poſſit eſſe perpetuus. Rectus autem

ſi

ſi non eſt reflexus, non eſt ſemper continuus: Et ſi eſt reflexus, non eſt continuus, nec ſimplex. Et ideo eſt maximè regularis: Quia motus rectus, ſi eſt ſecundum naturam, eſt velocior in fine. Sin autem violentus, velocior in principio eſt. Sed motus circularis nunquam magis vel minùs appropinquat principio vel fini: Et ideo poteſt eſſe ſemper continuus & regularis, & maximè vnus & ſimplex.

10. Primum mouens, nec per ſe, nec per accidens mouetur.

Si enim, motum æternum eſſe, aſſruatur: aſſerendum eſſet, primum mouens ſemper eodem modo ſe habere, ſi mouet motu ſempiterno, nec aliquo modo moueatur. Videmus enim, quòd ea, quæ mouentur per accidens, quia non ſemper ſe habeant in eadem diſpoſitione, non ſemper mouere: Quemadmodum anima, quia non ſemper eſt eodem modo, ſecundum cognitionem & appetitum diſpoſita, non ſemper mouet animal. Et videmus etiam, quòd motus eius dependeat ab altero, puta ab alteratione cibi & aëris, per quam diuerſimodè afficitur, & diuerſimodè mouet. Primum autem mouens non dependet ab aliquo. Si autem motus incipit & mobilia, vt tenet fides: Sequitur etiam, quòd non moueatur omnino: quoniam iam probatum, quòd liceat deuenire ad vnum mouens immobile; Vnde quòd per ſe moueatur, non poteſt dici. Illud autem, quod mouetur per accidens, mouetur ad motum alterius, non ali-

ter ac anima ad motum corporis mouetur. Sed ſi Deus fuit ab æterno abſque creaturis, nullo modo eum à creaturis dependere, ſed omnino eſſe ab eis eleuatum, ſecundum ſuam ſubſtantiam, patet. Vnde non mouetur ad motum alicuius, ſed eſt omnino immobilis.

11. Primum mouens eſt perpetuum.

Si enim ponatur motus perpetuus, oportet aſſignare cauſſam huius perpetuitatis. Non poteſt autem eſſe niſi primum mouens. Nam ſi generatio eſt perpetua: cauſſa huius perpetuitatis non eſt eorum aliquid, quod generatur, quia nullum ipſorum ſemper eſt, nec etiam omnia generata ſimul, quia vnus effectus non dependet ex infinitis cauſſis, nec ſunt omnia illa ſimul, ſed ſucceſſiuè. Ideo cauſſam huius perpetuitatis aliquid ſuper omnia generata conſtituere oportet. Hoc autem eſt primum mouens. Si autem mundum incepiſſe, ſicut tenet veritas fidei, ponatur: Sequitur omnino, Deum, vel primum mouens, eſſe perpetuum. Quia ſi incepiſſet, certè non produxiſſet ſeipſum in eſſe. Si autem fuiſſet ab alio productum: tum primum mouens non eſſet. Ergo primum mouens eſt perpetuum.

12. Primũ mouens habet potentiã infinitam.

Si enim quòd motus infinitus & æternus ſit, ponatur, aſſignare aliquam cauſſam huius infinitatis primam oportet. Sed prima cauſſa eſt cauſſa per ſe, quia cauſſa per accidens præſuppoſit cauſſam per ſe. Cauſſa autem determinatur ad

ad effectus per ſe: Quia cauſſa & effectus debent ad inuicem proportionari: Ergo cauſſæ primæ infinitatis motus reſpondebit infinitas motus per ſe. Infinitus autem motus per ſe eſt ille, qui eſt infiniti mobilis: Quia quantitas motus eſt à mobili, & à magnitudine, ſuper quã eſt motus, vel à reiteratione, ſi circularis eſt. Quantitas autem, quæ eſt à mobili, eſt per ſe, quia eſt à ſubiecto proprio. Illa autem, quæ eſt à magnitudine, eſt per accidens, id eſt, per alterum, quod eſt extrinſecum, & ſimiliter illa, quæ per reiterationem, quæ iteratio accidit motui. Effectus ergo proportionatus primæ cauſſæ infinitatis motus, eſt motus infinitus per ſe, qui ſcilicet eſt infiniti mobilis, ſi contingat eſſe. Sed hoc mobile, ſi contingat eſſe, non poteſt moueri, niſi à potentia infinita. Ergo primum mouens, quod eſt prima cauſſa huius motus, habet potentiam infinitam. Si enim à potentia finita in tempore finito moueretur, non poterit aliquod ſignum datum tranſire, niſi in tempore infinito. Accipiatur ergo mobile infinitum, quod ſit a, quod debeat tranſire ſignum b, per virtutem potentiæ finitæ, quæ ſit c, in tempore infinito, quod eſt d, & ex alia parte ſit potentia alia finita, quæ ſit e, & ſit vnius gradus. Potentia verò c, cùm ſit finita, ſit centum graduum, & moueat f mobile finitum, & faciat ipſum tranſire ſignum b in tempore finito, vtputa in hora. Igitur ſi ab a ſumatur aliud mobile, quod ſit g, quod erat

tur, quòd ſit potētiæ infinitæ, quia educere aliquid de non eſſe ad eſſe ex nihilo, requirit potentiam infinitam. Nam tantò maior virtus requiritur in agente, quantò potentia eſt magis remota ab actu: Et ideo requiritur, quòd virtus agentis ex nulla præſuppoſita potentia, quale eſt agens creans, ſit infinita, quia nulla eſt proportio nullius potentiæ ad aliquam potentiam, ſicut non entis ad ens. Potentiam igitur Dei eſſe infinitam probamus, ſiue mundus ſit æternus, ſiue non.

13 Primum mouens eſt incorporeum.

Si enim virtutis infinitæ eſt: oportet, quod totaliter eleuatus ſit à magnitudine. Nam ſi eſſet in magnitudine: aut eſſet in magnitudine infinita, quod eſt impoſſibile, quia hæc dari nequit, vt ſuperiùs probatum, aut eſſet in magnitudine finita, quod item eſſe nequit: Nam ſequeretur, quòd motus, quo moueret, eſſet in non tempore. Nam ſi eſſet virtus in magnitudine, non ageret per intellectum: Nam quòd intellectus etiam humanus à magnitudine ſeparatus ſit, inferiùs probabitur. Ageret ergo toto conatu: Ergo in non tempore moueret. Si enim moueret in tempore, ſit illud centeſima pars horæ: Accipio autem potentiam finitam, quæ mouet aliquid in hora, & addo illi potentiæ, reddoq́ eam maiorem. Certum eſt autem, quòd quantò magis addam illi potentiæ de virtute mouendi, tantò plus minuetur tempus. Addam ergo centum gradus, vel etiam plus: Ergo mouebit in centeſima parte horæ,

vel etiam in minori tempore, & tamen erit potentia finita. Ergo in minori tempore mouebit potentia finita, quàm infinita, quod eſt impoſſibile. Oportet igitur concedere, quòd ſi potentia primi mouẽtis infinita ſit in magnitudine, in non tempore moueat, quod etiam eſt impoſſibile. Ergo potentiam infinitam in magnitudine eſſe non poſſe, aſſerendum. Et ſic primum mouens eſt incorporeum. Non ſequitur autem, ſi ſit incorporeum, quòd moueat in non tempore, tum quia mouet per intellectum ſecundum exigentiam finis & rei motæ. Mouens enim per intellectum non agit toto conatu ſuo ſicut mouens per naturam, ſed ſecundum formam cõceptam, tum etiam, quia ſi ageret toto conatu, non poſſet mobile ſuſcipere totam virtutem eius, quia eſt cauſſa vniuerſalis & æquiuoca reſpectu rei corporeæ. Sed ſi virtus ipſius eſſet in corpore, tum proportionata foret mobili, & cauſſa vniuoca: Et ſic ſuſciperet totam eius virtutem, & moueret in non tempore. Cùm ergo hoc ſit impoſſibile: impoſſibile item, aliquam virtutem infinitam eſſe in magnitudine finita, neceſſariò aſſerendũ. Potentia quoq; finita eſſe in magnitudine finita nequit, quæ ſi daretur, potentia, quæ eſſet in magnitudine finita, potentiæ, quæ eſt in magnitudine infinita, æquaretur. Nam ſi virtus, quæ eſt in magnitudine infinita, ſit mille graduum, & alia potentia ſit vnius gradus: poterunt mille partes finitæ, vel etiam plures, addi potentiæ finitæ vnius gradus, & ſic creſcet, & fiet æqualis vel maior, quàm potentia

tẽn-

tentia, quæ eſt in corpore infinito, & in minori tempore mouebit, quod eſt impoßibile. Et ſi obyciatur: Si nullum corpus habet potentiam infinitam: Ergo nec durare infinito tempore poterit? Reſpondendum: Quod ſi corpus habet eſſe, quod eſt ſubiectum tranſmutationi, non durabit tempore infinito, quia ſubiacet tempori: Vnde oporteret, potentiam infinitam ad conſeruandum ſe habeat. Si autem eſſe eius non eſt ſubiectum tranſmutationi & tempori, ſicut eſſe cœli: non oportet, quòd habeat potentiam infinitam ad hoc, quòd ſit incorruptibile: Sed ſufficit, quòd habeat formam coniunctam tali materiæ, quæ non poteſt alteri formæ ſubyci. ita quòd non habeat potentiam ad oppoſita, id eſt, ad eſſe & non eſſe. In cœlo enim non eſt alia tranſmutatio præter localem: Et ideo eſt incorruptibile, & durat in infinitum. Eius tamen incorruptio & duratio à prima cauſſa dependet, ſicut & eius motus.

14 Primum mouens per virtutem ſuam in circumferentia cœli, nõ autem in centro eſt.

Dico autem per virtutem ſuam, quia per ſubſtantiam non eſt magis hic, quàm ibi. Cum enim ſit incorporeum, à nullo loco definiri poteſt, ſed virtutem ſuã poteſt magis ad vnum locum applicare, quàm ad alterum. Signum igitur, quòd virtus eius ſit ad mouendũ, in circumferentia eſt: quia videmus, quòd mobile ſemper velocius mouetur, quãdo eſt mouenti propinquius, quàm quando eſt remotius, quia magis recipit impreſſionem mouentis.

Cœlum

Cælum autem velociùs mouetur in circumferentia quàm prope centrum: Vnde fixionem habet à centro, mobilitatem verò à circumferentia.

15. Primum mouens eſt vnum.

Motus enim cœli eſt continuus, & totaliter regularis, & vniformis: Sed plura mouentia non poſſunt cauſſare motum regularem & vniformem. Videmus enim, quòd quando plura mouent, & vnum poſt alterum, quòd plurimùm varietur motus: quia modò intenditur, & modò remittitur. Motus ergo regularis primi mobilis oſtendit, eſſe vnum primum motorem, qui ſemper eodem modo ſe habet, & idem non fatigatur mouendo. Et præterea in natura ſemper eſt eligendum id, quod melius eſt, ſi haberi poſſit: Quia *ea, quæ ſunt in natura, ſunt optimè diſpoſita. Melius autē eſt ſemper facere per pauciora, quàm per plura, & per vnum, quàm per plura, ſi poteſt hoc vnum haberi, & ſi poſſunt omnia, quæ accidunt, per ipſum ſaluari. Certum autem eſt, quòd ſi non ponamus vnum primum mouens, non ita bene, quàm videmus in primo mobili, regularitatem motus & continuationem ſaluari. Sed ſi ipſum vnum eſſe ponamus, omnia, quæ accidunt circa hoc de motu, ſufficienter ſaluantur. Dicendum ergo, vnum tantùm primum mouens eſſe, qui eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.*

De

DE COELO ET MVNDO.

LIBER SEXTVS.

Summa & diſpoſitio libri VI.

IN hoc libro incipit autor applicare ea, quæ dicta ſunt de motu in genere, ad propria ſubiecta, & quia primũ corpus eſt illud, quod mouetur ſecundum locum, ſiue ſitum, hîc agit de tali corpore, quod eſt principaliter ipſum vniuerſum corporeum, ſiue mundus: Deinde eius partes principales, quæ ſunt corpora cœleſtia, & elementa. Vnde primò de ipſo vniuerſo: Secundò de corpore cœleſti: Tertiò de elementis, non quatenus calida & frigida, ſiue ſicca & humida, ſed quatenus per ſe ſitũ habẽt in vniuerſo, quem, in quantum grauia & leuia ſunt, obtinent, agit. Conſtat enim vniuerſum ex ſuis partibus, ſecundum ordinem ſitus: Vnde de aliis corporibus, puta lapidibus, plantis, & huiuſmodi non determinatur. Nam non per ſe ſitum in mundo, ſed ratione corporum ſimplicium, habent. Circa primum præmiſſo, quòd hæc conſideratio de corporibus ad naturalem ſpectet in 1. concluſione, primò oſtendis

dit perfectionem vniuerſi. Et quia illam,tum ex perfectione corporum abſolutè, tum ex perfectione propria deducit: perfectionem corporum in 2. declarat, & in 3. perfectionem vniuerſi adducit. Secundò, volens oſtendere, ex quibus partibus eius integretur perfectio: quomodo ſe habeant corpora ad motum, præmittit. Quoad principium quidem, in 4. quoad naturalitatem verò, in 5. & quoad ſpeciem motus, in 6. Præmittit etiam numerum motuum ſimplicium in 7. & qualitatem corporum,quæ mouentur motu recto in 8. ex quibus numerum elementorum deducit, remouens infinitatem in 9. vnitatem in 10. & concludens, quot ſint, in 11. Quia verò etiam ad eius integritatem corpus cœleſte pertinet, quod quintum corpus ſiue eſſentia dicitur: oſtendit in 12. dari tale corpus, & poſtea eius perfectionem declarat per comparationem ad elementa, in 13. Quia verò iſta corpora ſufficiunt ad perfectionem ſubſtantialem vniuerſi corporei, oſtendit in 14. non dari aliud corpus ſimplex: Vnde motum circularem non habere contrarium in 15. concludit. Quia verò antiqui attribuebant perfectionem infinito; Tertio loco oſtendit, an vniuerſum ſit infinitum. excludens infinitatem ſecundum magnitudinem in 16. & ſecundum multitudinem, in

17.

17; In 18. non ſolùm non eſſe infinitos mundos, ſed vnum ſolum & actu & potentia, probans. Et quia hoc ex eo, quòd mundus ex tota ſua materia, quæ ſunt omnia corpora, conſtet, prouenit: Conſequenter, extra cœlum non eſſe aliquod corporeum, in 19: Et qualia ſint, quæ ſunt extra cœlum entia, in 20. & 21. oſtendit. Circa ſecundum principale, ſcilicet corpus cœleſte, primò de eius perpetuitate agit, quam ex eo, quòd ſit alterius ab elementis naturæ, ſcilicet nec graue, nec leue, in 22. euincit: Et per conſequens ingenerabile & incorruptibile, in 23: Et non habere contraria in ſe, in 24. extruit. Ex his enim ipſum perpetuum eſſe, quia nec incipiat, nec per motum finiatur, ſequitur. Secundò agit de principalibus partibus eius, quæ ſunt ſphæræ: cauſſam, quare ſint plures, in 25. aſsignans. Tertiò de figura eius, ſcilicet ſphærica tractat, quam priùs de centro eius, ſcilicet terra, in 26: deinde de primo cœlo, in 27: Et demum de alijs inferioribus, in 28. oſtendit. Quartò de partibus eius ſecundarijs, ſcilicet ſtellis, diſſerit, tria docens, ſcilicet: Cuius ſint figuræ, ſcilicet, ſicut ipſum cœlum, ſphæricæ, in 29: cuius naturæ, tàm communis in 30. quàm ſpecialis in 31. & diuerſitatem earum in 32. Quintò de animatione

eius,

eius, quod ad dignitatem ipſius ſpectar, in 33. pertractat: Deducens ex hoc, ipſum habere differentias ſitus, in 34. Vltimò agit de motu eius, declarans ordinem ſitualem motus eius in 35. regularitatem in 36. motum aſtrorum in 37. motum inferiorum ſphærarum in 38. & effectum motus eius in 39: In 40. quendám effectum putatum excludens. Circa tertium principale, ſc. elementa, ſuppoſito numero eorum ex ſuperiùs dictis: de illis, quatenus mouentur ſecundum locum per grauitatem & leuitatem, differit: Sic enim ſunt partes vniuerſi. Secundum autem quòd ſunt generabilia & corruptibilia, ſiue alterabilia, de ijs in ſequenti libro determinabitur. Primò igitur oſtendit, quomodo moueantur ſecundum ſitum diuerſimodè, in 41. Et quia hic motus prouenit ex grauitate & leuitate illorum: oſtendit ſecundò differentiam horum, tum in mixtis in 42. tum in ipſis in 43. tum ſpecialiter in medijs in 44. Tertiò numerum harum differentiarum in 45. declarat. Demum quomodo ſe habeant figuræ elementorum ad motum eorum, in 46. oſtendit.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Corporum & magnitudinum ad philoſophum naturalem pertinet tractatio.

Phyſicus enim de rebus naturalibus tractare debet. Naturalia autem ſunt corpora de gene-

genere ſubſtantiæ, quæ habent materiam, formam, & magnitudinem: de illis igitur tractare eum decet. Et quia ex corporibus & magnitudinibus vniuerſum incorporeum integratur, quod mundus ſiue etiam cœlum dicitur: ab hoc, quod libri huius ſubiectum eſt, exordiemur.

2. Omne corpus ſecundum dimenſiones eſt perfectum.

Habet enim omnes dimenſiones, & nulla deeſt corporibus dimenſio. Nam longitudinem, latitudinem, & profunditatem habent, eò quòd in has omnia diuiduntur corpora: nec ſunt plures dimenſiones: Sunt igitur ſecundum has perfecta.

3. Vniuerſum eſt perfectum

Continet enim omnes dimenſiones, & omnia corpora. & omnes modos eſſendi, & omnes perfectiones. Quia ergo omnia continet, eſt vndiq; perfectum.

4. Omnia corpora habent in ſeipſis principium motus.

Quia omnia corpora ſunt naturalia: Vnde habent in ſeipſis naturam, hoc eſt, materiam & formam, quæ ſunt principia motus. Neceſſe igitur eſt, omnia in ſe principium motus habere.

5 Omnia corpora mouentur naturaliter.

Aut enim naturaliter, aut violenter mouentur. Si naturaliter, habemus propoſitum. Sin

violenter, cùm violentum ſit contra naturam, ſequitur, quòd naturaliter etiam moueantur. Nihil enim poteſt moueri violenter, quod non naturaliter moueatur. Præterea ſi quieſcunt naturaliter, oportet, quòd ad illam quietem naturaliter moueantur. Si autem quieſcunt violenter: quòd contra illam quietem naturaliter ferantur, neceſſe eſt. Naturaliter ergo mouentur.

6 Omnia corpora mouentur ſecundum locum.

Motus enim primus primò ineſt corporibus, quàm motus alij. Sed motus localis eſt primus inter omnes: Ergo primò ineſt mobilibus corporibus. Verùm cœlum à grauibus & leuibus naturaliter diuerſimodè mouetur: Quia hæc, ad quod de neceſſitate, abſq; alio actiuo coniunctio, motus ſequitur, principium formale habent. Cœlum autem non habet principium formale, ad quod ex neceſſitate ille ſequatur motus: Sed aptitudinem naturalem ſolùm, vt ſic ab aliquo principio actiuo coniunctio moueri poſſit.

7. Motus ſimplices duo ſunt.

Motus enim ſimplices magnitudinibus ſimplicibus ſunt proprij. Duo autem ſunt genera magnitudinum ſimplicium, ſc. cœlum & elementa: Ideo duo ſunt motus ſimplices, id eſt, circularis circa centrum, & rectus ſurſum à centro, & deorſum ad ipſum centrum. Ex quo patet, quòd motuum ſimplicium, alius à medio, alius ad medium, alius circa medium ſit.

Omnia

8. Omnia corpora, quæ naturaliter motu recto mouentur, grauitatem vel leuitatem habent.

Si enim eſſet aliquod corpus, quod deorſum ſine grauitate moueretur: neceſſe eſſet, corpus graue in infinitum velocius moueri, quàm ipſum, cùm nullam habeat proportionem. Si enim corpus graue ei proportionatum in velocitate motus ſit: ponatur graue, in decuplo velocius, quàm non graue, vtputa quòd graue moueatur velocitate, vt centum, & non graue velocitate vt decem. Diuidatur igitur graue per medium, & in duplo minorem velocitatem, quàm priùs habebit. Et rurſum ab eo partes quadraginta, vt decem remaneant, auferantur: Ergo velocitate vt decem, iuxta regulas libro 4. concluſ: vltima traditas, mouebitur. Ergo æquali velocitate graue & non graue feretur, quod eſt impoſſibile. Oportebit ergo, quòd graue in infinitum velociùs, quam non graue moueatur. Et idem tàm de motu violento, quàm naturali, & tàm de graui, quam de leui dico. Sed hoc impoſſibile eſt: Quia neceſſariò in inſtanti eſſet. Igitur quod mouetur motu recto, grauitatem vel leuitatem habet.

9. Non ſunt infinita elementa.

Elementum enim eſt, ex quo fit aliquid primò, cùm inſit, & non diuiditur in alias ſpecies: Hæc ſunt corpora grauia & leuia. Non ſunt autem infinita, quia infiniti eſſent motus naturales, & fruſtrà ponerẽtur, cùm omnes effectus ſaluẽtur per

ſinita. Res enim naturales eſſent nobis ignotæ, cùm infinitum non poſſit cognoſci: Ergo non ſunt infinita elementa.

10 Non eſt tantùm vnum elementum.

Si enim eſſet tantùm vnum elementum: Sequeretur, quòd eſſet vnus tantùm motus naturalis rectus. Sunt autem duo, vt dictum eſt, ſcil. vnus ſurſum, & alter deorſum: Ergo non eſt vnum tantùm elementum.

11. Quatuor ſunt tantùm elementa.

Elementa enim ſunt, quæ mouentur motu recto vel ſurſum vel deorſum. Oportet ergò alterum eſſe, quod ſit ſimpliciter leue, quod moueatur ſurſum vſque ad concauum cœli, & alterum ſimpliciter graue, quod moueatur deorſum ad centrum. Cùm enim ſint duo loca diſtantia plurimùm localiter, ſc. medium & extremum, id eſt, centrum, & concauum orbis lunæ: Oportet eſſe duo corpora extrema, ſc. graue ſimpliciter, & leue ſimpliciter. Loca enim naturaliter non ſunt ſine corpore. Hæc autem ſunt terra & ignis. Poſitis autem extremis, oportet ponere media, quæ non ſunt ſimpliciter grauia aut leuia. Sic ergo ſunt duo, vnum ſc. propinquum leui, quod eſt aër, & alterum propinquum graui, quod eſt aqua. Præterea ignis leuis ſimpliciter eſt, qui eſt calidus & ſiccus: Graue autem ſimpliciter eſt terra, quæ eſt frigida & ſicca. Sed poſito vno contrariorum, neceſſe eſt ponere & reliquum in nātura, vel actu, vel potentia. Ergo oportet ponere humidum non ſolùm

lùm in potentia materiæ, ſed etiam in actu: Quia ſi ſolùm eſt in potentia materiæ, cùm nulla alia ſit materia, quæ humiditatem poſſit ſuſcipere, niſi materia, quæ eſt ſub forma ignis vel terræ: Sequeretur, quòd fruſtra eſſet iſta potentia, eò quòd nunquam poſſet reduci ad actum, ſi tantùm ſit ignis & terra. Quia ſiue ex igne generaretur terra, ſiue ex terra ignis, nunquam humiditas illi materiæ ineſſet. Oportet igitur quòd ſit in actu in aliquo alio elemento, quod eſt aër, qui eſt calidus & humidus, & totus contrariatur terræ. Sicut ergo aer contrariatur totus terræ: ita conueniens eſt, vt aliquod elementum ponatur, quod totum contrarietur igni, hoc eſt, aqua, quæ eſt frigida & humida. Quatuor igitur ſunt, ſc. terra, aqua, aër, & ignis, elementa.

12. Præter quatuor elementa dare quintum corpus alterius naturæ oportet.

Motus enim ſimplex eſt ſimplicis corporis primò & per ſe. Motus autem circularis eſt ſimplex: Ergo eſt corporis ſimplicis primò & per ſe. Non enim corpus mixtum mouetur motu ſimplici, niſi ratione corporis ſimplicis, ex quo componitur. Cùm igitur circularis motus non ſit naturalis elementis, ſed præter naturam: Ergo oportet dare aliquod corpus ſimplex, in quo primò & per ſe ſit. Elementa enim non poſſunt moueri duobus motibus naturaliter, & maximè contrarijs, ſicut eſt circularis & rectus. Eſt ergo præter elementa aliud alterius naturæ corpus ſimplex.

13 Quintum corpus eſt perfectius elementis.

Signum huius eſt: Quia motus circularis eſt perfectior motu recto, cuius ſignum eſt; Quia linea circularis eſt perfectior recta. Circulari enim nihil deeſt, & nihil addi poteſt. Præterea motus circularis eſt regularis & ſempiternus, non autem eſt talis motus rectus. Item iſte motus circularis eſt cauſſa aliorum motuum. Oportet ergo, quòd corpus cœleſte ſit perfectius & prius dignitate cæteris corporibus, & cauſſa aliorum, cùm motu circulari, alia verò motu recto moueantur. Præterea corpus quintum non eſt graue vel leue, nec augmentabile vel alterabile, nec generabile, vt dicetur infrà: Quæ tamen omnia competunt alijs corporibus. Ergo quintum corpus perfectius elementis.

14. Præter hæc quinque corpora ſimplicia non aliud datur corpus ſimplex.

Non enim ſunt aliæ ſpecies motus ſimplicis, præter circularem, & rectum ſurſum, & rectum deorſum, quæ ſunt in iſtis corporibus primò & per ſe, vt dictum eſt: In alijs autem propter iſta. Non igitur eſt aliud præter dicta corpus ſimplex.

15. Motus circularis non habet contrarium.

Non enim contrariatur ei rectus, niſi ſecundum rationem quandam recti & circularis: Quia rectus ſurſum contrariatur recto deorſum. Vni ergo duo eſſent contraria. Nec circularis: Quia motus

motus illi ſunt contrarij, qui ſunt à contrariis terminis ad contrarios terminos, vt libro 4. diximus. Sed motus circulares, etiam ſi contra ſe moueantur, non mouebuntur à contrarijs terminis, ad contrarios terminos, imò ab eodem ad idem: vt ſi vnus incipiat à puncto verſus orientem, & alter ab eodem puncto verſus occidentem, tandem ad eundem punctum circulariter reuertentur. Quia enim in motu circulari mobile ſecundum ſe totum non mutat locum, habet parum de diuerſitate: Et ideo eſt à contrarietate diſtantiſſimum.

16. Vniuerſum non eſt infinitum magnitudine.

Quia nullum corpus, ex quo conſtat, eſt infinitum, non quidem cælum. Cùm enim viginti quatuor horarum ſpatio motum & curſum ſuum perficiat: Sequeretur, quòd tempore finito infinitum pertranſiret ſpatium. Quòd verò nullum aliud corpus ſit infinitum, 9. tertij libri concluſione probatum. Vniuerſum ergo eſſe finitum, ſequitur.

17. Mundus eſt vnus.

Tum quia, cùm ſit vnus primus motus, vt dictum fuit in præcedenti libro, oportet eſſe vnum primum cælum, & conſequenter vnum mundum: tum quia, cùm ſint tres ſpecies motus, ſc. ad medium, à medio, circa medium, neceſſe etiam eſt, tria corpora ſenſibilia eſſe, & conſequenter tria loca, locus grauis, qui eſt infimus, locus leuis, qui eſt medius, & locus circulariter moti,

qui eſt ſupremus. Cùm igitur leue ſit in medio loco, non ſunt plures mundi, quia tunc leue vel ſupra locum medium, vel infra foret, quod eſt impoſſibile.

18. Non poſſunt poni plures mundi.

Si enim eſſent plures mundi, terram vnius ad centrum alterius ferri oporteret: Quia omnia corpora ſimplicia eiuſdem ſpeciei ad eundem locum feruntur naturaliter, id quod & de alijs corporibus dicendum foret. Hoc autem eſt impoſſibile: Quia & terra aſcenderet, & ignis deſcenderet. Præterea mundus ex tota ſua materia conſtat, id eſt, comprehenditur tota materia mundi ſub cælo, & continet omnia genera corporum, vt patet ex ijs, quæ dicta ſunt, & omnes modos eſſendi: Vnde eſt vndiquaq; perfectus. Non igitur plures mundos, cùm iſte omnes perfectionum gradus contineat, neceſſe eſt fingere.

19. Extra cœlum nec locus, nec vacuum, nec tempus eſt.

Cùm enim ibi non ſit, nec poſſit eſſe corpus, eò quòd omnia corpora ſub cælo comprehendantur, non erit ibi locus: aliter eſſet fruſtra: Nec vacuum, quia vacuum eſt locus priuatus corpore: Nec tempus, quia ibi non eſt motus, cùm non ibi ſit corpus.

20. Ea, quæ ſunt extra cœlum, nec ſunt corpora, nec ſunt in loco, nec in tempore.

Hæc enim non ſunt extra cælum, vt in concluſione præcedenti dictum: Ergo quæ ſunt extra cælum, non ſunt talia. Ea,

21. Ea, quæ ſunt extra cœlum, ſunt inalterabilia, impaſsibilia, optimæ vitæ, per ſe ſufficientia, æterna, influentia in hæc inferiora, & ideo intranſmutabilia.

Cauſſa autem horum eſt: Quia ibi nullus eſt motus, ſeu alteratio, qua poſſint pati, vel alterari, nec habent vitam materiæ permixtam, & nullo ad eius conſeruationem, aut exetutionem operum ſuorum indigent. Non eſt etiam ibi ſucceſſio temporis, vt non poſſint eſſe æterne, & cùm ſint perfecta & ſufficientiſſima, ſunt cauſſa aliorum, & in alia influunt. Intranſmutabilia autem omnino ſunt tranſmutatione propriè dicta: Sed primum inter illa eſt omnino intranſmutabile, quocunq; modo accipiatur tranſmutatio, cùm ſit inter omnia optimum. Nam quod nullo modo tranſmutatur, eo, quod aliqualiter tranſmutatur, melius eſt: Ergo.

22. Corpus cœleſte nec graue, nec leue eſt.

Si enim eſſet graue vel leue, ferretur ad centrum, vel à centro. Si ergo hic motus ineſſet ei naturaliter, eſſet de natura quatuor elementorum, quod prædictus aduerſatur. Si autem aliquis iſtorum ineſſet ei præter naturam, alter ineſſet naturaliter, & ſequeretur idem, quod priùs. Non ergo eſt graue, nec leue. Vnde ſi pars aliqua cœlo detracta, medio collocaretur in aëre, neque ſurſum, neq; deorſum moueretur.

23. Cœlum eſt ingenerabile, & incorruptibile.

Nihil enim cœlo contrarium eſt. In generatione autem & corruptione oportet eſſe vnum ſubiectum, & duos terminos contrarios, ſc. formam & priuationem. Materia autem, quæ formam ſuſcipit, requirit diſpoſitionem ad formam. Vnde primò eſt in contrarijs diſpoſitionibus, & poſtea in ſimilibus & proportionatis formæ. Has igitur contrarias diſpoſitiones non habet cœlum, quia hæ ſunt præſertim: calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, ad quos conſequitur graue & leue, vt patet in elementis. Graue autem & leue non ſunt in cœlo: Ergo nec iſtæ aliæ impreſſiones, in quibus eſt alteratio. Non ergo cœlum peregrinas impreſſiones recipit, & idcirco non habet corpus ſibi contrarium: Vnde ab omnibus locus deorum conſtituitur.

24. Spiſſum & rarum non ſunt in cœlo contraria.

Contraria enim poſſunt eſſe in eodem ſubiecto proximo vel remoto. Dico autem remoto, quia in igne etſi non poſſit eſſe frigiditas: materia tamen prima ignis poteſt frigiditati eſſe ſubiecta. Sed ſtella non poteſt reduci ad diſpoſitionem partium cœli: Quia cùm cœlum ſit ingenerabile & incorruptibile, oportet etiam, quòd ſit augmentabile, id eſt, quòd non poſſit nec augeri, neque minui. Augmentum enim & diminutio non fiunt abſque aliqua generatione & corruptione, eò quòd alimentum ſuſcipit formam augmenta-

ti.

ti. Et ſimiliter non poterit alterari alteratione propriè dicta, quia nobis alteratio non eſt, niſi in ijs, quæ augeri poſſunt & minui, & generari, & corrumpi. Itaque partes ſpiſſiores cœli non poterunt rarefieri, nec rariores inſpiſſari, quia in cœlo non eſt generatio neq; corruptio, neq; augmentatio, neq; diminutio, nec alteratio propriè dicta. Rarum ergo & ſpiſſum non ſunt in cœlo contraria, cùm non poſſint in eodem ſubiecto ambo exiſtere. Sunt ergo ibi ſicut contraria in intellectu. Rarum enim & denſum in intellectu non ſunt contraria: Sed in rebus inferioribus, quia ſunt ibi per modum intellectus: ita etiam in cœlo tanquam in cauſſa & virtute. In rebus autem inferioribus ſunt contraria. Differunt ergo rarum & denſum, ſecundum quod ſunt in cœlo & in inferioribus, cuius ſignum eſt, quia in cœlo, quantò aliquid eſt magis denſum, tantò lucidius eſt. In inferioribus autem, quantò aliquid denſius, tantò opacius.

25. In cœlo non eſt tantùm vna ſphæra circulariter mota.

Cùm enim cœlum moueatur circulariter, neceſſe eſt eſſe aliquod, circa quod voluatur, medium, quod quidem medium naturaliter in centro quieſcat, & hoc non eſt niſi terra. Si autem terra eſt, etiam ignis eſt: Quia poſito vno contrariorum, ponitur & reliquum, vt dictum eſt. Si autem hæc ſunt, oportet eſſe aërem

&

& aquam: Quia hæc ſunt contraria igni & terræ ſecundum aliquas qualitates: Et etiam poſitis extremis, neceſſe eſt ponere media. Si autem hæc ſunt, cùm ſint contraria ad inuicem, neceſſe eſt generationem & corruptionem eſſe: Continuè enim agunt & patiuntur ad inuicem. Si autem generatio & corruptio eſt: præter motum vniformem cœli, alios motus differentes eſſe, ex quibus cauſſetur deformitas generationis & corruptionis, neceſſe eſt: Et ſic in cœlo plures futuræ ſphæræ.

26. Terra eſt ſphærica.

Oportet enim terram in medio mundi eſſe: Quia naturaliter graue fertur ad mediū, vnde etiam in medio naturaliter quieſcit. Quia ergo partes naturaliter feruntur ad locum totius, ideo partes terræ ad medium latæ ſe inuicem comprimunt, ex omni parte ad medium tendentes, & ſic terra rotundatur. Signum autem huius eſt, quia, quando luna deliquium patitur, obſcurum illius & lucidum per lineam circularem diſtinguitur: Vnde vmbram terræ, quæ intermedia eſt, rotundam eſſe colligitur. Et per conſequens ipſa terra erit rotunda.

27. Cœlum ſupremum eſt ſphæricæ figuræ.

Figura enim prima eſt attribuenda primo corpori. Hæc autem eſt figura ſphærica, cuius ratio eſt, quia hæc eſt ex lineis circularibus: aliæ autem figuræ ſunt ex lineis rectis. Figura autem

circularis ſit ex vna linea tantùm, rectæ autem ex multis: Vnum autem eſt prius pluribus. Et præterea linea circularis eſt perfectior, quia nihil ei poteſt addi. Lineæ autem rectæ, ſi eſt finita, poteſt aliquid addi, & ſic eſt imperfecta. Si autem eſt infinita, nihilominus eſt imperfecta, quia caret fine. Sicut igitur ſe habet linea circularis ad lineam rectam: ita & figura ſphærica ad figuram rectilineam. Figura igitur ſphærica eſt perfectior & prior cæteris figuris: Et ideo primo cælo conuenit.

28. Inferiores ſphæræ ſunt ſphæricæ figuræ.

Cælum enim ſupremum tangit eas, & vtrobiq; eſt eiuſdem naturæ, ſc. in concauo & in conuexo: Vnde etiam in concauo eſt ſphæricum. Si ergo aliæ ſphæræ in conuexo non eſſent ſphæricæ, daretur vacuum inter ſphæram & ſphæram. Signum autem huius eſt, quia terra eſt rotunda, & aqua quoq; ad rotunditatem tendit: Quia o*mnes partes eius tendunt ad infimum. Aër quoq;, quia æqualiter partes eius concurrunt ſurſum, & ſimiliter ignis: Vnde etiam corpora cæleſtia rotunda & ſphærica eſſe, conueniens eſt.*

29. Aſtra ſunt ſphæricæ figuræ.

Sunt enim partes cæli, & eiuſdem naturæ cum eo, vt probabitur: Ergo oportet quòd ſint eiuſdem figuræ cum cælo, & hoc in lunæ augmento manifeſtum eſt. Non enim illo modo faceret augmentum luna, niſi eſſet ſphærica. Eadem autem, quæ de luna, & de aliis ſtellis eſt ratio. Omnes ergo ſunt figuræ ſphæricæ.

Aſtra

30. Aſtra de natura corporis cœleſtis ſunt.

Nam mouentur circulariter, ſicut corpora cœleſtia, & obtinent eundem locum. Loca autem conſequuntur naturas corporum. Item ſi non eſſent de natura cœli, cùm nec etiam ſint elementa, eſſent compoſita ex elementis, quod eſt falſum: Quia locus aſtrorum non eſt locus compoſitorum. Nam non ſunt plura corpora ſimplicia, præter quatuor elementa, & cœlum, vt dictum eſt ſuprà: Igitur de natura cœli ſunt.

31. Cœli & aſtra differunt ſpecie.

Patet hoc primò ex diuerſa eorum operatione ſpecifica. Secundò ex motu naturali. Nec enim omnia mouentur eodem modo & eodem motu: Vnde ſunt eiuſdem generis, non tamen eiuſdem ſpeciei. Et conſtat vnumquodque indiuiduum ex tota ſua materia, ſicut totum vniuerſum conſtat ex tota ſua materia ſuæ ſpeciei. Non enim eſt generatio ibi vel corruptio: Et hoc propter eorum perfectionem. Differunt ergo ſpecie à cœlo, & eadem quoque inter ſe ratione.

32. In ſuprema ſphæra ſunt multæ ſtellæ: in aliis autem vna tantùm.

Rationabiliter enim hoc factum eſt, quia ſuprema ſphæra eſt maioris dignitatis & actiuitatis, quam cæteræ: Quia cùm primo motori propinquior ſit, plura quoque inſtrumenta, quæ ſunt aſtra in eo, ſicut nodi in ligno, fixa, quàm cæteræ ſphæræ, ad operandum habere debuit.

Cœ-

33. Cœlum eſt animatum.

Hoc enim pertinet ad dignitatem cœli, vt à principio coniuncto moueatur. Quomodo autem hoc principium ſit ei coniunctum, ſano modo intelligendum. Non enim eſt forma cœli, quia hæc anima nequit eſſe vegetatiua, eò quòd in cœlo nec nutritio, nec augmentatio, nec generatio ſit, nec ſenſitiua etiam, quia non abſque vegetatiua, vt inferiùs patebit, foret. Nec quoque intellectiua: quia animæ intellectiuæ melius eſſe extra corpus, quàm in corpore foret, niſi indigeret perfectionis in corpore per ſenſus acquiſitione. Si autem non haberet hanc indigentiam: natura ageret quod deterius ei eſſet, infundendo eam in corpus. Si ergo anima cœli infunderetur in corpus cœli; propter iſtam indigentiam foret, nec alia infuſionis huius cauſſa appareret: Cœlum ergo ſenſibile & vegetabile eſſet, quod improbatum eſt, Itaq; hoc principium mouens cœlum non eſt ei coniunctum ſicut forma, ſed ſicut motor, quod mouet amando & deſiderando primum mouens. Cœlum igitur animatum, non per formalem inhærentiam, ſed aſſiſtentiam.

34. In cœlo eſt ſurſum & deorſum, antè & retrò, dextrum & ſiniſtrum.

Eſt enim animatum quoddam, habetq; in ſe principium motus inſtar animalium. Notabis verò, peripateticos ſitus diſtinctiones aliter cœlo, quàm poëtæ aut aſtronomi faciunt, attribuere. Nam

Nam ſurſum & deorſum à cœli metiuntur verticibus, quòd horum inter ſe intercapedo cœli longitudo nominetur. Vnde & hi ſoli hemiſphæriorum diſſimilitudinem conſtituunt, & quæ præter hos ſunt cœli partes, latera vulgo dicuntur. Dextrum verò & ſiniſtrum orientis atq; occidentis puncta definiunt: Atq; orienti quidem dextrum, vnde initium motus peti ſolet, ob id tribuitur: quia cœlum ab ortu in occaſum fertur, atq; adeò ſi quieſceret, & iterum moueri inciperet, ab oriente initium motus peteret. Antè deniq; in meridie, quia per meridiem in occaſum ab oriente motus fit: Retrò verò in Aquilone conſtituunt, vt qui Meridiei opponitur. Nam ſi fingamus hominem, dextram manum in Orientem, ſiniſtram in Occidentem, facie ad meridiem verſa, porrigere: ipſius vertex in polum antarcticum neceſſariò incumbet. Verùm admonetur hîc lector, hæc de primi cœli differentijs accipienda eſſe. Nam hæ ſitus diſtinctiones (ſi antè & retrò excipias) in inferioribus ſphæris contraria cernũtur ratione, propter contrariam videlicet motus in his rationem.

35. Cœlum rationabiliter mouetur ab Oriente & ſurſum.

Ratio: Nam hæc pars dextra eſt. Verùm cauſſa huius partium diſpoſitionis eſt intelligentia, quæ ita ſe habet ad ſphæram: Vnde & in ipſam, velut in cauſſam, reducitur.

36. Cœlum mouetur regulariter.

Eſt enim motus eius primus & menſura omnium:

omnium: igitur regularis. Præterea ſi eſſet irregularis, aut eſſet propter tranſmutationem mobilis, aut mouentis. Sed mobile eſt intranſmutabile in ſubſtantia, & figura, & forma: Ergo multò magis mouens. Non ergo irregulariter mouetur.

37. Aſtra mouentur ad motum cœli.

Signum huius eſt: Nam ea cum cœlo occumbere, & eandem inter ſe, exceptis planetis, diſtantiam ſeruare, videmus. Non enim aſtra motu gyrationis, eandem ſemper verſus nos ſuperficiem ſeruando, mouentur: Nec motu volutationis, nunquam ſc. eandem ſuperficiem verſus nos ſeruando: Cuius ſignum eſt, quia eadem, quæ de luna, & de reliquis eſt ratio. Sed luna non mouetur hoc motu: Ergo nec alia. Cuius ſignum eſt, quòd ſemper eandem ſuperficiem, & eundem ſitum illius ſuperficiei ſeruet, velut ex maculis illis, quæ in ea ſemper eodem modo apparent, patet. Illud autem ſignum vel maculam illam habet, quia cauſſa infima, in qua effectus minùs vniformiter inueniuntur, vel quia in ea præexiſtit effectus infimus, qui eſt terra, vnde ei aliqualiter aſſimilatur.

38. Sphæræ inferiores mouentur tardiùs vel velociùs, ſecundum diſtantiam à prima.

Tardiùs quidem motu ſecundo, qui eſt motus proprius earum: Velociùs autem motu primo, qui eſt motus primæ ſphæræ, quem ſupponimus, eſſe ſimplicem, id eſt, non compoſitum ex

pluribus motibus, ſicut eſt motus ſecundus. Cùm enim prima ſphæra ſit propinquiſſima ſubſtantijs ſeparatis ſempiternis, habet tantùm vnum motum, qui propter ſuam vniformitatem eſt cauſſa ſempiternitatis in inferioribus. Aliæ verò ſphæræ, quia magis recedunt ab illis, appropinquando corruptibilibus, aliquid participant de motu primo, & aliquid de ſecundo, qui eſt cauſſa corruptionis & generationis, ſic tamen, vt ſuperior planeta, ſcilicet Saturnus, minimum habeat de ſecundo propter nobilitatem ſuæ naturæ: Ideo hic motus tardior in illo eſt. Curſum enim ſuum in 30. annis peragit. Vltimus autem, ſc. Luna, propter appropinquationem ad corruptibilia, maximè habet de ſecundo motu, qui in ea velociſſimus exiſtit: Nam in menſe curſum ſuum perficit. Medij autem medio modo ſe habent. Et in quantum quidem naturalis eſt, plus vel minus ipſum, ſecundam à prima ſphæra diſtantiam, participant. Sed quia etiam voluntarius eſt, prout meliùs eſt, variatur proportio. Et Iupiter quidem, qui eſt poſt Saturnum, motum ſuum 12. annis perficit: Mars verò in duobus. Sol autem, Venus, & Mercurius ferè intra annum. Nam motus Veneris & Mercurij motui Solis, ei deſeruientes, colligantur. Secundum primum verò motum velocitas & tarditas iuxta diſtantiam à prima ſphæra variatur. Et de hoc ſimpliciter verificatur concluſio, cuius ſignum, quòd etiam ſuperiores & maiores ſphæ-

ræ

ræ raptu diurno circumrotentur: Vnde, eas velocius moueri, patet.

39. Calor è ſtellarum motu & lumine generatur.

E motu quidem, quia motu cœli ignis, qui tangit orbē Lunæ, & ſimiliter aër, ei propinquus, mouetur: Et ſic ex confricatione & motu cauſſatur calor. Quia enim motus localis eſt cauſſa aliorum motuum, præcipuè eſt cauſſa primæ alterationis, quæ eſt calefactio. E lumine autem, quia lux eſt qualitas primi alterantis, id eſt, cœli: ideo primam qualitatem directè inferiorum corporum cauſſat: Hæc autem calor eſt. Dicuntur autem aſtra quædam propter alias quaſdam, quas habent, proprietates infrigidare. Secundum quod igitur calor è motu cauſſatur, ſuperiora corpora inferioribus calidiora ſunt. Secundum quod autem è lumine cauſſatur, inferiora, propter reflexionem radiorum, calidiora exiſtunt. Vnde regio aëris media frigidior cæteris extat.

40. Orbes & aſtra ſuo motu ſonum non edunt.

Falſò enim Pythagorei ſupernis lationibus concentum adſcripſerunt. Non enim veriſimile eſt, cæleſtium corporum ſonum, ſi quis eſſet, noſtras poſſe aures fugere. His accedit, quòd corporum cæleſtium non modò nulla aſperitas ſit: verùm etiam ſupra ignem nullum ſit medium, in quo ſonus, qui tantùm in aqua, aëre, & igne excitatur,

effici poſſit : Tum quia etiam foret inutilis , imò potiùs res deſtrueret.

41. Elementa mouentur ſurſum vel deorſum : quia ſic ſunt naturaliter nata moueri.

Cùm enim quod mouetur naturaliter, ex quodam termino determinato à determinato mouente, in determinatum terminum moueantur : id quod mouetur ſurſum vel deorſum,hoc modo moueatur, neceſſe eſt. Et quia quod ſic mouetur, graue vel leue, aut ſimpliciter ſeu reſpectiuè, ſecundum quod in potentia ſunt ſurſum vel deorſum, eſt : Sequitur, quòd terminus huius motus, ſc. eſſe ſurſum vel deorſum, ſit perfectio & finis. Quod enim eſt in potentia ad aliquid, eius in illo eſſe perfectio & finis eſt. Mouens etiam, mobile ad perfectionem & finem ſuum mouet : Igitur grauia & leuia ſurſum vel deorſum,ſicut in finem mouentur : Et conſequenter, quia ſunt ſic moueri apta. Confirmatur, quia cùm locus ſit terminus vltimus corporis continentis : terminus autem habeat rationem actus & perfectionis:Locus habebit rationem perfectionis & formæ, & conſequenter finis. Vnde moueri ad ipſum eſt moueri ad ſimile ſecundum naturam propter virtutis conſeruationem. Naturaliter ergo mouentur ad iſta loca : Differenter tamen ad ea, quando ſunt in potentia eſſentiali,mouentur, cùm ſc. generantur, antequam habeant formam ſuam : Nam tunc ſimul generantur & mouentur. Et cùm ſunt in

in potentia accidentali, cùm ſc. iam generata ab aliquo extra loca ſua detinentur. Nam tunc non idem tempus motus & generationis ipſorum eſt: Item primo modo à generante, quod dat formam, ad quam conſequitur motus ille: Secundo autem modo a remouente prohibens, aut ab eo, à quo repulſa reſiliunt, mouentur.

42. Cauſſa grauitatis & leuitatis in compoſitis ſunt corpora ſimplicia, hoc eſt, elementa.

Primum enim in vnoquoq; genere cauſſa aliorum eſt. Cum igitur elementa ſint prima grauia & leuia, cauſſa grauitatis & leuitatis in alijs ſunt. Unde prout compoſita diuerſimodè participant ſimplicia, diuerſimodè ad grauitatem & leuitatem, & conſequenter ad motum grauium & leuium ſe habent. Mouentur enim ſecundum elementum prædominans, & hinc illis quædam accidit diuerſitas: Quia quædam non videntur æqualiter grauia & leuia in quocunque loco propter ſimplicium, ex quibus componuntur, diuerſitatem. Sic lignum ponderis talenti vnius grauius in aëre eſſe, & velociùs plumbo vnius oboli deſcendere videmus: E conuerſo verò in aqua euenit: quòd omnia elementa præter ignem, grauitatem in loco ſuo, vt infrà dicetur, habeant. De terra quidem & aqua patet: de aëre autem verificatur ſaltem quoad partem propinquam aquæ & terræ, quæ propter diuiſibilitatem aëris incraſſatur. Et talis eſſe aër, qui in compoſitionem mixto-

 rum

rum venit, videtur. Prout ergo aliquod compoſitum plus, vel minus de virtute vnius elementi, quàm alterius habet: Sic tardiùs vel velociùs in loco eius mouetur: Et ita lignum, quod participat magis de aëre, quàm plumbum, quod magis participat de terra & aqua, velociùs mouetur in aëre, econuerſo autem in aqua.

43 Elementum continens habet rationem formæ: Contentum verò rationem materiæ.

Primò quidem, quia continere & terminare ſunt conditiones formæ: Contineri verò & terminari ſunt conditiones materiæ. Secundò, quia in omni genere perfectius habet rationem formæ: imperfectius verò rationem materiæ, ſicut de albo & nigro, calido & frigido patet. Locus autem ſurſum eſt dignior, quàm locus deorſum. Igitur ille rationem formæ, iſte materiæ habet. Et ſi ita ſe loca habent, & corpora, quæ in illis ſunt, eandem rationem habere debent: Unde & materia ipſorum, prout eſt in potentia ad formam leuis, habet rationem formæ, & prout eſt in potentia ad formam grauis, habet rationem materiæ. Licet enim ſit vna & eadem ſecundum ſubſtantiam per priuationem omnis formæ: Eſt tamen alia atque alia ſecundum rationem, prout ad diuerſas formas, quibus diſtingui debet, comparatur. Hinc eſt, quòd corpus habens materiam idoneè ſe habentem ad leuitatem, puta determinatam per caliditatem, eſt leue ſimpliciter, & ſur-

ſurſum fertur, quàm diu talem habet materiam, vt de igne patet. Quod autem habet materiam contrariè ſe habentem, ſc. determinatam per frigiditatem, eſt graue ſimpliciter, & tendit deorſum, vt de terra conſtat: Quod autem medio modo ſe habentem nactum, ſcil. determinatam caliditate & frigiditate, remiſſè graue, & leue reſpectiuè eſt, & mouetur ſurſum & deorſum, non ſimplieiter, ſed reſpectiuè, quemadmodum aqua & aër, qui tamen aquæ ſupereminet.

44. Elementa intermedia habent grauitatem in locis proprijs: leuitatem autem in ijs, quibus ſuperferuntur.

Signum huius eſt: Quia ſubtractis corporibus, ſubſtantibus eis, mouentur deorſum ad ea, quæ conſequuntur: Sicut remota aqua, ſuccedit aër in locum eius, & remota terra mouetur aqua ad locum eius. Si autem remoueatur ignis, non aſcendit aër ad locum eius, niſi per violentiam: Et ſimiliter remoto aëre, non mouetur aqua ad locum eius, niſi violenter. Obſeruatum hoc experientia de aëre, de quo tamen magis dubitandum videtur: quia vter inflatus eſt grauior, quàm non inflatus. Et hoc intelligendum eſt, vt diximus ſuprà, de aëre, non ſecundum ſuam diſpoſitionem naturalem, ſed ſecundum quod infrigidatur & incraſſatur, qualis

eſt aër terræ & aquæ contiguus. Quando autem iſta elementa intermedia ſunt in locis eorum, in quibus ſuperferuntur, tendunt ſurſum ad loca ſua: Et ſic ibi habent leuitatem. Cauſſa eſt: Nam ſunt grauia & leuia in reſpectu, non ſimpliciter. Terra autem, cùm ſit ſimpliciter grauis, eſt vbiq; grauis: & ignis vbiq; leuis, quia eſt ſimpliciter leuis: Nec vnquam terra mouetur ſurſum, aut ignis deorſum, niſi violenter.

45. Differentiæ, quibus elementa mouentur ad loca ſua, ſunt æquales numero ipſis elementis, hoc eſt, quatuor.

Si enim vna tantùm in omnibus foret: Omnia ad locum vnum, puta deorſum, mouerentur. Qua data, ea, quæ ad motum deorſum inclinant, velociùs vel tardiùs, prout plus vel minus de illa participarent, mouerentur. Et ſic non aliquid ſimpliciter leue, cuius natura eſt ferri ſurſum ſimpliciter; nec ſimpliciter graue, cuius natura eſt moueri ſimpliciter deorſum, daretur, ſi differentia hæc illa, quæ ad motum ſurſum inclinat, foret. Sequeretur præterea, quòd aliqua pars intermediorum velociùs moueretur ſurſum, vel deorſum, quàm aliqua pars terræ vel ignis: Quia tanta pars, quæ plus de illa habet differentia, poſſet accipi: id quod inconueniens. Si autem duæ vel tres eſſent: aliqua pars aëris velociùs deorſum, quàm aliqua pars aquæ, moueri poſſet. Cuius tamen oppoſitum videmus; Quandoquidem, partem aliquam aëris plus de illis participare differen-

rentijs, poſſet contingere. Idem econuerſo de aqua, reſpectu motus ſurſum, dici liceret. Sint ergo quatuor differentiæ oportet, ita vt vnumquodque elementum, per quam ad locum ſuum moueatur, differentiam habeat propriam.

46. Figuræ elementorum non ſunt cauſſæ motuum ipſorum: tarditatem tamen & velocitatem adiuuant.

Quòd *non ſint cauſſæ, ſatis patet*: Quia *cùm figura pertineat ad quantitatem, non poteſt eſſe principium motus, ſicut nec ipſa quantitas*: Quatenus *tamen ad diuiſionem corporis, in quo ſit motus, facit, adiuuat. Figura enim lata, quòd multum de tempore ſuppoſito comprehendat, illud facilè diuidere nequit: Et ſic ſit motus tardus. Acuta verò faciliter diuidit, & ſit motum velocem reddit. Et hæc de cœlo & mundo breuiter dicta ſint.*

DE GENERATIONE ET CORRVPTIONE.

LIBER SEPTIMVS.

Summa & diſpoſitio libri VII.

POſtquam autor de his, quæ mouentur ſecundum ſitum, determinauit: hîc agit de his, quæ mouentur ſecundum alios mo-

 tus,

tus, & præſertim ſecundam generationem & corruptionem. Eſt enim motus localis primus motuum, & cauſſa aliorum. Deinde ſequitur generatio & corruptio: Poſtremò verò ſunt alteratio & augmentatio. Vnde primò agit de ipſa generatione & corruptione in genere. Secundò de mixtione, quæ fit per generationem & corruptionem corporum ſimplicium. Tertiò de generatione & corruptione ipſorum ſimplicium. Quartò de principijs & cauſsis generationis & corruptionis. Quoad primum: Primò declarat naturam generationis & corruptionis, definiendo eas in 1. concluſione, declarando naturalitatem earũ in 2. quoad generationem: In 3. & 4. quoad corruptionem, & diuidendo illas in 5: Per hæc enim earum declaratur natura. Secundò volens oſtendere differentias illarum ad alteratione & augmentationem, præmittit, quale ſit ſubiectum generationis & corruptionis in 6. & modum tranſmutandi in ipſis in 7. Deinde ponit differentiam ipſam: Ab alteratione quidem in 8. ſubiungens in 9. connexionem earum cum illa: Ab augmentatione verò in 10. Tertiò differentiam inter alterationem & augmentationem, in 11. conſtituit: Subiungens quædam circa augmentum, ſc. quot requirantur ad ipſum in 12. quomodo ſe habeat tam forma, quàm materia eius, quod augetur, in 13. &

quæ

quæ ſit cauſſa agens tam augmenti,quàm decrementi in 14. Quartò, agit de materia generationis & corruptionis: Quoad vnitatẽ quidem in 15. quoad ſeparationem à magnitudine, in 16. & quoad contrarietatem, cui ſubjicitur in 17. Hæc tria de materia illarum docet. Quoad ſecundum principale, ſc. mixtionem, multa declarat. Primò, quòd non poſsit ſine tactu miſcibilium, & ſine actione & paſsione eorum ad inuicem fieri: Præmittens, quid ſit tactus, ſeu quæ requirantur ad tactum, in 18: & quomodo ſe habeat agens & patiens, in 19. Secundò, quomodo miſcibilia maneant in mixto. in 20: Vnde in 21. quale ſit mixtum, quod generatur per comparationem ad miſcibilia, deducit. Tertiò declarat, quæ ſint bene & malè miſcibilia, in 22. Quartò oſtendit, quomodo formæ & qualitates elementorum inſint mixto: Quoad formas quidem in 23. & 25. oſtendens, non eſſe in eo actu, ſed virtute. Quoad qualitates autẽ in 24. quam interponit, quòd 25. deſeruiat. Demũ omnia elementa concurrere ad mixtionem, in 26. oſtendit. Quoad tertium principale, ſc. generationem & corruptionem elementorum, de quibus hîc agit, quia priùs reperiatur in illis & per illa in alijs: Primò vnitatem materiæ ſubiectæ in 27. monſtrat. Eſt enim hoc primum requiſitum, & cauſſa, quòd generentur & corrumpantur inuicem.

Secundò

Secundò ordinem & numerum qualitatum, quibus ſubjicitur talis materia, & quibus elementa inuicem agunt & patiuntur, in 28. Nã hoc ſecundò ad eorũ generationem & corruptionem requiritur. Tertiò manifeſtat, quomodo ex ſe mutuò generentur & corrumpantur: Quoad omnia quidem in 29. quoad ſymbola verò in 30. & 31. Quartò declarat ordinem generationis ipſorum in 32. Et quia omnia, quæ generantur, in aliquo loco generantur, iuxta numerum elementorum oſtendit loca in 33. Quia verò virtute qualitatum & formarum ſuarum inuicem generantur, demum, quomodo ſe ad qualitates contrarias habeant, in 34. oſtendit, & quales ſint earum formæ in 35. ſubſtantiales & indiuiſibiles eſſe, conuincens. Quoad quartum principale, ſc. principia & cauſſas generationis & corruptionis: Primò deducit eorum identitatem, reſpectu omnium generabilium & corruptibilium in 35. Secundò manifeſtat ſpecialiter cauſſam agentem tàm ipſius generationis & corruptionis, in 37, quàm continuationis earum in 38. Tertiò tria hinc: Primò, quæ ſit menſura omnium temporalium in 39. Secundò, quis finis motus cœli in 40. Tertiò diuerſitatem eorum, quæ generantur generaliter in 41. deducit.

Concluſio ſiue regula prima.

Gene-

1. Generatio de non eſſe ad eſſe: Corruptio verò de eſſe ad non eſſe mutatio eſt.

Dico autem mutatio & non motus: Quia generatio & corruptio non ſunt motus, ſed magis termini motus, veluti ſuprà lib. 4. concluſ: 7. & 8. determinatum.

2. Generatio eſt naturalis.

Habet enim principium naturale & terminum naturalem, qui eſt forma & ſubiectum naturale, quod eſt materia: Eſt igitur naturalis.

3. Corruptio eſt naturalis.

Contraria enim ſunt in eodem genere, & corruptio contrariatur generationi: Ergo. At etiam corruptio conſequitur principia naturalia, ſc. actionem naturalem contrariorum, quæ contra ſe agunt naturaliter: Ex qua actione ſequitur corruptio. Ideo aliquo modo naturalis eſt.

4. Corruptio non eſt de intentione naturæ per ſe, ſed per accidens.

Cùm enim ratio boni ſit ratio appetibilis, non poteſt appetitus ferri in malum, in quantum huiusmodi, ſed in quantum aliquod conſequitur bonum. Nulla igitur res appetit ſui vel alterius corruptionem, niſi in quantum aliquod bonum appetit, cui illa corruptio coniungitur. Hoc autem eſt eſſe intentum per accidens: Ergo natura corruptionem non intendit.

5. Generatio eſt duplex.

Quædam eſt, per quam acquiritur eſſe ſubſtantiale, & eſſe ſimpliciter: Vnde dicitur generatio

heratio ſimpliciter, & eſt in ſola ſubſtantia. Quædam eſt, per quam acquiritur eſſe accidentale, quæ dicitur generatio ſecundum quid. Dicitur etiam generatio ſimpliciter, quando aliquid per mutationem accipit perfectius eſſe, quàm habebat, vt ſi ex aqua generaretur ignis: Secundum quid autem, quando accipit eſſe imperfectius, vt ſi ex igne generaretur terra. Eſſe enim imperfectius eſt quaſi non eſſe reſpectu perfecti. Amplius etiam generatio ſimpliciter eſt, quando fit mutatio ab aliquo, quod ſe habet per modum priuationis ad habitum, vt cùm mutatur aliquid de frigido ad calidum: Et econuerſo dicitur generatio ſecundum quid, quia priuatio non eſt reſpectu habitus.

6. Omne quod generatur, ex non ente ſimpliciter, & ex ente in potentia generatur.

Non enim generatur aliquid ex ente in actu, quod ens eſt ſimpliciter, quia eſſet antequam generaretur. Quod autem generatur, nondum eſt, nec etiam ex nihilo, quia nihil generatur ex nihilo: Ergo ex ente non ſimpliciter, quod eſt ens in potentia, non in actu.

7. In generatione ſimpliciter totum in totum tranſmutatur.

Quanquam enim eadem materia remaneat ſecundum rem: Tamen eſt alia atque alia ſecundum rationem, in quantum ſub hac & illa forma eſt. Vnde dicimus ex aqua fieri ignem, & econ-

uer-

uerſo: Nec tamen dicimus, ex parte aquæ. Et hoc idem poteſt aliqualiter dici de generatione accidentali, accipiendo totum ipſum ſubiectum cum accidente, puta hominem muſicum, qui mutatur in hominem non muſicum.

8. Generatio differt ab alteratione.

Generationi enim & corruptioni ens in potentia tantùm ſubijcitur: Alterationi verò ens in actu. Vnde generatio & corruptio terminātur ad ſubſtantiam vel priuationem ſubſtantiæ; Alteratio verò in qualitate conſiſtit.

9. Remotis generatione & corruptione, remouetur etiam alteratio.

Remoto enim termino, remouetur etiam motus. Alterationes autem ordinatæ ſunt naturaliter ad generationem & corruptionem, & omnes motus: Maximè autem alteratio participat aliquid de generatione & corruptione. Remoto autem principali, & ſecundarium remouetur: Ergo &c.

10. A generatione & corruptione augmentum & decrementum differunt.

Quia hæc habent ſubiectum in actu: illa verò in potentia. Et illa ſunt in ſubſtantia, & hæc in quantitate.

11. Augmentum & alteratio differunt.

Sunt enim in diuerſis prædicamentis. Præterea in augmento ſemper aliqualiter variatur locus: non autem in alteratione.

In

12. In augmento tria requiruntur.

Primò vt maneat, quod augetur. Secundò vt fiat aliquo adueniente, ſicut diminutio fit aliquo recedente. Tertiò vt qualibet pars aucti ſit aucta: Vnde non propriè ignis ex appoſitione lignorum augetur.

13. In eo, quod augetur, materia fluit, ſed forma remanet.

Nam forma ſe babet ſicut continens, & materia ſicut contentum. Sicut ergo idem vas fluente aqua, eſt ſemper idem vas plenum, poſito quòd aqua fluat: Ita ſemper idem animal, remanente eadem forma, poſito quòd materia fluat. Vbi enim remanet idem eſſe, remanet etiam eadem res ſimpliciter. Vbi autem remanet eadem forma, ibi remanet idem eſſe: Ergo.

14. Animatum eſt agens, quod nutrit, augmentat, & generat.

Habens enim has operationes, non niſi animatum. Agens autem, quo eſt forma ſubſtantialis, id eſt, anima: Virtute tamen nutritiua, augmentatiua, vel generatiua adiuuante. Quando igitur ita valida augmentatiua virtus, vt plus, quàm deperditum ſit de nutrimento, in nutriti ſubſtantiam conuertat, augmentum fit: Vbi verò imbecillis, tunc corpus diminuitur: Quantò autem plus de nutrimento, vel extraneo humido radicali apponitur: tantò magis deficit virtus: Quemadmodum vini generoſitas ex admiſſione aquæ proſternitur.

Materia

15. Materia omnium generabilium & corruptibilium vna eſt.

Materia enim eſt primum ſubiectum, quod eſt in potentia ad omnes formas inferiorum corporum. Vnde cùm ex inuicem res iſtæ generentur & corrumpantur: aliquod vnum ſubiectum commune, ſuſtinens contraria, eſſe oportet.

16. Materia non eſt ſeparata à magnitudine, nec ſecundum locũ, nec ſecundũ eſſe.

Secundum locum quidem: Quia aliter non eſſet in loco, nec per ſe, nec per accidens: Et ſic quod generatur, ex ea nuſquam eſſet. Secundum eſſe autem: Quia ab ipſa magnitudine accipit eſſe corporeum, ſicut à forma ſubſtantiali eſſe ſimpliciter. Non enim eſt in corpore, ſicut vinum in dolio.

17. In generatione & corruptione dare materiam contrarietati ſubiectam oportet.

Vnum enim contrarium non poteſt eſſe alterius materia. Non enim fit alterum ex altero, tanquam ex ſubiecto: Nec fit ex nihilo, ſed ex materia contrario ſubiecta. Ideo materia nunquam ab altero contrariorum ſequeſtratur.

18. Tactus naturalis tria requirit.

Primò, vt tangentia habeant poſitionem. Sunt enim in loco, quæ ſe tangunt. Secundò, vt eorum vltima ſimul ſint: Sic enim definiuntur tangentia, vt ſuprà diximus. Tertiò, vt agant & patiantur ad inuicem. Quando igitur non agunt aut patiuntur ad inuicem, quæ ſe tangunt, tactus

eorum non eſt naturalis, ſed mathematicus. Intelligentiæ ergo, quæ mouent cælum, non tangunt cælum naturaliter: Quia non alterant nec agunt, niſi mouendo localiter. Et hoc modo poſſunt dici, tangere: nullo tamen modo tanguntur à cælo: Et ſimiliter cælum tangit iſta inferiora, & nullo modo ab eis tangitur, niſi mathematicè. Elementa autem tangunt ſe inuicem naturaliter.

19. Agens & patiens, aliquo modo ſimilia, & aliquo modo diſsimilia ſunt.

Sunt enim in genere & materia ſimilia: Quia agens & patiens ſunt contraria aliquo modo. Et contraria ſunt in eodem genere: Sunt autem diſsimilia in forma, quia ſunt contraria. Loquor autem de agente proprio, & patiente: non autem de vniuerſali & communi. Sicut enim mouens diſtinguitur in primum, quod poteſt eſſe immobile, ſaltem ab eo, quod mouetur ab ipſo: & in vltimum, quod non mouet, niſi motum: Ita agens diuiditur in primum, quod eſt impaſſibile, ſaltem ab eo, in quod agit: & vltimum, quod in agendo repatitur. Cuius diſtinctionis ratio eſt: Quia quædam agentia communicant in materia cum patiente, & hæc agendo repatiuntur: quædam non, & hæc ſunt impaſſibilia. Quodcunque tamen agens ſit, ipſum eſſe diuiſum à patiente oportet, cùm nihil agat in ſeipſum, & cùm hoc illi approximatum, vel approximatione immediata, ſi agit in illud immediatè: vel mediata, ſi mediatè, id eſt, mediante alio, agit.

Miſci-

20. Miſcibilia non actu in mixto, ſed potentia tantùm manent.

Nam ſi manerent actu in mixto, iam non eſſet mixtio, ſed congregatio: Et non fieret vnum per ſe ex ipſis. Si autem nullo modo manerent, certè nullam poſſent facere mixtionem: Ergo in potentia tantùm remanent. Cuius ſignum eſt, quòd adhuc miſcibilia ſunt in potentia, vt ad propriam naturā per reſolutionem mixti reducantur.

21. In mixtione medium commune ad miſcibilia generatur.

Sunt enim in mixto miſcibilia, vt dictum eſt, potentia tantùm: Vnde oportet ex ipſis fieri quoddam medium, in quo ipſa ſint virtualiter. Quia ſi vnum eſſet ibi per excellentiam, non reductum ad mediocritatem quandam, conuerteret cætera ad ſuam naturam: Oportet ergo quoddam medium fieri. Nam mixtio nihil aliud eſſe videtur, quàm alteratorum miſcibilium vnio. Sunt autem miſcibilia, quæ communicant in materia, & inuicem agunt ac patiuntur.

22. Humida bene miſcibilia ſunt, niſi ſint vnctuoſa.

Faciliter enim reducuntur ad partes paruas, & parua, iuxta parua poſita, ſunt magis miſcibilia. Vnctuoſa autem non bene miſcentur: Quia ſupernatant propter abundantiam humiditatis aëreæ, vt patet in oleo, quod etiam propter viſcoſitatem non bene eſt diuiſibile. Cum lixiuio tamen ob ſiccitatem, quæ partes aëreas olei reſoluit, permiſceri dicitur.

23. Formæ elementorum non actu inſunt mixtis.

Si enim eſſent actu in mixto, haberent diuerſas naturas: Et per conſequens diſtinctas qualitates. Igitur in mixto eſſent diuerſa corpora. Hac igitur non eſſet mixtio, ſed congregatio. Præterea cùm vnaquæque forma requirat debitam diſpoſitionem, ſi ibi eſſent actu formæ elementorum: in mixto contrariæ qualitates actu forent, quod eſt impoßibile.

24. Qualitates elementorum in mixto, ſicut extrema in medio, ſunt.

Per actionem enim vnius ad alterum rediguntur illæ qualitates ad vnam mediam qualitatem, quæ eſt diſpoſitio formæ ſubſtantialis mixti: Sicut qualitas ſimplex eſt diſpoſitio formæ ſubſtantialis ſimplicis corporis. Extrema autem ſunt in medio aliquo modo, ſicut in pallido album & nigrum. Ergo hoc modo qualitates illæ mixto inſunt.

25. Formæ elementorum virtute in mixto ſunt.

Quia iam dictum eſt, quòd ſunt ibi qualitates tanquam in medio. Qualitates autem nõ agunt, niſi virtute formæ ſubſtantialis, maximè generando vel corrumpendo. Igitur in mixto formas ſubſtantiales elementorum ſecundum virtutem eſſe oportet.

26. In omni mixto quatuor concurrunt elementa.

Terra

Terra quidem concurrit, quod patet ex eo, quòd omnia ferè mixta ſunt in terra, tanquam in loco proprio, & mixta requirunt aliquam duritiem & craßitiem, quæ eſt in terra. Aqua quoque requiritur: Quia terra abſque aquæ humiditate veluti puluis, & non compacta foret. Ignis quoque & aër concurrit ad temperandum excellentias aquæ & terræ, quæ non debent eſſe in mixto. Poteſt tamen mixtum participare magis de potentia vnius miſcibilis, quàm alterius. Et ſecundum hoc poteſt eſſe magis calidum, quàm frigidum, vel econuerſo. Et ſic diuerſificatur, ſecundum quod diuerſificantur virtutes miſcibilium, id eſt, ſecundum proportionem virtutis vnius ad virtutem alterius.

27. Elementorum materia ſub contrariis qualitatibus vna eſt.

Elementa enim ſunt contraria: Quia naturaliter agunt & patiuntur inuicem. Ea verò, quæ agunt & patiuntur inuicem, ſunt contraria: Et per hoc tangere ſe dicuntur. Contrariorum autem vna eſt materia, & vnum ſubiectum: Igitur elementorum eſt vna communis materia. Præterea omnium generabilium & corruptibilium vna eſt materia, vti dictum. Cùm igitur elementa ſint de numero generabilium & corruptibilium: Ea vnam materiam communem habere neceſſe eſt.

28. Qualitates elementorum, quibus inuicem ſe tangunt, ad inuicem ordinem habent.

Primæ enim qualitates actiuæ ſunt calidum & frigidum: Secundæ autem paßiuæ ſunt humidum & ſiccum. Ceteræ autem ad iſtas reducuntur. Quia autem calidum ſubtiliat, & mouet ſurſum: frigidum autem congregat & conſtipat & immobile præſtat: Ideo ad calidum ſequitur leue, & ad frigidum graue. Quia autem humidum cedit, & non reſiſtit, maximeq́; repletiuum, cùm omnes ſubeat poros, & ſit flexibile, non niſi terminos alienos habens: Ideo ipſum molle ſequitur, quod non reſiſtit, & lubricum, quod eſt humidum paſſum à ſicco, quia eſt ibi humiditas ſiccitati admixta, & ſubtile, quod penetrat, & lene, quod fluit. Siccum autem reſiſtit, & non facilè totum replet, nec fluit, ſed proprios habet terminos: Vnde ipſum durum, & aridum, quod eſt perfectè ſiccum, & craſſum, & aſperum, quod eſt propter ſuam duritiem ſiccum, ſequitur.

29. Elementa ex ſe inuicem generantur & corrumpuntur.

Si enim generantur, aut ex aliquo corpore, aut ex non corpore: non quidem ex non corpore, quia ſi aliquod elementum vel aliquod corpus ex non corpore generaretur, cùm fuerit generatum corpus, occupabit locum, in quo generatur. Et cùm generatio fiat in inſtanti, erit neceſſe, vel quòd duo corpora ſint ſimul, vel quòd aliud corpus, quod ſubintrat, in inſtanti cedat, quod eſt impoßibile. Si autem dicas, non fuiſſe corpus aliud in loco, quem intrat: Tunc ibi eſſe vacuum, quod etiam eſt falſum,

ſum, ſequeretur. Non ergo generatur ex non corpore, ſed ex corpore: Non autem ex aliquo priori corpore, quia iſta elementa ſunt prima, ex quibus fit generatio: Nec ex poſteriori, quia poſteriora ex prioribus generantur: non autem econuerſo. Ergo generantur ex ſe inuicem. Dupliciter autem generantur inuicem, ſc. vnum ex altero, & vnum ex duobus. Vnum quidem ex altero generatur tàm in ſymbolis, quàm in non ſymbolis. Vnũ verò ex duobus generari, ſolùm in non ſymbolis contingit.

30. In ſymbolis facilis eſt tranſmutatio.

Ex aëre enim faciliter fit ignis, & econuerſo: Quia cùm conueniant in caliditate, facile eſt etiã, quòd conuertatur aër in ſiccitatem. Difficile autẽ eſſet, ex aqua facere ignẽ: Quia oporteret, quòd aſſimilaretur ei in caliditate & ſiccitate. Facilius enim eſt tranſmutare ex vno, quàm ex multis. In ſymbolis igitur facilis eſt tranſmutatio: In non ſymbolis verò difficilis. Dicuntur autem ſymbola, quòd in aliqua qualitate conueniant, ſicut dictum eſt de aëre & igne. Vnde ex aëre fit ignis, ſicco ignis dominante humido aëris: Et econuerſo ex igne aër, humido aëris dominante ſicco ignis. Et pari modo ex aqua terra, & econuerſo: Et ex terra ignis, & econuerſo.

31. Symbolum in tranſmutatione idem ſpecie, non autem idem numero remanet.

Variatur enim forma in tranſmutatione, & remanet materia prima. Si igitur remaneret qualitas eadem numero: Forma ſubſtantialis, quæ aduenit, non eſſet primò informans materiam, &

ideo non eſſet generatio ſimpliciter. Eadem ergo ſpecie remanet, non verò numero.

32. Vt terra ignis fiat, per media elementa tranſitum fieri non oportet.

Remota enim ſola frigiditate à terra, conueniet cum igne in ſiccitate, & ſic ſtatim erit ignis. Si autem tranſiret per media, priùs terram fieri aquam, quæ magis contraria igni eſt, oporteret: Et ſic difficiliùs conuerteretur in ignem, quàm priùs, cùm terra eſſet. Quia in ſymbolis facilior eſt tranſitus, quàm in alijs, vt dictum eſt.

33. Quatuor elementis quatuor attribuuntur loca.

Cùm enim ſint quatuor primæ qualitates, & contraria combinari non poßint, & ex quatuor qualitatibus ſex fiant combinationes, duabus, quæ ſunt impoßibiles, reiectis, remanent quatuor. Vnumquodque autem elementum habet vnam combinationem: Quatuor ergo ſunt elementa. Sed vnumquodque ſimplicium corporum habet proprium locum: Ergo oportet eſſe quatuor loca, videlicet ſimpliciter ſurſum, & ſimpliciter deorſum, & duo media.

34. Vnumquodque elementum eſt magis vnius qualitatis, quàm alterum.

Quia vnumquodque habet aliquam qualitatem, quæ conuenit ei primò. Igni enim primò conuenit caliditas, aëri humiditas, aquæ frigiditas, & terræ ſiccitas. Certum eſt enim, quòd igni primò conueniat caliditas. Cùm igitur aër ſit calidus

&

& humidus: neceſſe eſt ei conuenire non caliditatem primò, ſed principaliter humiditatem. Aquæ autem cùm non conueniat primò humiditas, quæ primò conuenit aëri, conueniet ei primò frigiditas. Terræ autem conuenit primò ſiccitas, non autem frigiditas: quia hæc primò conuenit aquæ ſecundum ſuam naturam elementalem, quamuis magis à cælo terra diſtet. Patet igitur, vnumquodque magis vnius, quàm alterius qualitatis eſſe.

35. Formæ elementorum non ſuſcipiunt magis & minùs.

Si enim ſuſciperent magis & minùs: tunc generatio elementorum & corruptio eſſet motus: Quoniam per intenſionem & remiſsionem formarum fierent. Præterea eſſentiæ ſunt velut numeri. Quocunque enim addito vel diminuto, variatio ſpeciei fit: Et ideo forma ſubſtantialis ſuſcipere magis & minùs nequit.

36. Principia generabilium & corruptibilium omnium ſunt eadem.

Diuerſimodè tamen. Nam principia extrinſeca, quæ ſunt mouentia, ſunt eadem: Siue ſint prima, quæ ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ: ſiue proxima, quæ ſunt corpora cæleſtia. Intrinſeca verò ſunt eadem analogia. Nam ipſa ſunt materia & forma, quæ non ſunt eadem numero in omnibus, ſed tantùm proportione: Et idem poſſumus dicere de fine proximo. Remotus autem eſt vnus numero, ſcil. perfectio vniuerſi, ſeu bonitas diuina, in vniuerſo repræſentata,

37. Cauſſa efficiens generationis & corruptionis eſt cœlum.

Eſt enim primum mobile, in quo eſt primus motus, qui eſt cauſſa omnis motus, & ſe habet ad iſta inferiora, ſicut perfectum & imperfectum. Perfectum autem eſt imperfectorum cauſſa: Ergo.

38. Cauſſa continuationis generationis & corruptionis eſt primum mobile.

Cùm enim vniformiter moueatur, eſt etiam cauſſa continuationis & vniformitatis. Cauſſa autem diuerſitatis, quæ eſt in generatione & corruptione, eſt circulus obliquus, & diſceſſus & appropinquatio Solis. Vnde in hyeme, quando Sol migrat, omnia corrumpi videntur. Nota quoq; materiam cum cælo, quòd generatio & corruptio non deficiat, cauſſam eſſe: Quia eſt vna, & nunquam deficit. Et generatio vnius eſt corruptio alterius, quia materia nunquam expers formæ eſt.

39. Omnia temporalia circulatione cœli menſurantur.

Primum enim in vnoquoque genere eſt menſura aliorum, & ideo omnia inferiora corpora vitam habent, & numerum & menſuram ex cæli reuolutione. In cælo enim eſt periodus vniuſcuiuſque rei: Quia in cæli circulatione eſt conſonantia & menſura dierum inferiorum corporum. Liberum autem arbitrium & intellectus hominis ſunt ſupra temporalia: vnde non ſubduntur circulationi cæli, quamuis mouendo humanum

num corpus multùm voluntatem indirectè inclinare poßit.

40. Motus cœli eſt gratia conſeruationis ſpecierum inferiorum corporum.

Non enim poſſunt conſeruari, niſi per generationem, cuius eſt cauſſa motus cœli. Maximè autem eſt hominis & animæ intellectiuæ gratia, quæ eſt nobiliſsima formarum: Vnde omnium rerum naturalium finis eſt.

41. Eorum, quæ generantur, quædam neceſſariò, quædam contingenter generantur.

Quemadmodum enim ſe habet Entis diuiſio, vt quædam ſint contingentia eſſe & non eſſe: quædam verò ex neceßitate ſint: Sic etiam fit in generatione. Nam quædam neceſſariò, quædam contingenter generantur. Neceſſariò quidem dicuntur generari, quæ habent cauſſam determinatam naturalem, vt ſi terra madeſcit, neceſſe eſt, eam vaporare, & ex vapore generari nubem, & ex nube pluuiam, & ex pluuia terram madefieri: Et ſic iterum illam vaporare, & ſic continuè. Vnde propter hoc generatio rerum eſt continua, ſcilicet propter circulum in ijs, quæ generantur. Contingenter autem generantur & fiunt, quæ non habent cauſſam determinatam. Et quod dictum eſt de cauſſa determinata, intelligitur, quando termini generationis ita ſe habent, vt vterque ſit tota materia

alterius:

alterius: Secus, quando non ita res ſe habet, vti de domo patet. Nam fundamento facto fieri domum non oportet.

Et hæc de generatione & corruptione dicta ſint.

DE IIS, QVÆ EX AQVÆ, TERRÆQVE EVAPORatione in ſublimi generantur.

LIBER OCTAVVS.

Summa & diſpoſitio libri VIII.

POſtquam in præcedenti libro de tranſmutationibus & paſsionibus elementorum in genere determinatum: de ijs hoc libro in ſpecie agitur. Conſideratio enim ſpecialis communem ſequitur, eámque perficit. Præmiſsis autem quibuſdam neceſſarijs ad propoſitum, primò determinat autor de ijs, quæ generantur in aëre: nomine aëris etiam ignem illi contiguum comprehendens. Secundò de ijs, quæ generantur in terra. Tertiò de ijs, quæ generantur in nubibus. Et quia hæc omnia generantur è terræ & aquæ exhalationibus: vltimò de ijs, quæ ſine tali generantur exhalatione, ex reflexione radiorum ſolis & ſtellarum, licet concurrat exhalatio ex parte eorum, in quibus fiunt, pertractat. Ea autem, quæ præmittit, ſunt tria; Scilicet cauſ-

cauſſa agens eorum, quæ generantur in dictis locis, in concluſione 1. Cauſſa materialis in 2. & locus eorum, quæ generantur, in 3. Quoad primum, initiò de ijs, quæ in ſublimi ex materia ſicca generantur, agit. Quorũ primum eſt Galaxia, ſiue via lactea, non quòd verè ex tali generetur materia, ſed quòd quibuſdam hanc concurrere exhalationem viſum ſit: id quod & Ariſtoteles ſenſiſſe videtur. De hac igitur in concluſione 4. quod primum problema eſt, tractat autor. Alterum eorum, quæ ex tali generantur materia, Cometa eſt, de quo in 5. Tertium ſub diuerſis figuris, ignes, de quibus in 6. quoad generationem eorum: Et quoad motum, in 7. Quartum colorum in aëre apparentium diuerſitas, de quibus in 8. Secundò de ijs, quæ ex materia humida generantur, peragit. Talia plurima ſunt, ſc. pluuia, de qua in 9. ros, de quo in 10. nebula, de qua in 11. caligo, de qua in 12. pruina, de qua in 13. nix, de qua in 14. nubes, de qua in 15. Poſthæc rurſum quædam de pluuia inſerit, ſc. motum eius in 16. & quorundã animalium cum ea deſcendentium, in 17. Item ſignum eius in 18. Inde de ijs, quæ ex eadem generantur materia: De grandine, quæ eſt aqua congelata, quoad eius generationem in 19. quoad formam in 20. & quoad effectum eius in 21. Deinde de quibuſdam guttis craſsis in 22. Et demum de

magnis

in 44. Et tertiò quoad effectum vnius illorum, ſcilicet fulguris, in 45. Quoad vltimum, ſcilicet de ijs, quæ ex reflexione radiorum Solis generantur, ſimiliter de tribus agit: Scilicet de Iride, oſtendens, quomodo generetur, in 46. de Halone circulo ſiue corona, lunam aut alia aſtra circa apparente, oſtendens quid ſit, & quomodo cauſſetur, in 47. Et de virgis ac parelijs in vltimo problemate.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Corpus cœleſte eſt cauſſa efficiens eorum, quæ in ſublimi generantur.

Eſt enim cauſſa omnis motus, & omnis generationis: Ideo prima cauſſa eſt primum mouens omnino immobile. Secunda verò illud, quod cælum mouet immediatè. Tertia verò ipſum cælum.

2. Euaporatio aquæ & terræ eſt cauſſa materialis proxima eorum: Aqua verò & terra eſt cauſſa materialis remota.

Aqua enim, cùm ſit liquida, eſt facilè vaporabilis, & cùm permiſcetur terræ, fit per actionem ſuperiorum corporum euaporatio à terra, & eleuatur in altum: Et ſic ex ea generantur multa. Igitur euaporatio eſt cauſſa proxima materialis: Terra verò & aqua cauſſa remota.

3. Ignis & aër ſunt loca generationis eorum.

Cùm

Cùm enim hæc corpora à medio ſurſum ferantur: In his eorum recipitur generatio, maximè autem in aëre. Quia verò de huiuſmodi demonſtrationes, certasq́ rationes non habemus: quæſtionum modo problematicè ea tractaturi.

4. Quare in cœlo Galaxia ſeu via lactea appareat.

Quia in illa parte ſunt multæ minimæ magnitudinis ſtellæ, inter quas nonnullæ ſunt magnæ, lumen in ſpatio illo diffundentes: vnde radius Solis, in eas incidens, quaſi continuus fit. Et quia illa pars orbis ſpißior, lumen retinet & repræſentat, terminatq́ viſum. Exiſtere verò in ſtellarum fixarum orbe Galaxiam, inde, quòd illius motu moueatur, patet.

5. Quare Cometæ fiant, maláque indicent.

Quando vapor terreſtris craſſus, & multùm ſibi cohærens, paulatim à terra aſcendit, atq; in ignis regionem pertingit, ab eo diffunditur & inflammatur: Et in medio remanens ſpiſſus, ex partibus continuè aſcendentibus terreſtribus igneis nutritur: Vnde in medio albeſcit craßior. Ad cætera verò tenuis flamma, nubis albæ inſtar, quæ vocatur coma, alitur. Hæc aliquando propter leuitatem ſuprà, aliquãdo à latere, aliquando infrà, aliquando circunſtat cometã, aliquando ab vtroque latere viſitur: Támque diu, quàm terreſtribus craßis humoribus nutritur, ſpectatur, atq; toto illo tempore ſubiecti ſui motu in circulum cietur. Quæ verò è

Cometis

Cometis prædici poſſunt, hæc ſunt: Fames, frequentia ventorum & terræ motuum, æſtus marini, morbi epidemici, bella & ſeditiones, heroum & principum naturalis & violenta mors. Primò, tutò prædici poteſt ex exortu cometæ penuria: Quia is cauſſatur ex multo vapore ſicco, calido terreſtri, ex intenſa & diuturna Solis caliditate eleuato. Terra itaque imbribus deſtituta, exucca remanet, continuoq́ æſtu aduritur. Vnde ſemina & vegetabilia arida, alimento deſtituta, marceſcunt: Hinc mortalium generi fames oboritur. Secundò frequentes venti ac terræ motus præſagiri poſſunt. Tunc enim temporis ex forti actione Solis plurimi vapores concluſi in viſceribus terræ generantur: Qui ſi exitu prohibeantur, terræ motus cauſſatur: Si verò liber ijs detur exitus, in aëra eleuati, eas partes fortiter feriunt, atq; ſic venti fiunt: Qui cùm mare turbant ac commouent, tertium illud, aquarum ſc. tempeſtates effectant. Quartum, peſtis ſc. facilè poteſt conijci. Nam vapor ſiccus, craſſus, calidus, terreſtris, qui Cometæ materia eſt, aërem maligna qualitate afficit, quem cùm homines & animalia inſpiratione attrahant, veneni fiunt participes. Quintò bella iure metuuntur. Tempore enim Cometæ ingens caliditas aëri imprimitur: Is ſpiritus in humano corpore exiſtentes inflammat, redditq́ cholericos. At cholera homines in iram & furorem agit: Ira vindictam meditatur ac intendit, ex qua prælia naſcuntur. Cùm verò bella

magnæ mutationes ſequantur dominiorũ, religionis, ac legum: Cometa hæc omnia dicitur denotare. Sextò mors tũ naturalis, tum violenta principum ſecurè prædicitur. Naturalis: Nam Cometarum tempore à Sole vehementer aër caleſit, is corpora, præſertim delicatè viuentium, alterat diſponitq́ ad ægritudines acutas, quæ vtplurimum ex Hippocratis ſententia lethales ſunt. Violenta: Nam tempore Cometæ plurima prælia committuntur, in quibus ſe principes & præſertim magnanimi periculis exponunt, ſæpiſſimeq́ in prælio cadunt.

6. Quare aliquando in cœlo ſub diuerſis figuris ignes appareant.

Quoniam per calorem Solis, terram inflammantis, vapores calidi & ſicci, ad ſuperiorem aëris regionem eleuantur, ibiq́ incenduntur. Quando igitur non æqualiter craſſi ſunt, ſubtiliores ſuper craſſos eleuantur, fitq́ quaſi columna. Sin autem æqualiter ſubtiles ſint: calidiores plùs eleuantur, & viſitur quædam veluti lancea. Item aliæ figuræ, vt candelæ, trabes, clypei, globi, faces, pyramides, iacula, &c. tempore ſereno nocte, & nonnunquam die conſpiciuntur.

7. Quare quidam ignes generati in aëre deſcendant, cùm tamen aſcendere ignis proprium ſit.

Quia aliquando vapori calido, ſicco, & craſſo aſcendenti frigiditas aëris ex aliqua nube, quæ in regione aëris exiſtit frigida, obuiat, à cuius cir-

cumſtante frigiditate caliditas vaporis expellitur, & ſic partes eius ignitæ mouentur & inflammantur per motum agitatæ. Et quia ſurſum aſcendere vapor propter frigiditatem nubis nequit, ab illa frigiditate deorſum protruditur, fitq́ traiectio.

8. Quare diuerſi colores noctu in cœlo appareant.

Quia in tenebris à frigore noctis & lumine ſtellarum vel lunæ ex aëre inſpiſſato, & ad humiditatem quandam cum vaporibus à Sole eleuatis conuerſo cauſſantur. Vnde pro ſua varietate varios noctu colores oſtendunt.

9. Quare pluat.

Quia à Sole & aſtris vapores calidi & humidi ab aqueis locis eleuantur, qui diu in aëre ſuſpenſi, & ob mediæ regionis contactum infrigidati denſantur, rurſumq́ à vicinarum regionum calore finduntur, & ſic pluuia fit. Quæ nubium reſolutio ſi ſubita & vehemens ſit, impetuoſæ pluuiæ: ſi lenta & moderata, placidi imbres deſcendunt.

10. Quare ros nocte cadat.

Quia cùm vapor humidus & frigidus, ſubtiliórque inter humidos vapores ſit, tempore maioris caloris die per appropinquationem Solis in eum aëris locum, qui temperatè calidus & humidus, aſcendit: Rurſumq́ recedente Sole ob noctis frigiditatem deſcendit.

11. Quare nebulæ ſerenitatem deſignent.

Quia nebulæ reliquiæ nubium & roris ſunt, & partes ſubtiliores vaporis roridi & pluuioſi, quæ propter frigus noctis ad partes inferiores aëris perueniunt. Et ideo aſcendente Sole propter eorum ſubtilitatem rareſiunt, & in aërem vertuntur: Atq; ſic aër purificatur. Vnde ſignum ſerenitatis nebulæ ſunt.

12. Quare nubes ſeu caligo aliquando ſerenitatis, aliquando tempeſtatis ſignum ſit.

Quia eſt admixtio quædam ſubtilis & craſſi vaporis ad terram, à frigore noctis vel aëris, depreßi. Et ideo reſoluto craſſo per guttas deſcendente remanet ſubtile, quod citò à Sole dißipatur, & fit aër ſerenus. Quando verò craſſum cum ſubtili, non facta priùs reſolutione, aſcendit, generatur nubes, & cauſſatur pluuia. Atq; ſic quoties deſcendit, ſerenum: quoties verò aſcendit, pluuiam ſignificat. Differunt autem nubes & caligo. Nubes enim eſt ille vapor craßior, qui tandem in aquam ſoluitur. Caligo verò quaſi ſuſpenſa nebula eſt, quæ diſpergitur, & euaneſcit diſperſa. Vnde caligo magis ſerenitatis: Nubes verò pluuiæ ſignum eſt.

13. Quare pruina fortiùs in materia terreſtri, quàm in alia, congeletur.

Quia pruina eſt vapor paucus & ſubtilis, qui ex aqua eleuatur & aggregatur, atq; vehementi frigore inſpiſſatur, quod quidem ipſi noctis dieq; obuium eſt: Vnde aſcendere ad locum roris nequit,

nequit, ſed ad mediam regionem aëris tantùm pertingit. Et quia frigus materiæ terreſtri magis, quàm alteri adhæret: ideo vapor pruinæ, talem attingens materiam, citiùs & fortiùs congelatur, quàm ſi tangeret aliam. Iccirco hyeme circa extremitates lapidum vel lignorum hæc cogitur. Sicut & lapides & dura metalla vere humeſcere, quòd frigus, in eis cauſſatum, per reſolutionem egrediatur, videmus. Differunt autem & conueniunt ros & pruina. Differunt quidem dupliciter. Primò, quia cùm fit ros, vapor ille non gelatur, quod facta pruina contigit. Secundò. quia ros temperiem requirit, non autem pruina, ſed frigoris lapſum: Vnde ros Auſtro, pruina verò Borea flante fit: niſi in ponto, vbi ſe contrario modo habent. Conueniunt autem, primò, quoniam ambo tempore ſereno & tranquillo fiunt. Secundò, quia neutrum fit in altis montibus, quòd vapor, ex quo gignuntur, denſior ſit, & parum caloris habeat: Montium præterea vertices vento agitentur, ob quod ibi vapor ille conſiſtere nequeat.

14. Quare nix fiat hyeme.

Quia nube calida ad mediam regionem aëris frigidam aſcendente, frigus loci vbiq; in aëre ſparſum expellit calidam nubis, non ſubitò, ſed ita, vt non poßit in pluuiã verti, ſed congeletur, induretur, atq; cadat. Vnde niuis futuræ ſignum eſt, quando nubes aërem turbat clara turbatione, & maximè, quando ſentitur aër calefieri aliquantulum, poſt viſionem talis in hyeme nubis. Et

quia huic vapori multum miſcetur terrei, aquæ niuis frequenter ſordidant & fœcundant terras, eò quòd calidum paulatim egrediendo in eis frigiditatem attemperat. Conueniunt autem pluuia, ros, pruina, & nix. Nam fiunt omnia hæc ob infrigidationem. Sunt item pluuia & ros idem, quemadmodum & nix & pruina: niſi quòd paucitate & multitudine differant. Nam aqua multo vapore, multis locis, & multo tempore collecta generatur: Ros autem ex pauco, & pruina ex gelato vapore, nix verò ex gelata nube fit.

15. Quare nubes generentur in media aëris regione.

Quia illa pars eſt frigidior, quàm ſint eius extrema. Nam ſuperior pars propter ignem propinquum eſt calida, & inferior propter reflexionem radiorum Solis, & excitationem euaporationis aquæ & terræ. Calor autem ignis, & reflexio radiorum, non poteſt totaliter ad medium peruenire: Vnde illa pars media remanet frigida, quæ dicitur media per abnegationem extremorum. Non quòd æqualiter diſtet ab extremis: Plùs enim diſtat à ſuperiori. Vapores igitur aſcendunt propter virtutem Solis, & radiorum Solis & ſtellarum, & congregantur in illa parte, & propter frigus plicantur, inuoluuntur, & inſpiſſantur, & fit aqua ex frigiditate. Sed ſi vlteriùs vapores aſcenderent, diſgregarentur & conſumerentur ab igne, & conuerterentur in aërem ſiccum & æſtuoſum. Dicitur autem, vapores

non

non tribus milliaribus longiùs, vel paulò etiam minùs à terra eleuari.

16. Quare pluuiæ cum maiori impetu æſtate quàm hyeme deſcendant.

Quia frigidum nubis inſpiſſatæ in media regione aëris expellitur à circumſtante calido in toto aëre diffuſo, quod comprimit nubem, & æſtate propter maiorem calorem aquas pluuiæ cum maiori impetu præcipitat.

17. Quare quædam cum pluuia cadant animalia.

Quia cùm calidum, quod eſt in nube, incipit euaporare, ſecum ſubtile humidum vehit, quod etiam in ſe habet aliquid de ſubtili terreo bene commixto: Vnde quoddam compoſitum viſcoſum fit, quod vbi ad aërem reducitur, incipit dureſcere, & in pellem quandam verti, in qua continuè pulſans calidum efficit ſpiritum, cui virtute ſtellarum ſenſibilis additur anima: Atq; ſic animalcula generantur & cadunt.

18. Quare rubens cœlum manè pluuiam, veſperi verò ſerenitatem portendat.

Quia ſi cælum manè rubeat, Solem vapores ex inferiori hemiſphærio ſecum ad ſuperius ducere, pluuiæq; materiam ſuppeditare: Sin autem veſperi rubeat, vapores ab hemiſphærio ſuperiori ad inferius ſecum vehere, nobiſq; purgatum aërem relinquere, ſigno eſt.

19. Cur grando frequenter Vere fiat.

Quia grando fit in latitudine, quæ eſt in medio

mediæ regionis aëris frigidiſſimæ, ex nube calidiſſima, quæ eſt ex vapore calidiſſimo, vnde optimè recipere frigiditatem poteſt: Quia calor eam diſgregando vndique apertam frigori ad ingrediendum præbet, cùm ſit raræ ſubſtantiæ. Cùm igitur tempore caliditatis calor vndique in aëre ſit expanſus: totum frigus ab aëre ad vnum locum expellitur, & ibi vehementer multiplicatur, & ſic in nubem ingreditur totam, & congregat aquam eius in grandinem. Quia autem cum impetu hæc frigiditas nubem intrat: ideo fortiter inſpiſſat, & congelat partes eius, eas videlicet, quas tangit excellens frigiditas: Eas autem, quas non tangit excellens frigiditas, non congelat, ſed congelat in pluuiam: ideo cum grandine pluuia deſcendit. Et quia Vere inuenitur in aere frigiditas derelicta ab hyeme, quæ calore huius temporis ſuperueniente expellitur: ideo in Vere frequentiùs grando fit. Æſtate autem & Autumno nulla frigiditas: quæ licet hyeme reperiatur, abeſt tamen, qui expellat, calor.

20. Quare parua & rotunda grando ſit.

Quoniam è ſublimi loco cadit. Nam deſcendendo reuoluitur & rotundatur, ideoq́ parua & rotunda: Quandoq́ tamen prope terram congelatur, & tunc maior, latiorq́ eſt.

21. Quare grando ea, quæ attingit, reddit inutilia.

Quia frigus calidum naturale in fructibus & plantis extinguit, & liquefacta terram ſterilem efficit.

Quare

22. Quare tempore calido quandoque guttæ craſſæ & raræ cadant.

Quia frigus nubem aquoſam calidam ingreditur, ſicut in generatione grandinis dictum eſt: excepto, quòd nubes eius plus de aëre habeat, neq; ſit frigiditas ad vnum locum expulſa, ſed frigiditate communi, quæ in media abundat regione aëris, nec ita, ſicut in grandine, fugatur frigus. Vnde tantum de frigore, quantum ad conuerſionem nubis in aquam, non ad congelationem ſufficit, ſuſcipit: Et idcirco guttæ illæ tactu ſentiuntur calidæ.

23. Quare tempore calido tam magnæ fiant congelationes.

Quia frigiditas tempore calido ad locum vnum expellitur. Virtus autem vnita fortior eſt ſeipſa diſperſa, & maximè quia aqua plùs calefacta, citiùs & fortiùs congelatur, quàm non calefacta, eò quòd frigidum vehementiùs operetur contra calidum, & calidum rarefaciat eam, reddatq; ad ſuſcipiendum frigus patulam.

24. Quare in terra gignantur flumina.

Quia vapores eleuati in aere in aquam conuerſi, de pluuia decidentes, flumina efficiunt. Similiter aër, viſceribus terræ concluſus, in aquam conuertitur. Et mare commune omnium aquarum principium eſt: Ab eo enim aquæ omnes, quæ nunquam deficiunt, egrediuntur, licet è pluuijs additionem recipiant.

25. Quare aquæ fontium à terra eleuentur.

Quia vapor multus, ſub terra congregatus, ex continua actione Solis & ſtellarum, humido reſoluto, frequenter terræ incluſus, exhalare non valens, terram reſoluit humoroſam, in eaque ſpecus facit: aliquando ipſam eleuans & colles efficit: nonnunquam maiorem locum quærens ſcindit. Vapor igitur ſub terra contentus, & in ſe reflexus, ſolidum concaui ſuperius calefacit, & ſuo calore de ſubtus aquas, quæ in viſceribus terræ latent, trahit: Atque ſic aquæ quandoq; bullientes propter calorem, ab illo vapore calido receptum, quandoq; propter frigiditatem ſuperioris partis terræ, ſub qua decurrunt, antequam erumpant, frigidæ egrediuntur.

36. Quare æſtate aquæ frigidæ, hyeme calidæ erumpant.

Quia interior terræ ſuperficies, quæ eſt valde calida, frigus ad cruſtam terræ expellit: Imò æſtate aquæ aſcendentes per frigus expulſum ad cruſtam frigeſcunt. Hyeme autem calor, qui in extrema ſuperficie terræ diffuſus eſt, à quo plantæ nutriuntur & conualeſcunt, per gelu terræ comprimitur, & ſic clauſis poris in aquas conuertitur, redditq; eas tepidas: Vnde quantò maius gelu eſt, tantò magis fumant putei: Et remittente frigore, aquæ magis infrigidantur.

27. Quare flumina & partes terræ mutent loca, vt quæ priùs fuerunt arentia, nunc ſint aquis cooperta: Et quæ priùs aqua cooperuit,

peruit, nunc ſint arida: Et vbi nunc mare, priùs terra: Et vbi nunc terra, priùs mare fuerit.

Rationem nos hanc aſsignamus: Quia omnia hæc naturæ ſeriem ſeruant, atq; ſua finiuntur periodo. Sicut enim plantæ & animalia à cœlo ſtatum & rationem ſuæ durationis habent: Ita ex eodem principio partes terræ differenter virtutem accipiunt: Vnde quandoq; humida fieri incipiunt, & ad tempus in eodem perſiſtunt. Aquoſa deinde exiccantur, & quodammodo ſeneſcunt. Pari modo maris atq; fluminum oritur permutatio.

28. Quare diluuia fiant.

Magis hyeme quàm æſtate, & in fine menſis magis quàm in principio abundant aquæ. His enim temporibus Solis lunæq; lumen imminutum eſt, cuius vigor potenter humores reſoluit, riuóſque exiccat, atque duo ſuperiora elementa amplificat. Contrarijs verò temporibus inferiora hæc elementa augmenta accipiunt, atq; ſic diluuia exiſtunt.

29. Cur quædam flumina perennia, quædam verò non ſint.

Huius rei cauſſa eſt locorum, vbi aquæ generantur & conſeruantur, diuerſitas. Nam loca alta, ſpiſſa, & frigida, multam continent aquam, multam ſuſcipiunt, & multam ſua frigiditate gignunt: Et ideo in huiuſmodi locis perdurant flumina. Loca verò, quibus parua

mon-

montium moles ſuſpenſæ ſunt, ſonoræ, ſaxeæ, & huiuſmodi, ad durationem fluxus aquarum inepta. Nullus tamen fluuiorum ita perpetuus, quin abſoluta periodo, vt nuper diximus, is deſinat.

30. Quare fluminum & fontium aquæ dulces.

Dulceſcit aqua, quoties à calore Solis ſubtile aquæ eleuatur ac digeritur: Vnde aëre admiſto pingueſcit quaſi. Item quando per terræ poros colatur, terreſtre combuſtum relinquitur. Aquæ igitur dulces ſunt & fluminum & fontium, quæ vel ex principio ſuæ generationis, vel ex terra, per quam tranſeunt, vel maximè ex pluuijs dulcorantur. Verùm aliquando flumina quædam aquas ſalſas ex terra, per quam tranſeunt, habent, à qua, cùm eis permiſceatur, ſic alterantur.

31. Quare omnes ad oceanum currant, & ab eodem recurrant aquæ.

Quia eſt locus proprius & principium earum: idcirco neq; creſcit, neq; decreſcit. Locus enim proprius alicuius corporis nec excedit locatum, nec à locato exceditur. Item quantum ingreditur aquæ in mari ex vna parte, tantum ab altera, vel per flumina, vel per eleuationem vaporum exit. Vnde eiuſdem molis ſemper exiſtit.

32. Quare fontes & flumina diuerſos colores & naturas habeant.

Ratio huius mixtio terræ eſt, per quam tranſeunt. Inde enim, aliquos fontes calidos, aliquos frigidos, acetoſos, alios ſalſos, & alterius ſaporis eſſe,

eſſe, prouenit. Ob quam etiam cauſſam ſecundum diuerſitatem terrarum & locorum, in quibus generantur, diuerſas proprietates habent.

33. Quare mare perpetuum ſit, & nunquam deficiat.

Quia eſt vna de principalibus mundi partibus, cùm ſit elementum: Et ideo ſemper fuit ac erit, quàm diu extitit atq; futurus mundus eſt. Licet enim corruptibile & generabile ſecundum partes ſit: non tamen ſecundum totum, ſicut & alia elementa. Non enim per generationem, ſed per emanationem à primo principio cœpit. Licet quoq; continuè per actionem Solis exiccetur: Tamen quod eleuatur in vapores, reſolutum in aquam, rurſum ipſi accedit. Et quantum per calorem in parte auſtrali conſumitur: tantum per frigiditatem in parte aquinolari generatur.

34. Quare mare ſalſum ſit.

Mare cùm vnum elementorum ſit: Sapores autem non ſimplicia, ſed mixtionem elementorum conſequantur: Difficultas quædam oritur, quæ ita ſolui poterit, dicendo, ſaporem hunc non reperiri quidem in mari ex natura aquæ, quia id, quod naturam rei conſequitur, omni contento in illa natura conueniat, neceſſe, vt riſibile in homine. At non omnis aqua ſalſa: Hoc ergo accidens in aqueo elemento extrinſecus adueniat, opus eſt. Prouenit autem ex admiſtione vaporum aduſtorum. Etenim cùm Sol non ſolùm ex mari vaporem frigidum, humidum, ex quo nubes & reliqua

liquæ impreſſiones humidæ originem trahunt: Sed etiam vaporem frigidum, ſiccum, terreſtrem ex eius fundo eleuet, qui quidem ad ſuperficiem maris elatus ita aduritur, vt in naturam Salis conuertatur: Id quod poſtquam per mare diſperſum eſt, totum ſalſum efficit.

55. Quare venti fiant.

Quemadmodum vi Solis & aſtrorum vapores humidi & aquei eleuantur, ex quibus nubes fiunt, vt ſuprà dictum, quæ tandem in aquam reſoluuntur: Pariter vapores terreſtres & ſicci attolluntur. Et quia magis ſubtiles ſunt quàm humidi, altiùs eleuantur, è quibus venti, qui ſunt vapores frigidi & ſicci, generantur. Et licet vapores quoque, è quibus ignes, de quibus ſuprà dictum, generantur, ſicci & terreſtres ſint: tamen ab his differunt, quia hi magis continui & minùs ſubtiles ſunt, nec vſque ad ſuperiorem partem aëris calidam perueniunt, ad quam illi, qui ſunt ſubtiliores, & minùs humidi, minúſque continui, aſcendunt. Vnde hi illic incenduntur: illi verò infrigidantur. Vnde patet, eiuſdem ſubſtantiæ cum aëre & nube ventum eſſe. Materia enim nubis vapor calidus & humidus eſt, qui eſt potentiâ aqua. Materia verò venti vapor calidus & ſiccus: neutrum autem horum aër eſt. Hinc euenit, vt multo vapore calido & humido eleuato, maior pluuia, pauco verò minor gignatur: Pariter multo vapore ſicco & calido

lido eleuato, ventus maior, & pauco minor exoriatur. Ob id quidam anni pluuioſi, & quidam ventoſi ſunt, & pars quædam anni pluuioſa, & quædam ventoſa, & ſimiliter quædam regio pluuioſa, & quædam ventoſa, prout magis vel minus tempore vel loco de vapore humido vel ſicco eleuatur.

36. Quare æſtate & hyeme rarò exoriantur venti.

Quia æſtate Sol calore ſuo nimio diſsipat & reſoluit materiam ventorum, terram, priuſquam exhalet, exiccans: veluti ſi exiguum combuſtibile in magnum proijciatur ignem, priuſquam fumum emittat, comburitur. Magnum verò frigus, poros terræ conſtringens, exhalationes prohibet. Cauſſæ autem his contrariæ ventorum commotiones præſtant.

37. Quare rariores venti ab oriente & occidente, quàm ab auſtro & ſeptentrione oriantur.

Quia cùm Sol rectà ab oriente in occidentem inter auſtrum & ſeptentrionem tendat, & multos vapores eleuet: Eos in auſtro & ſeptentrione, cùm ab illis partibus remotior, non ita diſsipare poteſt, veluti in oriente & occidente, quibus plagis vicinior eſt. Flant autem maximè venti ſeptentrionales poſt ſolſtitium æſtiuum, quòd tum niues in illis partibus, è quibus vapores ventorum materies generantur. Frequentiùs autem die, quàm noctu ſpirant, quia no-

nocte rurſum gelantur niues, quæ die à Sole liquantur. Meridionales verò poſt ſolſtitia tumultuantur: Oppoſiti autem poſt hyemale ſolſtitium flant. Sunt verò minùs continui hi & debiliores, quoniam à Sole, ſub cuius ferũntur latione, vehementer diſſoluuntur.

38. Quare inuicem venti pugnent.

Quoniam contrarij, ſic, quòd in contrarijs locis generentur, dicti. Vnde Orientalis, qui ſubſolanus dicitur, contrarius occidentali, qui Fauonius nuncupatur: Similiter ſeptentrionalis, qui Boreas, contrariatur Meridionali, qui Auſter nominatur. Sunt præterea octo alij inter ſe oppoſiti venti, duo inter orientalem & ſeptentrionalem plagam, quorum alter ad orientem, alter ad ſeptentrionem magis vergit. Sic duo inter orientalem & auſtralem: duo item inter auſtralem & occidentalem: poſtremò inter occidentalem & ſeptentrionalem totidem. Et prout magis & minùs oppoſiti ſunt, magis vel minùs quoque inuicem pugnant.

39. Quare ventorum alij frigidi, alij calidi ſint.

Cauſſa non eſt vaporum diuerſitas (Ex eodem enim vapore frigido & ſicco generantur omnes) ſed locorum, in quibus generantur, & quæ tranſeunt. Idcirco orientalis calidus & ſiccus eſt, occidentalis frigidus & ſiccus: Auſtralis verò calidus & humidus. Laterales autem qualitates principalium remiſſas habent. Calent

etiam

etiam aut frigent venti, prout vehementiùs aut mitiùs per ſolares radios attenuati calfactiq́ vapores fuerint.

40. Quare ventorum motus obliquus ſit.

Quia ventus vapor frigidus & ſiccus, à terra ad aëris ſuperiora eleuatus, frigiditate aëris inſpiſſatus, fortiter expellit aërem. Cumq́; frigiditate loci repercutiatur, agitetur, & moueatur, impulſus deſcendit, aërem obliquè impellens. Nam cùm à calore eleuante ſurſum pellatur, atque à frigore inſpiſſante feriatur, ad latera cedat oportet. Patet ergo principium motus ventorum ſurſum eſſe. Nam exhalationes rectà eleuantur, quæ ſuperiùs in obſtacula incidentes, ad latera ſe conuertunt, atq́ ſic obliquè mouentur.

41. Quare turbines fiant.

Cùm nubes in partibus oppoſitis aperiuntur, ita vt duo in medio concurrant venti, qui inuicem ſeſe impellant, atq́ paleas pulueresq́ inuoluant, turbines fiunt.

42. Quare terræ motus contingant.

Cùm per ſe arida terra ſit, vi tamen imbrium magnam humoris copiam excipiat, ſit, vt cùm vi Solis, ſuaq́ incaleſcat, magna ſpirituum copia gignatur, qui, ſi ſubtiles ac liberi, exhalantes ventos efficiunt: Sin verò craſſi, ac in viſceribus terræ detineantur captiui, terræ motus præſtant. Flatuum enim natura, cùm ignea virtute prædita ſit, celerrimè fertur, & impetuoſè aggreditur: Vnde ijs

partibus, quas ita percutit, tremorem inducere aptiſſima. Vt igitur terræmotus excitentur, flatus in cauernis concluſos plurimùm, ita vt ſe inuicem vrgeant, adaugeri, vel externa aliqua vi cieri oportet. Hinc cœlo tranquillo circa meridiem, noctu luce propinqua, veris & autumni temporibus, terræmotus excitari ſolent. Tunc enim maior exhalationum eſt copia. Noctu verò vehementiùs & ſæpius terra quatitur. Nam noctu terreſtres ſpiritus magis vigent, terraq́ frigiditas exhalationibus reſiſtens, ſpiritus internè claudit ac roborat, id quod etiam vi humidi pluuio tempore accidit. Tripliciter autem concuti terra ſolet. Aliquando enim ad tremorem impellitur, aliquando flatuum vi attollitur & deprimitur, aliquando per modum acceſſus & receſſus ad latera mouetur. Tremor oritur, cùm flatus minor copia certum motum non habet: Egreſſionem ſiquidem ſeu diuerſionem perquirens, incertè agitat, & tremorem inducit. Cùm mouens virtus fortis eſt, & in vnica aliqua tantùm cauerna terra attollitur & deprimitur. Sæpe etiam, ſi agitationes vehementiores ac diutùrniores ſint, abſcedit, & ex depreſſione hiatum, ex eleuatione verò ſubuerſionem parit. Vbi autem terra ad latera mouetur, flatuum vis ingens duas ſaltem cauernas ſibi inuicem coniunctas agitat, ita vt inter vtramque fulcrum conſtituatur aliquod. Tunc enim cùm pars vna deprimitur, altera attollitur, & econtra. Quòd ſi autem ſpirituum impellentium

tium vis vehementior fulcrum deijciat, terræ ſuperficie vndiquaque conſidente, maximus efficitur hiatus.

43. Quare fulgura, tonitrua, & coruſcationes ſentiantur.

Cùm nulla excitetur de terra ſine aliqua exhalatione vapor, nec ſine quodam vapore exhalatio: euenit, vt cùm in medium aërem, vbi Solis reflexio deficit, attracta fuerit, denſior nubis fiat concretio, qua concluſum id, quod calidius & aridius, ſuapte natura ſupera petens, vt denſæ nubis in aduerſum deprimitur. Illud verò cùm accidit, primùm ipſius concuſſionis ſonus tonitru dicitur, isq́ varius & inæqualis propter nubium inæqualitatem & concauitates exiſtit. Deinde ſpiritus expreſſus, magna ex parte, tenui, imbecilloq́ ardore exuritur, gignitq́ coruſcationem. Si verò maiori impetu deijciatur, ardoremq́ concipiat, in aëre tamen ſuperiore extinguatur, fulgur efficitur. Idemmet vapor, ſi inflammatus egrediatur è nube, nec extinctus inferiora percutiat, fulmen appellatur. Hinc iuxta antiquos Seneca, fulgurationem Iouis comminationem, fulmen autem ictum eius eſſe, dicebat.

44. Quare priùs fulgura, quàm tonitrua, ſentiantur.

Cauſſa eſt vel diuinior vis oculorum in percipiendo obiecto, quàm reliquorum ſenſuum. vel quòd

ſulguris motum communem cum lumine à Sole manante, & quaſi temporis puncto aërem illuſtrante, habeat. Quanquam & fulgure, ſicut & reuera in ipſius Solis lumine, ſucceſſio quædam notari poteſt, quæ in illo facit, vt quò propiùs ſonus ſplendorem ſequitur, eò nobis propinquior materia, ex qua hic naſcitur, eſſe videatur. Quare ſi mox poſt fulgura tonitrua audiantur, magis timenda ſunt. Indicant enim, partem aëris, in qua fit iſte concurſus, nobis proximam, & quaſi capiti imminentem.

45. Quare fulmen aliquando contenta, illæſis continentibus, & contrà feriat.

Quia aliquando vapor nimiùm ſubtilis accenſus eſt, ita vt in poroſis rebus non perſiſtat, ſed mox tranſeat: In bene autem compactis, vt ferro & auro, hæreat, eaq; liqueſaciat. Obſeruatum eſt aliquando, ob debilem vaporis virtutem, ſola ſicca adurentem, intacto homine, proximum induſium conflagrâſſe. Hinc Seneca: Mira, inquit, opera fulminis, nec quicquam dubij relinquentia, quin diuina illis inſit & ſubtilis potentia: loculis integris & illæſis, conflatur argentum: manente vagina, gladius liqueſcit: &, inuiolato ligno circa pila, ferrum omne deſtillat: ſtat fracto dolio vinum.

46. Quare appareat Iris.

Quia corpora omnia læuia (quo in genere ſunt, aër maximè concretus, aqua, & id genus alia) ſpeculorum inſtar, ſpecies rerum obiectarum ita

ita referre ſolent, vt, ſi maiora ſint, formam ſimul & colorem: ſin minutiora, colorem tantùm imitentur. Quare nubes in guttulas diſſoluta, non tamen perrupta, radios quidem Solis aduerſi excipit, & variorum colorum, partim ob mixtionem luminis & nubis, partim ob inæqualem reflexionem, apparenti ſpecie, non item Solis figuram (aduerſante videlicet guttarum paruitate) oſtentat. Colorum autem in Iride varietas ex inæquali radiorum ad organum reflexione naſcitur. Vt enim remotiora quæque minora & nigriora videri ſolent: ita tertius Iridis ambitus, propterea, quòd longiſſimè abeſt, purpureo tinctus colore videtur. Huic proximus viridis: Poſtremus denique puniceo inſignis eſt, qui tantò magis, quàm purpureus & viridis, à nigrore abeſt, quantò intimus Iridis ambitus, ob ſui vicinitatem, fortiùs aſpectum percellit, quàm reliqui duo. Atq; hæc de coloribus exterioribus Iridis, ſi quando duæ appareant. Nam in interiore Iride colorum contrarius ordo eſt. Extimus enim huius ambitus, cùm ob ſui vaſtitatem validiùs, quàm reliqui duo minores, viſum commoueat, puniceus meritò videtur. Huic proximus & medius viridis. Poſtremus denique & minimus, quòd imbecilliore & minore radio oculis ſeſe inferat, purpureum & ſubnigrum colorem præ ſe fert. Nunquam verò dimidiato circulo maior apparet Iris. Cùm enim eius centrum vel in finitore, vel infra eundem neceſſariò poſitum ſit, fieri nequit, vt pars ſupra finientem

circulum conſpicua ſemicirculo maior ſit. Ex hoc quoque centri ſitu & poſitione fit, vt breuiſſimis diebus Iris apparere poßit. In auſtralia namque ſigna Solis longior euagatio, iridis vt centrum non multùm infra terram deprimatur, efficit. Notandum id quoque, iridem, quò magis ad ſemicirculi perfectionem accedit, eò minoris circuli partem eſſe, & contrà: Cùm præſertim iris ſemicirculum non, niſi in nube viciniore & denſiore, expleat. Quò itaque nubes fuerit ſublimior: tantò Iris à ſemicirculi forma magis aberit.

47. Quare halo ſeu corona aliquando circa lunam & reliquas ſtellas conſpiciatur.

Si aër expers omnis concretionis ſit, radius aſpectus ſolem, lunam, & ſtellas alias ſine corona videt, vt cœlo maximè ſereno. Si verò valde denſa nubis concretio, penetrare omnino non poterit. Si tenuis, penetrabit quidem, ſed ita, vt medius aër in circulos diffundi videatur. Quemadmodum lapis in aquam ſtantem incidens varios circulos in ea deſcribit, vt apta ſimilitudine Seneca cap. 2. lib. 1. natural. quæſt. ſic explicat: Fulgor, qui ſidera circumnectit, qualis Halo, nobis aptiſſimè corona appellatus, quemadmodum fiat, exponam. Cùm in piſcinam lapis miſſus eſt, videmus in multos orbes aquam deſcendere, & fieri primùm anguſtiſſimum orbem: deinde laxiores, ac deinde maiores, donec euaneſcat impetus, & in planiciem immotarum

tarũ aquarum ſoluatur. Tale quiddam cogitemus fieri etiam in aëre, cùm ſpiſsior factus, plagam ſentire poteſt, lux ſolis aut lunæ, vel cuiuſlibet ſideris incurrens, recedere illum in circulos cogit. Nã humor & aër, & omne, quod ex ictu formam accipit, in talem habitum impellitur, qualis eſt eius quod impellit. Omne autem lumen rotundum eſt: Ergo & aër, percuſſus lumine, hunc modum exhibet. Ob hoc tales ſplendores Græci areas vocauêre, quia ferè terendis frugibus loca deſtinata ſunt rotunda. Nos autẽ nõ exiſtimemus, iſtas, ſiue areæ, ſiue coronæ ſint, in vicinia ſiderum fieri, plurimùm ijs abſunt, quamuis cingere ea & coronare videantur. Non longè à terra fit talis effigies, quam viſus noſter, ſolita imbecillitate deceptus, circa ipſum ſidus putat poſitam. In vicinia autem ſolis & ſtellarum nihil tale poteſt fieri, quia illic æther tenuis eſt. Nam formæ craſſis demum ſpiſſisq́; corporibus imprimi ſolent, in ſubtilibus non habent, vbi conſiſtant aut hæreant. In balneis quoque circa lucernam tale quid aſpici ſolet, ob aëris denſi obſcuritatem, frequentiſsimè autem Auſtro, cùm cœlum maximè graue ſpiſſum eſt. Hæc ille. Haloni verò non, vt iridi, varij inſunt colores. Nam nubes luminoſa, alba, rara & æqualis eſt, radijq́; in ipſa nube clara duplicati augent lumen, eoq́; potentiùs oculos noſtros feriunt. Halo circa lunam magnus intenſum frigus: paulatim emarceſcens, ita vt æqualiter

montium moles ſuſpenſæ ſunt, ſonoræ, ſaxeæ, & huiuſmodi, ad durationem fluxus aquarum inepta. Nullus tamen fluuiorum ita perpetuus, quin abſoluta periodo, vt nuper diximus, is deſinat.

30. Quare fluminum & fontium aquæ dulces.

Dulceſcit aqua, quoties à calore Solis ſubtile aquæ eleuatur ac digeritur: Vnde aëre admiſto pingueſcit quaſi. Item quando per terræ poros colatur, terreſtre combuſtum relinquitur. Aquæ igitur dulces ſunt & fluminum & fontium, quæ vel ex principio ſuæ generationis, vel ex terrà, per quam tranſeunt, vel maximè ex pluuijs dulcorantur. Verùm aliquando flumina quædam aquas ſalſas ex terra, per quam tranſeunt, habent, à qua, cùm eis permiſceatur, ſic alterantur.

31. Quare omnes ad oceanum currant, & ab eodem recurrant aquæ.

Quia eſt locus proprius & principium earum: idcirco neq; creſcit, neq; decreſcit. Locus enim proprius alicuius corporis nec excedit locatum, nec à locato exceditur. Item quantum ingreditur aquæ in mari ex vna parte, tantum ab altera, vel per flumina, vel per eleuationem vaporum exit. Vnde eiuſdem molis ſemper exiſtit.

32. Quare fontes & flumina diuerſos colores & naturas habeant.

Ratio huius mixtio terræ eſt, per quam tranſeunt. Inde enim, aliquos fontes calidos, aliquos frigidos, acetoſos, alios ſalſos, & alterius ſaporis eſſe,

eſſe, prouenit. Ob quam etiam cauſſam ſecundum diuerſitatem terrarum & locorum, in quibus generantur, diuerſas proprietates habent.

33. Quare mare perpetuum ſit, & nunquam deficiat.

Quia eſt vna de principalibus mundi partibus, cùm ſit elementum: Et ideo ſemper fuit ac erit, quàm diu extitit atq; futurus mundus eſt. Licet enim corruptibile & generabile ſecundum partes ſit: non tamen ſecundum totum, ſicut & alia elementa. Non enim per generationem, ſed per emanationem à primo principio cœpit. Licet quoq; continuè per actionem Solis exiccetur: Tamen quod eleuatur in vapores, reſolutum in aquam, rurſum ipſi accedit. Et quantum per calorem in parte auſtrali conſumitur: tantum per frigiditatem in parte aquinolari generatur.

34. Quare mare ſalſum ſit.

Mare cùm vnum elementorum ſit: Sapores autem non ſimplicia, ſed mixtionem elementorum conſequantur: Difficultas quædam oritur, quæ ita ſolui poterit, dicendo, ſaporem hunc non reperiri quidem in mari ex natura aquæ, quia id, quod naturam rei conſequitur, omni contento in illa natura conueniat, neceſſe, vt riſibile in homine. At non omnis aqua ſalſa: Hoc ergo accidens in aqueo elemento extrinſecus aduenıat, opus eſt. Prouenit autem ex admiſſione vaporum aduſtorum. Etenim cùm Sol non ſolùm ex mari vaporem frigidum, humidum, ex quo nubes & reliquæ

liquæ impreſsiones humidæ originem trahunt: Sed etiam vaporem frigidum, ſiccum, terreſtrem ex eius fundo eleuet, qui quidem ad ſuperficiem maris elatus ita aduritur, vt in naturam Salis conuertatur: Id quod poſtquam per mare diſperſum eſt, totum ſalſum efficit.

35. Quare venti fiant.

Quemadmodum vi Solis & aſtrorum vapores humidi & aquei eleuantur, ex quibus nubes fiunt, vt ſuprà dictum, quæ tandem in aquam reſoluuntur: Pariter vapores terreſtres & ſicci attolluntur. Et quia magis ſubtiles ſunt quàm humidi, altiùs eleuantur, è quibus venti, qui ſunt vapores frigidi & ſicci, generantur. Et licet vapores quoque, è quibus ignes, de quibus ſuprà dictum, generantur, ſicci & terreſtres ſint: tamen ab his differunt, quia hi magis continui & minùs ſubtiles ſunt, nec vſque ad ſuperiorem partem aëris calidam perueniunt, ad quam illi, qui ſunt ſubtiliores, & minùs humidi, minúſque continui, aſcendunt. Vnde hi illic incenduntur: illi verò infrigidantur. Vnde patet, eiuſdem ſubſtantiæ cum aëre & nube ventum eſſe. Materia enim nubis vapor calidus & humidus eſt, qui eſt potentiâ aqua. Materia verò venti vapor calidus & ſiccus: neutrum autem horum aër eſt. Hinc euenit, vt multo vapore calido & humido eleuato, maior pluuia, pauco verò minor gignatur: Pariter multo vapore ſicco & calido

lido eleuato, ventus maior, & pauco minor exoriatur. Ob id quidam anni pluuioſi, & quidam ventoſi ſunt, & pars quædam anni pluuioſa, & quædam ventoſa, & ſimiliter quædam regio pluuioſa, & quædam ventoſa, prout magis vel minus tempore vel loco de vapore humido vel ſicco eleuatur.

36. Quare æſtate & hyeme rarò exoriantur venti.

Quia æſtate Sol calore ſuo nimio diſsipat & reſoluit materiam ventorum, terram, priuſquam exhalet, exiccans: veluti ſi exiguum combuſtibile in magnum proijciatur ignem, priuſquam fumum emittat, comburitur. Magnum verò frigus, poros terræ conſtringens, exhalationes prohibet. Cauſſæ autem his contrariæ ventorum commotiones præſtant.

37. Quare rariores venti ab oriente & occidente, quàm ab auſtro & ſeptentrione oriantur.

Quia cùm Sol rectà ab oriente in occidentem inter auſtrum & ſeptentrionem tendat, & multos vapores eleuet: Eos in auſtro & ſeptentrione, cùm ab illis partibus remotior, non ita diſsipare poteſt, veluti in oriente & occidente, quibus plagis vicinior eſt. Flant autem maximè venti ſeptentrionales poſt ſolſtitium æſtiuum, quòd tum niues in illis partibus, è quibus vapores ventorum materies generantur. Frequentiùs autem die, quàm noctu ſpirant, quia no-

nocte rurſum gelantur niues, quæ die à Sole liquantur. Meridionales verò poſt ſolſtitia tumultuantur: Oppoſiti autem poſt hyemale ſolſtitium flant. Sunt verò minùs continui hi & debiliores, quoniam à Sole, ſub cuius ferũntur latione, vehementer diſſoluuntur.

38. Quare inuicem venti pugnent.

Quoniam contrarij, ſic, quòd in contrarijs locis generentur, dicti. Vnde Orientalis, qui ſubſolanus dicitur, contrarius occidentali, qui Fauonius nuncupatur: Similiter ſeptentrionalis, qui Boreas, contrariatur Meridionali, qui Auſter nominatur. Sunt præterea octo alij inter ſe oppoſiti venti, duo inter orientalem & ſeptentrionalem plagam, quorum alter ad orientem, alter ad ſeptentrionem magis vergit. Sic duo inter orientalem & auſtralem: duo item inter auſtralem & occidentalem: poſtremò inter occidentalem & ſeptentrionalem totidem. Et prout magis & minùs oppoſiti ſunt, magis vel minùs quoque inuicem pugnant.

39. Quare ventorum alij frigidi, alij calidi ſint.

Cauſſa non eſt vaporum diuerſitas (Ex eodem enim vapore frigido & ſicco generantur omnes) ſed locorum, in quibus generantur, & quæ tranſeunt. Idcirco orientalis calidus & ſiccus eſt, occidentalis frigidus & ſiccus: Auſtralis verò calidus & humidus. Laterales autem qualitates principalium remiſſas habent. Calent

etiam aut frigent venti, prout vehementiùs aut mitiùs per ſolares radios attenuati calfactiq́; vapores fuerint.

40. Quare ventorum motus obliquus ſit.

Quia ventus vapor frigidus & ſiccus, à terra ad aëris ſuperiora eleuatus, frigiditate aëris inſpiſſatus, fortiter expellit aërem. Cumq́; à frigiditate loci repercutiatur, agitetur, & moueatur, impulſus deſcendit, aërem obliquè impellens. Nam cùm à calore eleuante ſurſum pellatur, atque à frigore inſpiſſante feriatur, ad latera cedat oportet. Patet ergo principium motus ventorum ſurſum eſſe. Nam exhalationes rectà eleuantur, quæ ſuperiùs in obſtacula incidentes, ad latera ſe conuertunt, atq; ſic obliquè mouentur.

41. Quare turbines fiant.

Cùm nubes in partibus oppoſitis aperiuntur, ita vt duo in medio concurrant venti, qui inuicem ſeſe impellant, atq; paleas pulueresq́; inuoluant, turbines fiunt.

42. Quare terræ motus contingant.

Cùm per ſe arida terra ſit, vi tamen imbrium magnam humoris copiam excipiat, fit, vt cùm vi Solis, ſuaq́; incaleſcat, magna ſpirituum copia gignatur, qui, ſi ſubtiles ac liberi, exhalantes ventos efficiunt: Sin verò craßi, ac in viſceribus terræ detineantur captiui, terræ motus præſtant. Flatuum enim natura, cùm ignea virtute prædita ſit, celerrimè fertur, & impetuoſè aggreditur: Vnde ijs

partibus, quas ita percutit, tremorem inducere aptiſsima. Vt igitur terræmotus excitentur, flatus in cauernis concluſos plurimùm, ita vt ſe inuicem vrgeant, adaugeri, vel externa aliqua vi cieri oportet. Hinc cœlo tranquillo circa meridiem, noctu luce propinqua, veris & autumni temporibus, terræmotus excitari ſolent. Tunc enim maior exhalationum eſt copia. Noctu verò vehementiùs & ſæpius terra quatitur. Nam noctu terreſtres ſpiritus magis vigent, terræq; frigiditas exhalationibus reſiſtens, ſpiritus internè claudit ac roborat, id quod etiam vi humidi pluuio tempore accidit. Tripliciter autem concuti terra ſolet. Aliquando enim ad tremorem impellitur, aliquando flatuum vi attollitur & deprimitur, aliquando per modum acceſſus & receſſus ad latera mouetur. Tremor oritur, cùm flatus minor copia certum motum non habet; Egreſsionem ſiquidem ſeu diuerſionem perquirens, incertè agitat, & tremorem inducit. Cùm mouens virtus fortis eſt, & in vnica aliqua tantùm cauerna terra attollitur & deprimitur. Sæpe etiam, ſi agitationes vehementiores ac diuturniores ſint, abſcedit, & ex depreſsione hiatum, ex eleuatione verò ſubuerſionem parit. Vbi autem terra ad latera mouetur, flatuum vis ingens duas ſaltem cauernas ſibi inuicem coniunctas agitat, ita vt inter vtramque fulcrum conſtituatur aliquod. Tunc enim cùm pars vna deprimitur, altera attollitur, & econtra. Quòd ſi autem ſpirituum impellentium

tium

tium vis vehementior fulcrum deijciat, terræ ſuperficie vndiquaque conſidente, maximus efficitur hiatus.

43. Quare fulgura, tonitrua, & coruſcationes ſentiantur.

Cùm nulla excitetur de terra ſine aliqua exhalatione vapor, nec ſine quodam vapore exhalatio: euenit, vt cùm in medium aërem, vbi Solis reflexio deficit, attracta fuerit, denſior nubis fiat concretio, qua concluſum id, quod calidius & aridius, ſuapte natura ſupera petens, vt denſæ nubis in aduerſum deprimitur. Illud verò cùm accidit, primùm ipſius concuſsionis ſonus tonitru dicitur, isq́; varius & inæqualis propter nubium inæqualitatem & concauitates exiſtit. Deinde ſpiritus expreſſus, magna ex parte, tenui, imbecilloq́; ardore exuritur, gignitq́; coruſcationem. Si verò maiori impetu deijciatur, ardoremq́; concipiat, in aëre tamen ſuperiore extinguatur, fulgur efficitur. Idemmet vapor, ſi inflammatus egrediatur è nube, nec extinctus inferiora percutiat, fulmen appellatur. Hinc iuxta antiquos Seneca, fulgurationem Iouis comminationem, fulmen autem ictum eius eſſe, dicebat.

44. Quare priùs fulgura, quàm tonitrua, ſentiantur.

Cauſſa eſt vel diuinior vis oculorum in percipiendo obiecto, quàm reliquorum ſenſuum: vel quòd

fulguris motum communem cum lumine à Sole manante, & quaſi temporis puncto aërem illuſtrante, habeat. Quanquam & fulgure, ſicut & reuera in ipſius Solis lumine, ſucceſſio quædam notari poteſt, quæ in illo facit, vt quò propiùs ſonus ſplendorem ſequitur, eò nobis propinquior materia, ex qua hic naſcitur, eſſe videatur. Quare ſi mox poſt fulgura tonitrua audiantur, magis timenda ſunt. Indicant enim, partem aëris, in qua fit iſte concurſus, nobis proximam, & quaſi capiti imminentem.

45. Quare fulmen aliquando contenta, illæſis continentibus, & contrà feriat.

Quia aliquando vapor nimiùm ſubtilis accenſus eſt, ita vt in poroſis rebus non perſiſtat, ſed mox tranſeat: In bene autem compactis, vt ferro & auro, hæreat, eaq; liquefaciat. Obſeruatum eſt aliquando, ob debilem vaporis virtutem, ſola ſicca adurentem, intacto homine, proximum induſium conflagrâſſe. Hinc Seneca: Mira, inquit, opera fulminis, nec quicquam dubij relinquentia, quin diuina illis inſit & ſubtilis potentia: loculis integris & illæſis, conflatur argentum: manente vagina, gladius liqueſcit: &, inuiolato ligno circa pila, ferrum omne deſtillat: ſtat fracto dolio vinum.

46. Quare appareat Iris.

Quia corpora omnia læuia (quo in genere ſunt, aër maximè concretus, aqua, & id genus alia) ſpeculorum inſtar, ſpecies rerum obiectarum ita

ita referre ſolent, vt, ſi maiora ſint, formam ſimul & colorem: ſin minutiora, colorem tantùm imitentur. Quare nubes in guttulas diſſoluta, non tamen perrupta, radios quidem Solis aduerſi excipit, & variorum colorum, partim ob mixtionem luminis & nubis, partim ob inæqualem reflexionem, apparenti ſpecie, non item Solis figuram (aduerſante videlicet guttarum paruitate) oſtentat. Colorum autem in Iride varietas ex inæquali radiorum ad organum reflexione naſcitur. Vt enim remotiora quæque minora & nigriora videri ſolent: ita tertius Iridis ambitus, propterea, quòd longiſſimè abeſt, purpureo tinctus colore videtur. Huic proximus viridis: Poſtremus denique puniceo inſignis eſt, qui tantò magis, quàm purpureus & viridis, à nigrore abeſt, quantò intimus Iridis ambitus, ob ſui vicinitatem, fortiùs aſpectum percellit, quàm reliqui duo. Atq; hæc de coloribus exterioribus Iridis, ſi quando duæ appareant. Nam in interiore Iride colorum contrarius ordo eſt. Extimus enim huius ambitus, cùm ob ſui vaſtitatem validiùs, quàm reliqui duo minores, viſum commoueat, puniceus meritò videtur. Huic proximus & medius viridis. Poſtremus denique & minimus, quòd imbecilliore & minore radio oculis ſeſe inferat, purpureum & ſubnigrum colorem præ ſe fert. Nunquam verò dimidiato circulo maior apparet Iris. Cùm enim eius centrum vel in finitore, vel infra eundem neceſſariò poſitum ſit, fieri nequit, vt pars ſupra finientem

circulum conſpicua ſemicirculo maior ſit. Ex hoc quoque centri ſitu & poſitione fit, vt breuiſſimis diebus Iris apparere poſſit. In auſtralia namque ſigna Solis longior euagatio, iridis vt centrum non multùm infra terram deprimatur, efficit. Notandum id quoque, iridem, quò magis ad ſemicirculi perfectionem accedit, eò minoris circuli partem eſſe, & contrà: Cùm præſertim iris ſemicirculum non, niſi in nube viciniore & denſiore, expleat. Quò itaque nubes fuerit ſublimior: tantò Iris à ſemicirculi forma magis aberit.

47. Quare halo ſeu corona aliquando circa lunam & reliquas ſtellas conſpiciatur.

Si aër expers omnis concretionis ſit, radius aſpectus ſolem, lunam, & ſtellas alias ſine corona videt, vt cœlo maximè ſereno. Si verò valde denſa nubis concretio, penetrare omnino non poterit. Si tenuis, penetrabit quidem, ſed ita, vt medius aër in circulos diffundi videatur. Quemadmodum lapis in aquam ſtantem incidens varios circulos in ea deſcribit, vt apta ſimilitudine Seneca cap. 2. lib. 1. natural. quæſt. ſic explicat: Fulgor, qui ſidera circumnectit, qualis Halo, nobis aptiſſimè corona appellatus, quemadmodum fiat, exponam. Cùm in piſcinam lapis miſſus eſt, videmus in multos orbes aquam deſcendere, & fieri primùm anguſtiſſimum orbem: deinde laxiores, ac deinde maiores, donec euaneſcat impetus, & in planiciem immotarum

tarũ aquarum ſoluatur. Tale quiddam cogitemus fieri etiam in aëre, cùm ſpiſsior factus, plagam ſentire poteſt, lux ſolis aut lunæ, vel cuiuſlibet ſideris incurrens, recedere illum in circulos cogit. Nã humor & aër, & omne, quod ex ictu formam accipit, in talem habitum impellitur, qualis eſt eius quod impellit. Omne autem lumen rotundum eſt: Ergo & aër, percuſſus lumine, hunc modum exhibet. Ob hoc tales ſplendores Græci areas vocauêre, quia ferè terendis frugibus loca deſtinata ſunt rotunda. Nos autẽ nõ exiſtimemus, iſtas, ſiue areæ, ſiue coronæ ſint, in vicinia ſiderum fieri, plurimùm ijs abſunt, quamuis cingere ea & coronare videantur. Non longè à terra fit talis effigies, quam viſus noſter, ſolita imbecillitate deceptus, circa ipſum ſidus putat poſitam. In vicinia autem ſolis & ſtellarum nihil tale poteſt fieri, quia illic æther tenuis eſt. Nam formæ craſsis demum ſpiſsisq́ corporibus imprimi ſolent, in ſubtilibus non habent, vbi conſiſtant aut hæreant. In balneis quoque circa lucernam tale quid aſpici ſolet, ob aëris denſi obſcuritatem, frequentiſsimè autem Auſtro, cùm cœlum maximè graue ſpiſſum eſt. Hæc ille. Haloni verò non, vt iridi, varij inſunt colores. Nam nubes luminoſa, alba, rara & æqualis eſt, radijq́ in ipſa nube clara duplicati augent lumen, eoq́ potentiùs oculos noſtros feriunt. Halo circa lunam magnus intenſum frigus: paulatim emarceſcens, ita vt æqualiter

reſoluatur & ſubſidat, ſerenitatem, aëriſq; tranquillitatem ſignificat. Sin diſsipetur, & pluribus in locis rumpatur, intempeſtates: Et ſi vna præcipuè parte rumpatur, inde oriri & ſpirare ventos, præſagium.

48. Quare aliquando plures conſpiciantur ſoles.

Quando nubes ex latere ſolis vel orientis vel occidentis collocatur, maximè æquabilis & ex æquo denſa, velut ſpeculum, imaginem ſeu εἴδωλον Solis recipit & exprimit. Quemadmodum in aqua & aëre denſiore, reliquiſq; corporibus, quæ læui & æquabili ſuperficie conſtant, velut in ſpeculo res iuſta proportione ad ipſas diſpoſitas exprimi videmus. De parelijs Plinius cap. 3. lib. 2. nat. hiſt. ita habet: Plures ſoles, inquit, ſimul cernuntur, nec ſupra ipſum, nec infra, ſed ex obliquo, nunquam iuxta, nec contra terram, vel noctu, ſed aut oriente ſole, aut occidente. Semel & meridie conſpecti in Boſphoro produntur, qui à matutino tempore in occaſum vſque durârunt. Trinos etiam ſoles antiqui ſæpius vidêre. Plures, quàm tres, viſi adhuc æui nunquam produntur.

Et hæc de ijs, quæ ex vaporibus generantur, ſuccinctè dicta.

DE

DE LAPIDIBVS ET METALLIS, QVÆ IN TERra generantur.

LIBER NONVS.

Summa & diſpoſitio libri IX.

POſt conſiderationem tranſmutationis elementorum ſequitur tranſmutationis mixtorum meditatio, quæ ex elementis fiunt. Et quia de mixtione ſuperiùs libro de generatione generaliter dictum: auctoris intentio in poſterum de tranſmutatione ſingulorum in ſpecie agere, incipiendo in hoc libro ab imperfectioribus, id eſt, inanimatis, quæ dicuntur mineralia, circa quæ tria facit. Primò enim de lapidibus, ſecundò de metallis, tertiò de quibuſdam medijs tractat. Quoad primum, præmiſſa tractatus de lapidibus difficultate, in 1. concluſione, primò declarat, quæ ſit cauſſa effectiua lapidum in 2. Secundò, quæ ſit cauſſa materialis, in 3. Tertiò, quæ ſit cauſſa formalis, in 4. Quartò, quis locus generationis eorum, in 5. Hæc enim omnia ad eorum concurrunt generationem, Quintò agit de accidentibus eorum in genere, quibus eorum natura in 6. oſtenditur.

Quoad ſecundum, agit primò de cauſſa effe-ctiua metallorum tàm in genere,quàm in ſpe-cie,in 7.Secundò de cauſſa materiali,in 8. Ter-tiò de cauſſa formali declarans diuerſitatem eorum ſpecificam, in 9. Quartò de numero eorum in 10. qui quidem ſequitur diuerſita-tem eorum. Quintò de tranſmutatione eo-rũ ad inuicem,in 11.Sextò,de loco generatio-nis ipſorum, in 12. Septimò, de accidentibus eorum communibus, in 13. Octauò,de qui-buſdam medijs,in 14.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Difficile eſt certi aliquid de virtute & loco generationis mineralium tradere.

Non enim dubium eſt, aliquam eſſe virtu-tem lapidum & minerarum generatricem & effe-ctricem. Hæc verò cognitu perdifficilis. Cùm et-iam vbiq; videantur generari lapides, puta in aë-re, nubibus, aqua, terra, plurimis in locis; tum quoque in corporibus animalium: Definitus ipſo-rum generationis locus non habetur. Difficili-mum quoque in metallis mineralem inuenire vir-tutem, quam tamen vſtulante calido, incertiſſimè operante inſtrumento, fruſtra alchymiſtæ anxy venantur.

2. Cauſſa lapidum & minerarum effectrix eſt mineralis, & formatrix lapidum eſt.

Quemadmodum in ſemine animalis à vaſis ſemi-

ſeminarijs quadam vis formatrix animalis deriuatur: Sic in materiam lapidibus aptatam quædam virtus à corporibus cœleſtibus, & ijs, vbi generantur, locis, formatrix lapidum defertur. Expreſſiùs patet hoc in gemmis, quæ ſtillant ex arboribus. Illa enim videmus eſſe humidum vehementer à ſicco terreſtri paſſum, & ideo à frigido coagulatum, quod vbi maneat in arbore, à vi arboris generatrice in lignũ, folia, & fructus conuertitur. Euenit autem res tota hoc modo. Dum materia ſicci terrei, paſſi ab humido aqueo, vel materia humidi aquei, paſſi à ſicco terreo (hæc enim altera lapidum materia) lapidi idonea efficitur, in ipſa vi ſtellarum & loci virtute, quædam formatrix lapidum facultas, diuerſa pro materiæ diuerſitate, generatur. Hinc Plato, pro materiæ diſpoſitione, alias atque alias cœli virtutes tranſfundi, docebat. Quia verò omnis virtus, quemadmodum & ars, propria inſtrumenta habet: Ita & hæc in materia exiſtens, iuxta materiæ diuerſitatem duplicia habet organa: Vnum calorem, humidi diſſipatorem, alterum, non humidi ſolùm conſtrictorem, ſed & expreſſorem, frigus.

3. Omnium lapidum materia terra & aqua eſt.

Licet enim ad eorum generationem concurrant omnia elementa, ſicut ad generationem aliorum mixtorum: Tamen in eis prædominatur

tur & vincit terra & aqua. Et de terra quidem inde conſtat, quia omnes ferè lapides merguntur in aqua, præterquam ſpongioſi, vt pumex, quæ ratione aëris, in cauernulis illis incluſi, aquæ innatat: Redactus verò in puluerem ſubſidet. Cùm autem terra pura, ſi ſola ſit, conglutinari non poßit: ſola lapidum materia eſſe non potuit, ſed aqua, quæ continuationis princeps eſt, eguit: Quemadmodum hæc illa, ne diffluerent, carere non potuit. Eſt tamen hæc differentia, quòd in lapidibus opacis magis abundet terra: vnde eorum propria materia eſt terra, ab humido aqueo paſſa, & ei commixta. In diaphanis autem econuerſo: Vnde eorum propria materia eſt humidum aqueum, à ſicco terreſtri paſſum, & ei permixtum. Vnde ſunt de natura magis aquæ.

4. Lapides ſuas habent formas ſubſtantiales, quibus propriæ earum conſtituuntur ſpecies.

Nam cùm omnes coagulati ſint, eorum materiam ad certam ſpeciem determinatam eſſe, neceſſe eſt. Si enim diſpoſitiones ſaltem elementorum forent, ita vt inuicem tranſmutari, aut in alia conuerti poßint, cuius generis ſunt, nubes, pluuiæ, & nix, abſque dubio non diu permanerent, ſicut nec iſta, verùm paulò pòſt in elementa reſoluerentur. Sed contrarium in lapidibus obſeruamus. Præterea inuenimus multas virtutes lapidum, quæ non alicuius elementi exiſtunt, cuiuſmodi fugare venenum, pellere anthraces, &c.

Eſt

Eſt autem ſaniorum ſententia, has virtutes formam ſubſtantialem lapidum conſequi. Habent ergo lapides formas & determinatas ſpecies. Et quia hæ formæ ſunt innominatæ, ideo propriam definitionem lapidum non habemus, ſed circumloquimur eas, accidentia & ſigna loco definientium aſſumentes. Hoc tamen ſcimus, de genere mixtorum ex elementis quatuor eſſe: Et quia mixtum in mixtum ſimpliciter, & mixtum proportionatum diuiditur: lapides in genere mixtorum, non proportionatorum, ſunt. Atque ſic ex omnibus dictis colligentes, lapidem eſſe mixtum, non proportionatum, virtute minerali coagulatum, finimus. Vnde magis naturæ homogeneæ, quàm animatæ eſt.

5. Quædam loca lapides, quædam verò non generant.

Cùm enim generentur lapides à virtute, deriuata à ſtellis in materiam, ex qua fiunt, terream vel aqueam, vti dictum, loca, quæ ſunt diſpoſita ad recipiendum talem virtutem, ſunt apta generationi lapidum. Quæ verò non ſic diſpoſita, minimè. Vnde locus vbi terra vnctuoſa per vaporem in ſe reflexum commiſcetur, vel in quo vires terræ apprehendunt naturam aquæ, ipſamq́ ad ſiccitatem validè inclinant, ibi certò locus generationis lapidum eſt. Hac de cauſſa ſolidæ ſuperficiei terra, ex qua vapor ſolis expirare nequit, lapides multos generat. In terra verò molli cœnulenta, quæ potiùs inficit aquam, quàm vt ſuis pro-

proprietatibus afficiat, non generantur lapides. Hæc ergo virtus determinata ad lapidum generationem, in materia terreſtri vel aquea eſt, in qua conueniunt omnia loca, in quibus lapides generantur. Sicut autem in generatione aliorum, virtus generans prius alterat materiam, & poſtea in hanc vel illam formam tranſmutat: Sic vis formatrix lapidum in locis, vbi generantur, eundem ſeruat ordinem, qui generaliter tribus modis fit. Nam primò alterat materiam ſecundum qualitates actiuas & paßiuas, quibus hoc operatur. Secundò etiam ſecundum effectus proximarum illarum qualitatum, quæ ſunt durities & mollities. Tertiò totam materiam apprehendit, tàm ſecundum effectus, quàm etiam ſecundum conſequentes, qui ſunt qualitates formæ inducendæ, & ſic materiæ inducit formam.

6. Plurima ſunt lapidum accidentia.

Nam primò quidam ſunt abſque colore, perſpicui, quidam colorati: Et inter hos alij albi, alij nigri, nonnulli coloris medij, puta rubei, viridis, & huiuſmodi: Quidam etiam ſunt diuerſorum colorum. Cauſſa huius diuerſitatis eſt diuerſa perſpicui in materia lapidum commiſtio. Eſt enim perſpicuum proprium ſubiectum lucis, ex cuius receptione in ipſo quando eſt perſpicuum terminatum, fit color, qui eſt quædam lux obumbrata, ſeu quædam participatio lucis. Et album quidem ex multis perſpicuis, in aliqua re deter-

determinatis: Nigrum ex priuatione perſpicui in commixtione, in quantum ſcilicet partes corporis opaci opprimunt partes perſpicuas, in eodem tempore exiſtentes. Medij autem cauſſantur ex diuerſa extremorum compoſitione. Qui autem ſunt tantùm perſpicui, ſignum eſt, quòd ſola frigiditas excellens occupet materiam, ſicut eſt perſpicuitas cryſtalli, berilli, adamantis, & huiusmodi. Vnde in talibus perſpicuum non eſt commixtum cum terreſtri obſcuro, ſicut in coloratis. Secundò quidam lapides ſunt duri, & quidam molles. Lapides pretioſi omnes adeò ſunt duri, quòd nec lima quicquam ab eis tolli poſſit. Econtrariò verò omne genus tophaceum, minimè durum, leui opera atteritur. Quidam autem mediocris duritiei ſunt. Cauſſa huius diuerſitatis ſiccum & humidum eſt. Siccum enim cauſſa duritiei, humidum autem mollitiei. Cùm enim durum naturali vi reſiſtat tangenti, molle verò cedat: Non poteſt durities, niſi ex ſicco, quod firmiter in ſeipſo conſiſtit, cauſſari, & mollities non, niſi ex humido. In quibus ergo dominatur ſiccitas, duri: in quibus autem humiditas, molles exiſtunt. Medio verò modo in his ſe habentes, mediocriter duri & molles. Tertiò quidam ita poroſi, vt aquæ innatent: Quidam verò bene compacti, quidam inter hos medij. Cauſſa poroſitatis eſt, quòd humidum cum terreo non æqualiter commiſtum. Compactio autem ab humido, vndiq; materiam lapidis penetrante, oritur. Quartò

quidam

quidam lapides foris intusq́; animalium oſtendunt imagines. Cauſſam affert Auicennas, quòd aliquando animalia ſecundum totam ſui materiam in lapides conuertantur, ſi loca ea tranſeant, vbi à formatrice lapidum apprehendantur, retentaq́; ſolùm priſtina figura in lapides conuertantur.

7. Cauſſa metallorum effectrix vniuerſalis quidem cœlum: propria autem virtus quædam à cœlo & ſtellis in materia metallorum exiſtit.

Quòd enim ſit cœlum cauſſa vniuerſalis generationis eorum, patet, quia eſt cauſſa vniuerſalis omnium, quæ generantur in natura. Quòd autem cauſſa proxima ſit quædam virtus, impreſſa à cœlo in materia eorum, inde colligitur, quòd qualitates elementorum non ſint virtutes ad generationem eorum ſufficientes, tum quia natura metalli eſt ſupra naturam elementi, tum quia qualitates elementorum per ſe non concurrunt ad aliquam formam mixti, niſi quatenus ab alia virtute diriguntur, vt maximè in animatis patet. Oportet igitur aliam virtutem eſſe velut cauſſam proximam, cuius qualitates elementorum ſunt inſtrumenta, inprimis calidum & frigidum. Calidum quidem ad dirigendum humidum & terreū, quæ concurrunt in hanc materiam, ac etiam ad formandum fluidum: frigidum verò ad coagulandum. Sicut igitur in materia lapidum virtutem quandam à cœlo impreſſam lapidum formatricem, medijs tamen qualitatibus elementorum dixi-

diximus; Sic proportionabiliter in elementorum materia aliquam virtutem eorum, calido & frigido medijs, formatricem eſſe, aſſeueramus. Quæ virtus mineralis metallorum formatrix ſpecifica dici poteſt.

8. Omnium metallorum materia aqua videtur.

Nam etſi ex quatuor elementis, vti etiam de lapidibus dictum, componantur: In eis tamen aqua, terreum ſubtile admixtum habens, abundare videtur. Cuius rei ſignum, quia liquabilia. Liquabile verò vnumquodque per humidum aqueum incorporatum. A frigido etiam coagulantur, vti oſtenſum: Verùm ſpecialiter metalla ex ſulphure & argento viuo generantur. Sulphur enim ſe habet ſicut ſemen maſculum, & argentum viuum velut menſtruum. Ex commixtione igitur horum diuerſa, varia oriuntur metalla.

9. Diuerſarum ſpecierum metalla exiſtunt.

Materia enim nulla ratione eſt in aliqua rerum naturalium permanente in natura, niſi ſit completa per formam ſubſtantialem. Videmus autem argentum permanere, & ſtannum, ſimiliter & alia metalla. Sunt igitur completa per ſuas formas ſubſtantiales, & conſequenter diuerſarum ſpecierum. Præterea quorum proprietates & paſſiones ſunt diuerſæ, eorum ſubſtantiam diuerſam eſſe oportet, cùm proprietates conſequantur ſubſtantiam rei. Videmus autem proprietates metallo-

tallorum colorè, odore, & ſonoroſitate omninò diuerſas eſſe, nec dici poteſt, quòd accidentia hæc communiter accidentia ſint, cùm omnibus eiuſdem naturæ metallis ſemper & vbique conueniant. Sunt igitur diuerſarum ſpecierum, & conſequenter habent diuerſas formas ſubſtantiales: Nam ſpecies ſumitur à forma. E quibus patet, formam metallorum non coagulationem eſſe, quia eſt communis omnibus, niſi quis excipiat, quòd coagulationes ſint diuerſarum rationum: Sed neque hoc, coagulationem formam ſubſtantialem eorum eſſe, efficeret: Quia liquefacta non retinerent ſpeciem & naturam ſuam, quod eſſe falſum apparet. Falſiſsimum ergo & erroneum Alchymiſtarum hoc enunciatum, formam auri formam omnium metallorum eſſe, aurúmque metallum perfectum eſſe, cætera verò in via ad ſpeciem auri: Quemadmodum abortus ſint in via ad formam ſpeciei perfectam. Quod ſi verum foret, proculdubio vnius ſpeciei ſemper eſſent, cuius oppoſitum probatum eſt. Falſum demum & id, quod commenti quidam ſunt, omnia ſc. metalla in quolibet metallo exiſtere: Vnius tantùm materiam in quolibet eſſe manifeſtam, aliorum verò occultam. Sed præter quod ſpecies rerum ſunt impermiſtæ, nullum quoq; ipſorum vnum ens foret ſimpliciter, quia vnitas ſimpliciter à formæ ſubſtantialis vnitate deſumitur, niſi fortè quodlibet eſſe in quolibet de potentia, quâ inuicem generatio ſit, intelligas.

Septem

10. Septem ſunt, ſecundum planetarum numerum, metallorum genera.

Non quia forma eorum ſit proportio virtutis terræ, ex qua generantur per virtutum à planetis effluxum, a quibus ad ſpeciem ſuam formantur, vt quidam dixerunt: Sed quia forma eorum attenditur ſecundum talem proportionem, ita quòd talis propoſitio ſit diſpoſitio ad formas illorum. Vniuerſaliter enim accipitur forma rei ſecundum proportionem principiorum agentium & patientium: Nam agentia dant formam ſecundum diſpoſitionem materiæ. Conuenienter autem dicuntur virtutes formatiuæ metallorum deriuari à planetis, ſicut virtutes formatiuæ lapidum deriuantur à ſtellis fixis. Cùm enim lapides ſint eſſentiæ ſtabilis, habent conuenientiam cum ſtellis fixis & imaginibus eorum, quæ perpetuò retinent determinatos ſitus & figuras ad inuicem: Sed metalla quaſi erraticum habent motum, modò liquida, modò coagulata. Et humidum, quod eſt eorum materia, eſt motus dubij: Ideo conueniunt cum planetis habentibus motum erraticum. Forma enim eſt ſimilis virtuti, à qua producitur, ſicut forma artificiati eſt ſimilis arti, & vniuerſaliter agens agit ſibi ſimile. Saturno autem plumbum, Ioui ſtannum, Marti ferrum, Soli aurum, Veneri æs, Mercurio argentum viuum, Lunæ argentum attribuitur.

11. Metalla inuicem tranſmutari poſſunt.

Hoc autem contingit & per naturam, & per artem chymicam. Per naturam quidem, quia cùm habeant vnam naturam communem valde propinquam, ſcilicet aquam, vt ſuprà diximus, in qua ſunt omnes formæ metallorum potentia, poteſt per tranſmutationem naturalem vnum ex alio fieri, in quantum ſc. materia vnius poteſt mutari ad formam alterius. Per artem verò poteſt hoc fieri non quidem virtute propriâ, ſed cooperando naturæ: Ars enim adiuuat naturam. Vnde periti Chymiſtæ operantur, ſicut periti medici, qui per medicinas purgantes materias corruptas, & facilè corruptibiles, impedientes ſanitatem, quæ finis intentus, euocant, & poſtea per confortantia virtutes reſtaurant, vt ſanitatem inducant: Et ſic ſanitas, quæ ſequitur, eſt effectus & naturæ effectiuæ & artis inſtrumentaliter. Sic periti Alchymiſtæ priùs purgant materiam argenti viui & ſulphuris, quam videmus eſſe in omnibus metallis: Poſtea confortant virtutes naturales, ſc. elementales & cœleſtes ad proportionem mixtionis metalli, quod facere intendunt. Et tunc ipſa natura operatur: Ars verò non niſi inſtrumentaliter modo dicto. Quod enim virtutes elementales & cœleſtes operantur in vaſis naturalibus, hoc etiam faciunt in artificialibus, ſi tamen formantur ad modum vaſorum naturalium. Et quod facit natura calido ſolis & ſtellarum, hoc ars calido ignis perficit: ſi tamen contemperetur, ita vt non excedat virtutem formantem, quæ eſt in metallis.

Huic

Huic enim ineſt vis cæleſtis, & inclinatur in hoc vel illud per artis iuuamenta. De ſe enim virtus cæleſtis eſt communis, & accipit determinationem per virtutes eorum, quæ ſunt ſubiectum eius in rebus commixtis. Atque ſic Alchymiſtæ verum aurum, argentum, & huiuſmodi producere poſſunt. Qui verò tincturis, manente priori in materia metalli ſpecie, vt ferè hodie omnes procedunt, nil agentes decepti decipiunt.

12. Licet metalla in diuerſis locis, vt plurimum tamen in lapidibus generantur.

Aurum enim inter arenas fluminum diuerſarum terrarum, inſtar granulorum generatum inuenitur: Idem in lapidibus, duobus modis. Nam quandoq; videtur toti lapidi incorporatum, quandoque etiam per modum venæ, quæ tranſit in toto, vel in parte, per ſubſtantiam lapidis. Argentum autem inuenitur quandoq; toti lapidi incorporatum, quandoq; per modum venæ protenſæ in lapide, quandoq; per modum venæ in terra, quandoq; etiam inſtar tenacium pultium, id quod puriſſimum eſt. Ferrum autem lapidibus, granorum milij modo, permiſtum. Æs verò venis lapidis, & quandoq; toti eius ſubſtantiæ incorporatum. Simili ratione plumbum & ſtannum reperitur: In quibus locis & argentum viuum. Sulphur verò ex lapidibus ignitis exudat, maximè ex lapidibus, quibus æs ineſt. In omnibus igitur his locis metalla per virtutes cæleſtes, eis per radios ſtellarum influentes, fiunt.

13. Plurima ſunt metallorum accidentia communia.

Et primum quidem eſt liquabilitas, & coagulatio. Et habet liquabilitas eorum aliquid proprium ab alijs, quæ liquantur. Alia enim diffluunt, nec remanet pars cum parte, ſicut ſal, cera, & huiuſmodi. In metallis autem non recedit à ſicco humidum, ſed in ipſo ſoluitur: Et cùm ſolutum fuerit, in eo mouetur, quaſi ipſum deglutiuerit terreum ſiccum. Ergo ſicut terreum prohibet humidum humefacere, & adhærere tangenti: Ita humidum prohibet ſiccum quieſcere, & ſic vnum agit in alterum. Cùm autem metallum eſt in aliquo non bene commixtum, eò quòd non vtrunque contineatur in vtroque, ſcilicet ſiccum in humido, & econuerſo: Tunc in igne aduritur terreum, & humidum euaporat: Quia nec humidum tenet ſiccum defendendo ab igne, nec ſiccum tenet humidum prohibens euaporationem. Coagulatio autem ipſorum non eſt adeò differens, ſicut liquatio, quia fit à frigido comprimente in centro ſicci humidum, quod ſiue purum, ſiue impurum ſit, ſiue bene commixtum, ſiue malè, comprimitur, & occultatum in centro ipſius ſicci ligatur, ne macula ſicci terrei ſubeat. Alterum accidens ductilitas ſeu ſequacitas eſt, cuius cauſſa illa, quæ dicta, ſcilicet humidum clauſum in ſicco, ſed non omnino ligatum. Nam cùm metallum mallio petitur, cedit, ſicq́ cedendo continuè protenditur. Variant tamen metalla in paſſione hac ſecundum magis & minùs, Aurum enim præ

cate-

cæteris, & poſt ipſum argentum ſunt ductilia: Deinde cuprum multum depuratum. Poſt hoc ferrum, minùs autem ſtannum & plumbum. Tertium eſt color. Triplex enim color inuenitur in metallis, ſecundum tamen plus & minus. Vnus communis, qui eſt ſplendidus fulgor per modum lucis incorporatæ in corpore colorato, qui inde cauſſatur, quòd id, quod metallis ineſt, perſpicuum, eſt humidum ſubtile & condenſatum. Perſpicuum enim condenſatum nitet, & fulget. Et quantò metallum habet aqueum ſubtilius, purius, & denſius: Tantò, ſi politum fuerit, nitidius eſt. Et ob hoc aurum præ omnibus fulget, & poſt hoc argentum. Alius eſt color albus communis pluribus, licet maximè argento conueniat. Cauſſatur is ex humido à ſicco terreſtri, ſubtili, & digeſto terminato. Quando verò terreſtre eſt lutulentum, impurum, vel aduſtum, tunc talia ſunt vel fuſca, vt lutum, vel nigra, vt terreſtre combuſtum. Tertius color eſt citrinus vel ſubrubeus, quem maximè habet aurum, & poſt ipſum cuprum. Hic ex ſulphure, ipſum metallum colorante, cauſſatur. Calidum enim, decoquens fortiter humidum terreſtri admixtum, conuertit ipſum ad colorem citrinum, vel ſubrubeum, veluti in vrina, lixiuio, & huiuſmodi patet. Et hoc contingit magis & minùs, ſecundum quod terreum & aqueum ſunt magis & minùs pura, & ſimiliter magis & mi-

minùs permixta. Quartum & quintum accidens metallorum ſunt ſapores & odores, qui generaliter in omnibus habent aliquid acuitatis, propter eam, quam habent, ſulphuream ſubſtantiam. Vnde ex eodem principio ex parte fœtidi, magis tamen vel minùs ſecundum diuerſam eorum mixtionem. Sextum eſt aduſtibilitas & inaduſtibilitas. Aduſtibilitas quidem conuenit eis ratione ſulphuris, quod eſt valde vnctuoſum & terreſtre, quæ cauſſa aduſtibilitatis eſt. Inaduſtibilitas verò ratione argenti viui, quod propter aqueum, in ipſo exiſtens, non eſt aduſtibile. Prout ergo metalla plus vel minus de ſulphure & argento viuo participant: Sic magis minusq́ cremabilia ſunt.

14. Inter lapides non liquabiles & metalla liquabilia natura fecit media.

Nam natura ad extrema per media procedit. Quæ igitur vtrorumque naturam, lapidum ſc. & metallorum participant, ſunt: vitrum, nitrum, alumen, ſulphur, bitumen, ſales, atramenta, & tincturæ chymicorum. Tantum enim hæc ſiccitatis non habent, vt omnino lapideſcant, nec tantum humiditatis, vt metalli formam capere queant. Et hæc de lapidibus, metallis, & inter hæc medijs, generaliter dicta ſint.

DE

DE ANIMA VEGETATIVA.

LIBER DECIMVS.

Summa & diſpoſitio libri X.

Expedita inanimatorum natura, ordo animatorum tractationẽ expoſceret. Cùm autem vnumquodque animatorum ab anima dicatur: hac cognita, & ipſum cognoſcetur. Autor igitur à communibus exorſus, primò de anima in genere agit: Secundò de vegetatiua in ſpecie. Atque primò quædam de ſcientia animæ præmittit, quo modo pars ſcientiæ naturalis, in 1. concluſione: quàm digna inter alias ſcientias, in 2. quàm vtilis, in 3. quàm difficilis, in 4. & quàm deſiderabilis, in 5. Secundò volens inueſtigare definitionem animæ, per quam eius natura manifeſtatur, præmittit, quare ab illa incipiendum, in 6. ex quibus inueſtiganda, in 7. & quomodo definienda eſt, declarans modum, quo definitur forma, in 8. Deinde quid non ſit, in 9. declarat quid ſit, in 10. communem ipſi conſtituens definitionem, ex qua, quomodo corpori vniatur, deducit in

11. quomodo ſe habet ad eſſe eius, in 12. & ad vitam eius, in 13. quæ altera animæ dici poteſt finitio. Tertiò de potentijs, quæ eius eſſentiam ſequuntur, in genere determinaturus, præmittit modum inueſtigandi illas, in 14. Deinde declarat, quomodo ſe habeant ad inuicem penes identitatem & diuerſitatem, in 15. & quomodo ſe habeant ad ipſam animam, in 16. Quartò ampliori generali animæ notitia, quot genera animæ, in 17. quot gradus viuentium, in 18. & quot genera potentiarum, in 19. oſtendit. Quoad ſecundum principale, primò præmittit duo, ſc. modum ſeu ordinem procedendi in 20. & communitatem huius animæ, in 21. Secundò iuxta ordinem dictũ incipiens à nutritiua, quæ eſt prima huius animæ potentia, declarat eius obiectum, in 22. 23. & cauſſam conuertendi ipſum in animatum tàm principalem quàm inſtrumentalem, in 24. deducens definitionem huius potentiæ, in 25. Tertiò de potentia augmentatiua, quæ ſequitur nutritiuam, agit: declarans eius obiectum, in 26. & definitionem eius, in 27. Quartò de potentia generatiua, prædictas ſequente, pertractat: declarans eius obiectum, in 28. naturalitatem eius actus, in 29. & eius definitionem, in 30. demum ipſam animam vegetatiuam, in 31. definit.

Concluſio ſiue regula prima.

Ad

1. Ad philoſophiam naturalem non tantùm animatorum, ſed & animæ pertinet conſideratio.

Nam ſubiectum phyſicæ naturalia. Huiuſmodi autem animata: Ergo phyſicæ ſubiecta. At etiam cùm paſſiones animatorum ſint cum materia vel in materia naturali, de his conſiderat phyſicus. Quicunq; autem paſſiones, etiam ſubiectum illarum ſpeculatur. Subiectum autem paſſionum animatorum non ſolùm corpus, ſed etiam anima eſt: Igitur ad phyſicum animæ animatorumq; pertinet conſideratio.

2. Scientia de anima, ſola excepta metaphyſica, alijs omnibus dignior.

Nam ſubiectum dignius cæteris habet. Nulla enim eſt nobilior forma, quàm forma animati, & licet aliquæ ſcientiæ quales mathematicæ, demonſtrationibus conſtent certioribus: habent tamen ſubiectum ignobilius. Nobilitas verò ſcientiæ magis ex nobilitate ſubiecti, quàm ex ſciendi modo attendenda, quamuis & hæc ſcientia non ſua deſtituatur certitudine.

3. Scientia de anima ad veritatem aliarum etiam inſignium ſcientiarum facit.

Naturalem quidem philoſophum iuuat: Quia eſt principium animatorum, & eius principalior pars & nobilior. Metaphyſicum etiam, quia per cognitionem animæ humanæ paulatim ad cognitionem ſubſtantiarum ſeparatarum aſcendit. Moralem quoque, quoniam ad illam ſcienti-am

tiam non, niſi per cognitionem potentiarum animæ peruenit. Omnes demum iuuat diſciplinas: Nam omnes per lumen intellectus, quod nobis hac ſcientia innoteſcit, acquiruntur.

4. Difficile eſt tractare de anima.

Eſt enim difficile eius definitionem inueſtigare, & partes eius, & operationes eius, per quas tamen in cognitionem ipſius animæ deuenire oportet. Signum autem difficultatis huius eſt, plurimorum de anima tractantium lapſus, & opinionum hac de re diuerſitas.

5. Deſiderabile eſt tractare de anima.

Euenit hoc non ſolùm propter dignitatem ipſius cognitionis, ſed etiam quòd homo, quid ſit anima humana, num mortalis vel immortalis, propter naturale deſiderium finis, ſcire deſiderat.

6. A definitione animæ in genere priùs incipiendum eſt.

Nam oportet priùs de ſubiecto cognoſcere, quia eſt, & quid eſt: quoniam definitio medium demonſtrationis eſt. Et quamuis non ſit aliqua anima communis, quæ ſit à particularibus ſeparata: eſt tamen quærenda vna communis definitio animæ, quæ poſtea ſingulis aptari poßit. Primò enim in vnaquaque ſcientia communia ſeorſim, & poſtea propria vnicuique, ne idem repeti frequenter contingat, conſiderari oportet.

7. Hæc definitio ex operibus & paſsionibus animæ inueſtiganda.

Accidentia enim, & maximè quæ ſunt propria,

pria, plurimum ad inueſtigandas definitiones rerum, ſicut effectus ad cognitionem cauſſarum conferunt. A notioribus enim ad inueſtiganda ignota procedendum. Operationes autem animæ ſunt nobis per ſenſum notæ, quæ nos in cognitionem potentiarum eius, & potentiæ rurſum in cognitionem naturæ deducunt. Solemus etiam aliquando per artificialia, ea quæ per naturam fiunt, declarare. Ex his igitur animæ inueſtiganda definitio.

8. Forma non definitur abſque eo, quod extra naturam eius eſt.

Non enim definitur forma ſine materia & ſubſtantia: quia non habet eſſe completum in ſpecie. Et ideo cùm anima ſit forma animati, non definitur ſine ſubiecto, quod extra naturam eius eſt. Quòd autem ſit forma animati, ex eo, quod dat eſſe & operari, patet: Vnde deficiente anima deficit animatum, quo ad eſſe & operari. Ex operatione ergo animati venimus in cognitionem animæ, & maximè ex motu & ſenſu. Illa enim, quæ ſeipſa mouent, animata iudicamus.

9. Anima non eſt corpus.

Eſt enim forma, quæ dat vitam corpori. Vnde corpus eſt ſubiectum eius & materia. Non autem ipſa eſt corpus, aliter duo corpora ſimul forent. Et cùm nullum corpus ſit abſque compoſitione materiæ & formæ: animam componi ex materia & forma neceſſariò ſequeretur. Tum hæc forma non foret niſi anima, quæ aliter non daret eſſe animatum. Atque ſic in infinitum procedere-

tur,

tur, ſiquidem pari ratione de illa forma, an corpus eſſet, & ſic de aliis quæri poſſet. Statuendum ergo, animam corpus non eſſe.

10. Anima eſt actus primus corporis phyſici organici.

Actus quidem eſt corporis, quia, vt iam dictum, eius forma eſt. Primus autem dicitur, quia eſt actus ſicut ſcientia, & non ſicut conſiderare. Nam primus actus dicitur forma, & ſecundus operatio. Eſt ergo anima actus primus corporis. Dicitur autem Phyſici, ad differentiam corporis artificialis. Item organici, quia non eſt actus cuiuſcunque corporis naturalis, ſed tantùm eius, quod ſit organizatum, quia ſic potentia vitam habet. Sicut enim anima dat vitam: Ita & corpus recipit eam, ſed non quodcunque corpus, ſed illud, quod eſt in potentia ad illam. Hoc autem eſt corpus organizatum, quia ſic eſt diſpoſitum ad hanc formam. idcirco idem eſt dicere organicum, & potentia vitam habens. Dicitur autem hoc corpus potentia vitam habere, non quaſi animam actu abiiciat, ſed habet animam actu, & conſideratur cum omnibus ſuis organis & diſpoſitionibus abſque anima, ipſiq; comparatur, ſicut potentia actui, & materia formæ. Eſt etiam potentia vitam habens, id eſt, operationes vitæ, quia non ſemper operatur. Requirit autem diuerſitatem organorum: Quia cum inter alias formas ſit perfectiſſima, habet diuerſas operationes & virtutes, quæ diuerſa requirunt organa.

Ani-

11. Anima nullo mediante vnitur corpori.

Vnitur enim corpori, cùm ſit actus corporis, vt forma: Et ideo ei per ſe, quemadmodum & qualibet forma (veluti ſignum ceræ) nullo mediante vnitur.

12. Anima eſt forma ſubſtantialis.

Eſt enim forma dans eſſe ſimpliciter & ſubſtantiale: Quia eſt actus corporis phyſici, & aduenit enti exiſtenti in potentia, non autem enti in actu. Hæ autem ſunt formæ ſubſtantialis conditiones, quibus differt à forma accidentali. Eſt igitur forma ſubſtantialis.

13. Anima eſt principium viuendi, & cauſſa corporis.

Sic enim accipiatur viuere pro eſſe viuentis, ſic anima eſt principium viuendi: quia principium eſſendi ipſi viuenti eſt. Similiter ſi viuere accipiatur pro operatione viuentis. Anima enim eſt principium vegetandi & ſentiendi & intelligendi: Vnde etiam cauſſa corporis formalis, quia dat illi eſſe, & finalis, quia gratia ipſius corpus ſic diſponitur, & etiam, vt principium motus, quia eſt natura & principium ipſum mouendi animatum.

14. Ex diuerſitate operationum animæ, partium ſeu potentiarum eius diuerſitas cognoſcitur.

Potentia enim ordinatur ad actum: Et potentia actiua ordinatur ad actionem, quæ eſt operatio

ratio, & ideo ſecundum quod variant actus ſeu operationes animæ, ita & potentiæ. Diuerſitas igitur potentiarum ex diuerſitate operationum cognoſcitur.

45. Omnes partes animæ, ratione, id eſt, quidditate, non autem ſubiecto diſtinguuntur.

Cùm enim ordinentur ad diuerſas operationes: oportet quòd ſint diuerſarum rationum, non tamen quòd ſint in diuerſis ſubiectis neceſſe. Nam vegetatiuum, ſenſitiuum, & appetitiuum, & motiuum, in eadem inueniuntur parte corporis, vt in diſſectis quibuſdam patet animalculis. Aliquæ tamen partes etiam ſubiecto ſunt ſeparatæ. Nam viſus eſt in oculo, auditus in aure, & ſic de alijs.

16. Hæ partes non ſunt diuerſæ animæ.

Sunt enim diuerſæ virtutes animæ: non tamen diuerſæ animæ, quia vnica forma eſt in vnico ſuppoſito. Nam forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter. Si autem ibi eſſent diuerſæ formæ ſubſtantiales, prima ſola daret eſſe ſimpliciter, aliæ verò ſecundum quid: aut vnumquodque animatum plures res foret, ſi haberet plura eſſe ſimpliciter. Non igitur diuerſæ ſunt, ſed partes ſolùm animæ.

17. Triplex eſt genus animæ.

Anima enim viuenti eſſe dat. Aliquando igitur dat eſſe materiale, ex quo videlicet animatum eſt tantùm id, quod eſt. Et nihil aliud ſit per ſimilitudinem, quam recipiat in ſeipſo, quia nihil

cogno-

cognoſcit. & hoc plantarum per animam vegetatiuam eſſe. Aliquando autem facit, vt non ſolùm animatum ſit, ſed etiam ſimilitudinem aliarum rerum, ſed particulariter ſolùm, recipiat, quod animalia bruta per ſenſum, mediante anima ſenſitiua, faciunt. Aliquando autem in cauſſa, vt etiam res in ſe vniuerſaliter ſuſcipiat, quod animæ intellectiuæ opus. Itaq; triplex genus animæ, quorum vnumquodq; ab altero ſeparari poteſt. Sic vegetatiua abſque ſenſitiua, & hæc ſine intellectiua, non tamen econuerſo, exiſtere poteſt.

18. Quatuor ſunt viuentium gradus.

Primò vegetatiuum, quod vnius generis. Secundò ſenſitiuum, in id, quod motu locali mouetur, & motiuum ſecundum locum dicitur: & in id, quod non mouetur hoc motu, nomenq; ſolùm ſenſitiui retinet: in quibus duobus generibus ſenſitiuum & appetitiuum eſt, quia appetitus ſenſum ſequitur. Quartum autem intellectiuum exiſtit.

19. Quinque ſunt generales potentiæ animæ.

Appellaremus iam vegetatiuam, ſenſitiuam, motiuam, & intellectiuam potentiam, quibus adiungere oportet appetitiuam. Nam poſito, quòd ſemper ſenſitiuam ſequatur, nihilominus ab aliis quidditate diſtinguitur, eſtq; in animalibus, veluti infrà declarabitur, motus principium. Quinque igitur potentiarum animæ genera.

20. Priùs de obiectis, quàm de actibus

animæ, & priùs de actibus, quàm de potentijs agendum.

Obiecta enim ſunt actibus priora definiendo. Nam agendi aut patiendi principia ſunt: Ad actus vero ordinantur potentiæ. Magis autem à nobis obiecta, quàm actus, & actus magis, quàm potentiæ cognoſcuntur. Hoc ergo ordine procedendum.

21. Nullum animatum eſt abſque anima vegetabili.

Intelligo autem animati nomine corruptibile. Huic enim animæ operationes, ad eſſe materiale conſeruandum & generandum pertinentes, attribuuntur, abſque quibus animata eſſe nequeunt. Nam ei nutritio, augmentatio, & generatio tribuitur, & ideo ſine hac nullum animatum corruptibile exiſtit. Cùm autem plantæ abſq; alijs potentijs ſubſiſtant, ab hac, veluti fundamento, faciamus initium.

22. Alimentum eſt ens per ſe in potentia ad corpus animatum.

Per ſe enim ordinatur ad corpus animatum, vt videlicet in ipſum conuertatur, & humidum deperditum reſtauret. Eſt ergo per ſe in potentia ad ipſum.

23. Alimentum in principio contrarium, in fine autem ſimile eſt.

Semper enim patiens contrarium agenti in principio, eiq; repugnans: in fine autem ad naturam & ſimilitudinem conuertitur agentis. Cùm igitur animatum agat in alimentum, ipſum in principio

cipio contrarium, in fine verò eſſe ſimile oportet.
24. Alimentum in ſubſtantiam nutriri ab anima, mediante tamen calore naturali, conuertitur.

Anima enim eſt, quæ dat eſſe & rationem & operationem animato: Vnde eſt agens principale in nutritione. Sed alimentum non poteſt onuerti in ſubſtantiam animati, niſi per calorem aturalem: Ideo calor eſt inſtrumentum animæ ad anc operationem.

5. Potentia vegetatiua eſt virtus aniæ, qua alimentum in ſubſtantiam nutriti onuertitur.

Non enim anima immediatè agit: Quia anima undum ſuam ſubſtantiam dat eſſe animato. Et eſt actus, qui immediatè ab ea prodit: Sed as, qui eſt operatio, non egreditur ab ea, niſi mente aliqua potentia & virtute ad illam opeionem ordinata. Conuertit ergo anima alitum in ſubſtantiam nutriti, & nutrit medie illa potentia, quæ vegetatrix dicitur.

Alimentum, vt quantum, obiectum menti eſt.

limentum enim, prout eſt quantum per ſe, ad titatem augendam, ſicut alimentum ad ſubiam conſeruandam, vt tale, ordinatur. Alium igitur, vt ſubſtantia, nutrit: vt verò quan, auget.

Potentia augmentatiua eſt virtus aniqua animatum augmentatur.

Operatio enim, qua animal vel animatum augmentat corpus, ab aliqua animæ virtute procedit, quia, vt dictum eſt, anima non operatur immediatè per ſeipſam, quamuis ſit principale agens, ex qua procedit debita quantitas & menſura in animato. Hæc autem virtus dicitur augmentatiua: Ergo &c.

28. Alimentum ſecundum ſuum ſuperfluum obiectum generationis eſt.

Semen enim, per quod fit generatio, eſt ſuperfluum alimenti. Et ideo alimentum ſecundum hoc ſuperfluum eſt obiectum generationis.

29. Naturaliter omne viuens quale ipſum generat.

Vnumquodq; enim eſſe ſempiternum appetit: Id, quod cùm in indiuiduo obtinere nequeat; in ſpecie ſaltem perpetuari vult. Hoc autem fit per generationem. Et ideo naturaliſſimum eſt viuentibus generare.

30. Potentia generatiua eſt virtus animæ vegetatiuæ cæteris perfectior.

Quia tunc vnumquodq; dicitur perfectum, quando tale, quale ipſum eſt, præſtare poteſt, non autem tale per alias virtutes. Ergo hæc eſt cæteris perfectior, & ideo per hanc anima hæc definienda.

31. Anima vegetatiua eſt actus primus corporis phyſici organici, habens virtutem nutriendi, augmentandi, & generandi ſolùm.

Vt enim dictum eſt, perfectior virtus eius

eſt

eſt generatio. Huiuſmodi autem anima plantarum, quam ab alijs animabus ſeparatam habent. Et tantum de anima vegetatrici.

DE ANIMA SENSITIVA.

LIBER VNDECIMVS.

Summa & diſpoſitio libri XI.

POſt animæ vegetatiuæ conſiderationem, ſequitur animæ ſenſitiuæ, quæ ſuperior illa eſt, contemplatio, de qua hoc libro agit autor: Et primò quidem de cognoſcente, quæ eſt prima eius pars, hoc ordine. Nam initio de ſenſibili & ſenſu in genere: poſtea de ſingulis ſenſibus exterioribus. Tertiò, de ipſis in genere. Quartò, de ſenſibus interioribus tractat. Quoad primum tria facit. Primò enim oſtendit neceſsitatem ſenſus, ſeu quæſtionem an ſit, in 1. concluſione: naturam obiecti eius, in 2. & modum, quo reducit in actum, in 3. Eſt enim potentia paſsiua. Secundò, ne quis exiſtimet, vnum eſſe obiectum commune omnium ſenſuum, oſtendit ipſum diſtingui iuxta diſtinctionem ſenſuum, in 4. & quomodo ſenſus illa cogno-

gnoſcat, ſcilicet in ſingulari, in 5. Tertiò de illis obiectis determinat, diſtinguens & manifeſtans tria genera ſenſibilium, ſcilicet propria, in 6. communia, in 7. per accidens, in 8. Quoad ſecundum, præmiſſo ordine procedendi, circa ſenſus in ſpecie, incipiens à ſenſu viſus, tanquam inter exteriores nobiliori, in 9. Circa quem obiecta, ſcilicet colorem, diaphanum, & lumen conſiderat: Hæc enim tria ad obiectum viſus pertinent. De colore quidem oſtendit, quid ſit, in 10. & quomodo viſibilis, in 11. De diaphano autem, quid ſit, in 12. De lumine verò, quid ſit, in 13. Ex quo deducit, quid non ſit, in 14. & 15. ſubiungens in 16 aliam definitionem eius, quæ eſt magis materialis, prima autem magis formalis, ex qua definitione deducit duo, ſc. lucem non habere contrarium, in 17. & quæ ſint corpora magis ſuſceptiua lucis, in 18. Secundò agit de neceſsitate luminis, oſtendens, an requiratur propter obiectum, vel propter medium, in 19. ex quo deducit, quomodo diaphanum ſit viſibile, & quomodo non, in 20. Tertiò agit de medio, excludens vacuum, in 21. & oſtendens, quomodo ſe habeat medium ad immutationem viſus, in 22. Quartò de modo videndi declarans duo, ſcilicet cur remota minùs videantur, in 23. & an fiat extramittendo, vt

vt quidam dixerunt, in 24. Quintò agit de quodam viſibili innominato, quod videtur & in lumine, & in tenebris, licet diuerſimodè, in 25. Demum ex dictis deducit definitionem viſus, in 26. & eius nobilitatem, in 27. Circa ſenſum auditus primò determinat de obiecto eius, ſcilicet ſono, in 28. de echo, in 29. quæ eſt quædam ſpecies ſoni, & de voce, in 30. quæ item ſpecies ſoni eſt. Secundò deducit definitionem auditus, in 31. Circa olfactum, qui auditum nobilitate ſequitur, ſicut auditus viſum; primò determinat de eius obiecto, declarans duo, ſcilicet difficultatem tractandi de illo præ alijs ſenſibilibus, in 32. & naturam eius, in 33. Secundò agit de ipſa potentia olfactus, declarans ſimiliter duo, ſcilicet naturam eius, in 34. & vnitatem ſpecificam eius, in 35. Circa guſtum, qui ſequitur olfactum, duo quoque peragit. Primò de obiecto, oſtendens, quid ſit, in 36. & quod eius medium, in 37. Secundò de ipſa potentia guſtus, de qua oſtendit, quomodo ſe habeat ad ſaporem, quoad eſſe naturale, in 38. & quid ſecundum naturam ſuam, in 39. Circa tactum, qui eſt vltimus ſenſuum exteriorum, quoad dignitatem, licet ſit primus, quoad naturam, quia eſt fundamentum aliorum, docet multa: Primò eius obiectum declarans, in 40.

Secundò definit ipſum tactum, in 41. deducens ex illa definitione eius neceſsitatem, in 42. Tertiò agit de organo eius, oſtendens, quid non ſit, & quid ſit, in 43. Quartò de medio, in 44. Quintò de vnitate & diuerſitate eius, in 45. Non enim videtur vnus, veluti cæteri ſenſus. Et quia eius organum penitus à qualitatibus tangibilibus denudari nequit, quomodo in potentia ad illas ſit, quæ ad ſenſationem requiritur, in 46. oſtendit. Demum comparatur ad guſtum, qui videtur quidam tactus, in 47. Quoad tertium principale, docet quatuor. Primò, quid ſit ſenſus exterior in genere, concluſione 48. Secundò, quomodo ſe habeat ad excellentias ſenſibilium, in 49. Tertiò agit de numero ſenſuum exteriorum, in 50. Et quia hic numerus ſumitur ſecundum diſtinctionem ſenſibilium propriorum: demum excludit ſenſum proprium reſpectu ſenſibilium communium, in 51. Hæc enim quatuor reſtabant circa ſenſus exteriores: Quoad quartum præmiſſa neceſsitate ſenſuum interiorum, in 52. incipit à ſenſu communi, qui illorum primus eſt, quem ex duabus operationibus, vnum, quod vtrique commune, interponens, venatur. Primò igitur declarat & neceſsitatem & naturam ſenſus communis ex perceptione differentiæ ſenſibilium propriorum, in 53. ex quo deducit ipſum eſſe potentiam organicam,

cam, & quale ſit organum eius, in 54. & nobilitatem eius reſpectu exteriorum ſenſuum, in 55. Secundò interponit identitatem actus ſenſibilis & ſentientis, in 56. Tertiò declarat rurſum neceſsitatem & naturam eius ex perceptione actuum ſenſuum exteriorum, quam priùs remouet ab ipſis ſenſibus exterioribus, in 57. & deinde attribuit illam ſenſui communi, in 58. Poſt ſenſum communem agit de phantaſia, quæ ipſum ſequitur: Cuius primò oſtendit neceſsitatem, in 59. Secundò quid non ſit, remouens quædam, quæ putabantur eſſe, ſc. opinionem, in 60. ſenſum, in 61. & cum quibuſdam alijs intellectum, in 62. Tertiò oſtendit, quid ſit, ponens eius definitionem, in 63. ex qua deducit quandam eius proprietatem, in 64. Poſt phantaſiam agit de extimatiua brutorum, & cogitatiua hominis: declarans primò neceſſitatem & naturam earum, in 65. Secundò differentiam earundem, in 66. Deinde de memoratiua agit, declarans primò neceſsitatem & naturam eius, in 67. Secundò actũ, qui dicitur memoria, in 68. Tertiò comparat memoriam hominis ad memoriam brutorum, in 69. Et quia in homine eſt etiam reminiſcentia, declarat quartò quid ſit, in 70. & quomodo tam ipſa quàm memoria poſſunt arte iuuari, in 71. Demum loco colophonis huius libri, de numero & ſufficientia

tum habet. Obiectum autem potentiæ cognoſcitiuæ eſt actiuum, quod eam ad cognoſcendum mouet. Nam ſenſus eſt potentia paſſiua, & ſentire eſt quiddam pati & ab obiecto moueri. Ideo vnicuiq; potentiæ ſenſitiuæ aſſignare obiectum proprium oportet.

5\. Senſus eſt ſolùm ſingularium cognoſcitiuus.

Vnumquodq; enim operatur per modum ſui eſſe: quia in operatione nihil excedit propriam naturam. Senſus eſt autem potentia in materia, quia habet organum corporale, vt inferiùs oſtendetur in particularibus ſenſibus. Cùm igitur materia ſit principium indiuiduationis: patet, quòd potentia ſenſitiua indiuiduatur in organo, & ſine organo non operatur. Et ideo quicquid recipit, ſingulariter recipit, quia vnumquodq; eſt in altero per modum ipſius recipientis. Si igitur aliquid eſt in organo vel in potentia ſenſitiua, non poteſt eſſe in ea, niſi particulariter. Solùm igitur ſingularium cognoſcit ſenſus.

6\. Sunt quædam ſenſibilia propria, & quædam ſenſibus ipſis communia.

Communia dico, quia pluribus ſenſibus cognoſci poſſunt, & nulli ſpecialiter appropriantur. Hoc autem eſt manifeſtum in pluribus: Magnitudo enim tàm viſu, quàm tactu cognoſcitur. Et ſimiliter figura & numerus viſu & auditu cognoſcitur: Pariter viſu, auditu, & tactu motus, & eius contrarium quies. Propria verò dicuntur,

qua

quæ tantùm à ſingulis ſentiuntur, circa quæ non contingit ſenſus errare, ſicut color reſpectu viſus, ſonus reſpectu auditus, odor reſpectu olfactus, ſapor reſpectu guſtus, calidum, frigidum, humidū, & ſiccum reſpectu tactus, vt infrà docebitur. Circa tale igitur ſenſibile, ſi organum rectè ſit diſpoſitum, & in debita diſtantia obiectum locatum, ſenſus non fallitur. Eſt enim obiectum eius proprium.

7. Senſibilia communia ſunt aliquo modo per ſe, & aliquo modo per accidens.

Sunt enim per accidens, quia non mouent ſenſus, eliciendo actum & ſpecificando. Viſus enim à ſolo colore vel luce mouetur, auditus à ſono, olfactus ab odore, guſtus à ſapore, & tactus à qualitatibus tangibilibus. Si ergo aliqualiter mouent ſenſum, id nequeunt, niſi propter hæc obiecta, quæ ſunt illis propria: Ergo per alterum mouent, & non per ſe. At verò aliqualiter per ſe, quia aliquem actui modum præbent. Quamuis enim non eliciant actum niſi per alterum: tamen mouent ſenſum magis vel minus intenſè, vtputa, ſi in magna quantitate ſit albedo, plus mouebit viſum, quàm ſi ſit in parua, & ſic de alijs poteſt aſſignari hæc ratio, & ideo per ſe dicuntur, quia per ſe dant actui ſenſus modum, licet per ſe non moueant. Sunt ergo inter ſenſibilia propria & per accidens media,

8. Senſibile per accidens ab alia potentia, quàm à ſenſu exteriori cognoſcitur.

Sen-

Senſibile per accidens dicitur aliquid, quod coniungitur cum ſenſibili per ſe, vt quia homo coniungitur cum albedine, dicitur homo viſibilis per accidens, id eſt, per alterum, hoc eſt, per albedinem. Senſus ergo non poterit cognoſcere niſi ſenſibile per ſe, quia nulla potentia fertur extra ſuum obiectum. Senſibile ergo per accidens ab alia potentia, quàm à ſenſu cognoſcitur.

9. De ſenſibus exterioribus priùs eſt tractandum, quàm de interioribus.

A notioribus enim nobis eſt inchoandum. Senſus autem exteriores ſunt nobis notiores: A viſu ergo, quia eſt nobilior inter alios ſenſus exteriores, & quia habet organum magis manifeſtum, exorſi, priùs de obiecto potentiæ viſiuæ tractabimus.

10. Color eſt extremitas perſpicui in determinato corpore.

Perſpicuum enim etſi ſecundum nominis proprietatem dicitur diaphanum vel transparens: nunc tamen accipitur pro quocunque, quod eſt ſuſceptiuum luminis qualitercunque & ſolùm in ſuperficie, ſicut eſt terra, cuius partes ſuperiores craſſæ obumbrant inferiores. Vnde perſpicuum eſt quædam natura communis corporibus multis. Aliud enim ſunt in quantum corpora, & aliud in quantum perſpicua. Forma autem huius perſpicuitatis eſt lux, extremitas verò eius eſt color. Aliud enim eſt extremitas corporis, quæ eſt ſuperficies, & aliud extremitas perſpicui in corpore

re terminato: quia non videntur corpora, niſi ſint terminata. Vnde ipſis non ineſt color, niſi terminentur. In corporibus ergo non eſt color, niſi potentia, & ideo, ſecundum quod perſpicuum, plus participat de luce, quæ eſt forma eius. Sic eſt magis album, à quo maximè recedit nigrum: Et ſecundum quod diuerſimodè corpora diſponuntur, ſecundum diuerſam ad album & nigrum proportionem: Sic diuerſæ ſpecies colorum mediorum exiſtunt.

11. Color eſt viſibilis per ſe.

Quod enim per ſe mouet diaphanum & tranſparens, eſt viſibile per ſe. Sed huiuſmodi eſt color. Nam color per diaphanum ſuam ſpeciem, vel ſimilitudinem diffundit vſque ad oculum, & ſic mouet diaphanum, & videtur. Hæc verò propoſitio: Color eſt viſibilis, eſt in ſecundo modo dicendi per ſe.

12. Diaphanitas eſt proprietas conſequens quandam naturàm communem.

Non enim conſequitur naturam ſpecialem alicuius corporis, puta aëris. Ita enim omnia diaphana habere aëris naturam oporteret, ſed conſequitur naturam ad omnia corpora diaphana communem.

13. Lumen eſt actus diaphani.

Non enim aliquid eſt tranſparens in actu per lumen. Vnde lumen quaſi color eſt diaphani, & per conſequens actus eius.

14. Lumen non eſt corpus, nec natura ſpiritualis nec euidentia coloris. Si

Si enim eſſet corpus, cùm diffundatur per corpora, duo corpora eſſe ſimul, ſequeretur, & præterea diffunderetur in toto hemiſphærio, nec in inſtanti deferretur, quia motus localis non in inſtanti fit. Non autem diffunditur in tempore, quia in tanto ſpatio latere hic motus non poſſet. Diffunditur igitur per totum hemiſphærium in inſtanti, non verò priùs in medio, quàm in fine. Non eſt etiam natura ſpiritualis, quia lumen ſenſu percipitur: Nec quoque euidentia coloris, quia multa noctu cernimus, quorum colorem proprium non percipimus.

15. Lumen non eſt forma ſubſtantialis, nec eſſe ſolùm intentionale habet.

Forma enim ſubſtantialis viſu aut ſenſu percipi per ſe non poteſt. Et intentio non alterat realiter, vt patet de ſpeciebus colorum per aërem intentionaliter diffuſis: Sed lumen realiter alterat iſta inferiora, & per ſe videtur. Non eſt igitur forma ſubſtantialis, nec habet eſſe intentionale tantùm.

16. Lumen eſt qualitas actiua corporis cœleſtis.

Nam non eſt ſubſtantia, vt dictum eſt, nec etiam eſt quantitas, vt patet, nec relatio, nec aliquid aliorum prædicamentorum: Ergo ſit qualitas oportet, & quòd corpus cæleſte per ipſum lumen in inferiora agat, experimur. Eſt igitur qualitas eius. Verùm lux propriè eſt illa, quæ eſt ſubie-

ctiuè

ſtiuè in ſole: Lumen verò illud, quod diffunditur in alia corpora, & eſt effectus lucis, & quædam eius participatio, quod cùm directè procedit, radius: Ubi verò ad aliquod corpus lucidum reflectitur, ſplendor dicitur. Notandum tamen, quòd non eſt qualitas cuiuſcunque corporis cœleſtis, ſed ſolis vel cuiuſcunque à ſe lucentis alterius, ſi aliquod eſt tale. Hinc diuerſarum ſtellarum radij diuerſos effectus ſecundum diuerſam naturam corporum ſuorum obtinent.

17. Lux non habet contrarium.

Quia eſt qualitas primi corporis non habentis contrarium. Et hæc eſt ratio. Nam ſuſceptiuum lucis mox illuminatur, quòd ibi nullum contrarium repugnans exiſtat. Tenebræ enim priuatio lucis, non contrarium.

18. Quantò corpora ſunt formaliora, tantò magis ſunt lucis ſuſceptiua.

Sunt enim magis propinqua ei, quod eſt ſubiectum lucis, quodq́ primum alterans eſt. Et ideo ei ſunt ſimiliora: Et per conſequens magis ſuſceptiua proprietatis eius, quæ lux eſt.

19. Lumen ad videndum ex parte medij tantùm neceſſarium.

Color enim ex ſe eſt viſibilis, cùm ſit quaſi quædam lux obumbrata, ſed propter imperfectionem ſuam non poteſt ſibi medium diſponere. Et ideo color ſine lumine videri non poteſt: Cuius etiam ſignum. Quia ſi color ponatur ſuper organum viſus, non videbitur, quia requirit medium, ſc. dia-

diaphanum actu, quod eſt ſuſceptiuum coloris ſecundum ſuam ſpeciem vel ſimilitudinem : Quia ſic color mouet viſum. Eſt ergo neceſſarium lumen ex parte medij tantùm.

20. Diaphanum ſecundum ſe eſt inuiſibile.

Oportet enim quòd ſuſceptiuum coloris colore careat : Quia nihil recipit, quod iam habet. Quod autem ſecundum ſe non colorem, neque lumen habet, ſecundum ſe eſſe inuiſibile oportet. Ergo diaphanum ſecundum ſe inuiſibile.

21. Si eſſet vacuum, viſio per ipſum non fieret.

Oportet enim organum pati à viſibili ſpiritualiter per aliquod medium, per quod ſpecies viſibiles deferuntur, vt dictum eſt. Quia ſi poneretur ſenſibile ſupra ſenſum, cùm ibi non eſſet medium, non fieret ſenſatio. In vacuo autem non eſt medium : Non igitur in ipſo fieret viſio.

22. Medium immutationi viſibilis non reſiſtit.

Eſt enim ſemper in vltima, ad ſuſcipiendum coloris ſpecies & lumen, diſpoſitione : Et in hoc non habet aliquid contrarium. Ergo medium non reſiſtit : Intellige tamen, ſi ſit diſpoſitum.

23. A remotiori minus videtur.

Fit hoc non propter medium : Quia non reſiſtit, ſed propter pyramidem, quæ in viſione cauſſatur, cuius baſis eſt in re viſibili. Et quantò viſibile magis elongatur : tantò etiam acuitur magis,

gis, & minoratur. Et ſic plùs fatigatur in videndo oculus: & eò vſque imminui poteſt, vt ad videndum non ſufficiat.

24. Viſio non fit extramittendo.

Si enim id, quod extrà emittitur, eſſet lumen, videremus in nocte. Si autem eſſet ignis, vt quidam dixerunt, non videremus in aqua. Si autem eſſet corpus, duo corpora eſſent ſimul. Denique quicquid eſſet, non veriſimile, ad aſtra vſque protendi poſſe. Ergo non fit extramittendo.

25. Quædam in lumine, vt colorata, & in tenebris, vt lucentia, videntur.

Sunt enim lucentia. Sed die maius lumen offuſcat minus: Et ita ſolùm vt colorata videntur. Nocte autem lucent: Et ſic vt lucentia; non verò vt colorata apparent: Sicut ſunt quædam animalcula, noctiluca dicta. Sed ignis tàm in tenebris, quàm in luce eodem modo conſpicitur: Quia lumen eius ad mouendum diaphanum efficax.

26. Potentia ergo viſiua eſt virtus animæ, exiſtens in organo, qua colorem ſeu lucem cognoſcit.

Nam obiectum eius eſt quoddam innominatum, quo colores & lux comprehenduntur, id viſibile per ſe primò dicatur. Habet hæc potentia organum, quod eſt oculus, ſeu pupilla oculi: Et eſt in eo tanquam in ſubiecto, & non eſt ſine eo. Vnde eſt virtus non tantùm animæ, ſed etiam

iam totius animati, id eſt, animæ & corporis. Eſt autem organum eius aqueum. Cùm enim organum ſenſus ſit quaſi medium coniunctum, debet eſſe medio extrinſeco proportionatum. Vnde ſicut medium extrinſecum eſt perſpicuum, ita & organum debet eſſe perſpicuum: Id autem corpus cæleſte eſſe nequit, quia non venit in compoſitionem inferiorum. Nec ignis ſiue igneum: Quia videremus de nocte: Nec aëreum: Quia aër non eſt ita ſpiſſus & tenax, prout organum requirit viſus. Eſt igitur aqueum. Et propter eandem cauſſam, vt ſcilicet organum ſit proportionatum medio, requiritur ad videndum intus aliquod lumen, quale etiam in medio, vt ſuprà dictum eſt, poſtulatur. Si enim virtus viſiua eſſet in ſuperficie exteriori: ad videndum lumen exterioris perſpicui ſufficeret, per quod immutatio coloris ad ſuperficiem pupillæ veniret. Sed ſenſorium eſt iuxta cerebrum, vbi duo nerui optici coniunguntur. Idcirco in perſpicuo interiori, quod eſt organum, aliquod lumen, vt vniformis immutatio à re viſa vſque ad principium viſiuum fiat, exiſtere oportet.

27. Viſus perfectior & nobilior omnium ſenſuum exteriorum eſt.

Primo quidem, quia ſua apprehenſione annunciat nobis plures differentias rerum, & diuerſorum modorum. Et hoc ideo, quia eius obiectum, quod eſt viſibile, inuenitur in omnibus corporibus, quod non contingit de obiectis aliorum

ſenſuum. Fit enim aliquid viſibile per hoc, quod diaphanum actu illuminatur à corpore lucido, in quo ſuperiora corpora cum inferioribus communicant. Secundò, quia eius immutatio eſt ſpiritualior. Fit enim ſolùm intentionaliter. Immutatio autem aliorum fit ſemper cum aliquo motu reali, vt infrà patebit. Tertiò, quia per viſum magis percipiuntur ſenſibilia communia. Nam quantò potentia habet virtutem vniuerſaliorem, tantò eſt efficacior in cognoſcendo, vtpote potentior. Viſus autem, vt dictum eſt, plura cognoſcit. Eſt igitur efficacior & potentior virtus eius ad cognoſcendum, non ſolùm propria, ſed etiam communia, & ideo cæteris ſenſibus exterioribus nobilior.

28. Sonus eſt qualitas ex corporum ſolidorum ad inuicem percuſsione cauſſata.

Corpora enim dura cùm percutiunt ſe inuicem, vel vnum percutit alterum. Si ſubitò occupatur medium, id eſt, aër vel etiam aqua, & frangitur, fit ſonus. Dico autem ſubitò: Quia ſi paulatìm aër diuideretur à corpore ſolido, non cauſſaretur ſonus. Requiritur etiam corpora quòd ſint dura, quia mollia cedant. Ex quibus patet, tria ad cauſſandum ſonum exigi, ſc. percutiens, percuſſum, & medium. Fit enim ſonus actu ſemper alicuius ad aliquod & in aliquo. Patet etiam quòd ſonus actu eſt medij & auditus: Vtrunque enim mouetur ex percuſsione corporis ſonantis. Ipſo-

Ipſorum autem corporum ſonantium ſonus eſt potentia, in quantum habent, ad cauſſandum ſonum ex eorum percuſsione, potentiam.

29. Echo eſt ſonus, qui ex reuerberatione cauſſatur.

Echo enim eſt ſonus ille, qui maximè in corporibus concauis poſt primum ſonum factum ſentitur. Primò enim deportatur per aërem, & quando inuenit obſtaculum, reflectitur, & ſic rurſum idem ſonus ſentitur. Hoc autem modo fit, veluti ſi quis proijciat lapidem in aquam: Statim enim fient circuli quidam, primò minores, poſtea maiores, qui ſi inueniunt obſtaculum, puta, cùm ad ripam perueniunt, illico reflectuntur: Ita etiam aër percuſſus, propter ſuam maximam flexibilitatem, vndiq; circulos efficit, & defert ſonum. Vbi verò impingunt, ſubitò reſiliunt, & ſic vox eadem rurſum exauditur.

30. Vox eſt ſonus animalis, ex percuſſione inſpirati aëris ad arteriam vocalem, cum quadam imaginatione cauſſatus.

Cùm enim ſola animalia edant voces, non, in qualibet ſui parte poſſe vocem cauſſari, oportet aſſerere: aliàs manuum ſtrepitus foret vox. Fit ergo vox in arteria vocali ex aëris reſpirati illic locorũ fractione. Non enim cùm fit vox, totaliter immittitur aër, ſed ibi frangitur & retinetur ab anima. Et quia fit ab animali, in quantum eſt animal, ideo cum quadam imaginatione perpetratur. Si enim ibidem abſq; imaginatione fieret, non pro-

prie eſſet vox, ſed ſonus, ſicut tuſsis, foret.

31. Potentia auditus eſt virtus in organo exiſtens, per mediũ aëris ſonum percipiens.

Potentiæ enim ſenſitiuæ ſunt in organo. Inſtrumentum igitur auditus ſeu organum eſt aër quidam auribus implantatus, & pellicula, quæ miringa dicitur, clauſus, ad quam ſonorum differentiæ, velut ad tympanum, allidunt. Oportet enim inſtrumentum ſimilitudinem cum medio, per quod ſentit, habere. Sic inſtrumentum viſus, humidum aqueum & diaphanum in pupilla oculi eſt. Medium autem auditus maximè aër. Vnde inſtrumentum eſſe ſimile medio neceſſe fuit. Eſt igitur aër ille ædificatus in auribus immobilis: Quia ſi foret mobilis, non diſtingueret voces, ſed confunderet. Propterea ſi miringa lædatur, vel ille aër mobilis efficiatur, vel auditus totus aboletur, aut ſaltem imminuitur.

32. Difficilius eſt tractare de odore, quàm de alijs ſenſibilibus.

Quia ſenſum odoris minùs certum habemus, quàm cætera animalia propter magnitudinem cerebri, quod eſt humidum & frigidum, & ideo nimium humectat partem, vbi organum olfactus collocatum, quod ſiccitatem & caliditatem requirit. Idcirco de odoribus tractaturi, de eis per analogiam ad ſapores agere debent, qui nobis magis noti per guſtum, quòd guſtus quidam tactus, & tactum homo inter cætera animalia perfectiſsimum, propter nobilitatem complexionis, quæ ad nobilitatem

tatem animæ intellectiuæ requiritur, habeat: Et ideo homo inter animalia eſt prudentiſſimus. Atque inter homines illi meliùs diſpoſiti ſecundum intellectum, qui ſunt melioris tactus. Molles enim carne, iuxta Philoſ: ſunt apti mente, duri verò ſunt inepti, niſi fortè mollities muliebris ſit.

33. Odor eſt paſsio in humido ab humore à ſicco imbibito cauſſata.

Humidum enim eſt odoris ſuſceptiuum: Sed tamen ſi in eo non ſit humidum imbibitum à ſicco & bene digeſtum, non habebit odorem, ſicut de aqua patet. Similiter etiam ſi totaliter humidum abſorbeatur & exiccetur. Lapides enim duri carent odore. Itaq; ſuſceptiuum odoris eſt humidum. Actiuum verò eſt humor à ſicco imbibitus, & diuerſæ odorum ſpecies, prout hunc humorem diuerſimodè ſiccum imbibit, & humidum ipſum ſuſcipit, cauſſantur.

34. Potentia olfactus eſt virtus odorum per aliquod medium in organo perceptiua.

Organum inter nares in anteriori parte capitis iuxta cerebrum ſitum. Et homo videtur habere hoc organum coopertum: Quia non abſque reſpiratione odorat. Reſpirat enim ad aperiendum, vt ingrediatur ſenſibile, poros. Medium autem eſt aër & aqua: Vnde in vtroque medio ſentitur odor. In aqua tamen animalia reſpirantia non odorant, quia ibi non reſpirant. Et quamuis odor diffundatur per quandam fumalem euaporationē: non tamen ipſam euaporationem peruenire vſque

ad nares, vel vſque ad organum, neceſſe eſt. Quia ſenſibile, poſitum ſupra ſenſum, non cauſſat ſenſationem, ſed ſufficit, ſpecies eius ad organum deferri, ſicut ſpecies coloris ad viſum: Aliàs enim à longè odores non ſentiremus.

35. Olfactus non differt ſpecie in diuerſis animalibus.

Olfactus enim, in quibuſcunque inueniatur, tantùm vnum obiectum, id eſt, odorem, & vnum corruptiuum proximum, quia corrumpitur à malo & forti odore, habet. Verùm diuerſimodè diuerſa animalia odorant: Quædam ſc. reſpirando, quædam verò ſine reſpiratione: Id quod propter diuerſam organi diſpoſitionem euenit. Quia in quibusdam eſt opertum, in quibusdam verò patens. Eſt igitur olfactus vnius ſpeciei in omnibus, in quibus reperitur, animalibus.

36. Sapor eſt paſsio facta in humido aqueo à ſicco terreſtri cum additione calidi.

Hoc eſſe verum, inde cognoſcere valemus: Quoniam videmus, aquam à terra, quam tranſit, ſaporem mutuare. Hinc acidi quidam, quidam verò ſalſi fontes. Calidum igitur ſi humidum perfectè digerat, ſaporem dulcem: Si imperfectè, amarum cauſſat. Medij verò ſapores medio ſe habent modo.

37. Guſtabile ſeu ſapor non per medium extraneum ſentitur.

Guſtabile enim fundatur in humido, & eſt quoddam tangibile. Vnde ſine tactu actu non fit guſtus.

guſtus. Medium ergo non eſt aër vel aqua, ſed caro aut aliquid aliud organo in lingua coniunctum, vti & in tactu contingit, vt infrà dicetur. Concurrit tamen & aliquod medium extraneum, velut & in tactu, vt infrà patebit.

38. Guſtus nudatus eſſe debet ab omni ſapore.

Aliter enim non reciperet omnes ſapores, nec inter eos diſcerneret. Ob id febricitantes, quorum lingua multa bile imbuta, omnia amara iudicant.

39. Guſtus eſt virtus ſaporum per medium coniunctum diſcretiua.

Hæc concluſio ex præcedentibus nota eſt.

40. Tangibile eſt multarum contrarietatum.

Eſt enim tangibile calidum & frigidum, humidum & ſiccum, durum & molle, graue & leue, craſſum & ſubtile, & ſi quæ ſunt huiusmodi.

41. Tactus eſt potentia per totum animalis corpus diffuſa, harum contrarietatum perceptiua.

Animal enim percipit iſtas contrarietates in vnaquaque ſui corporis parte principali. Sed prima radix tactus in corde eſt, à quo ſpiritus vitalis per totum corpus diffunditur.

42. Nullum animal, quod non ſenſu actus præditum.

Eſt enim perceptiuus eorum, quibus con-

ſiſtit animal & conſeruatur: Sine quo, quid vtile, quid noxium, non cognoſceret. Vnde nec nutriri, nec diu ſuperſtes eſſe poſſet.

43. Caro non eſt organum tactus.

Quia ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non cauſſat ſenſationem. At qualitates poſitæ ſupra carnem cauſſant ſenſationem. Ergo caro non eſt organum tactus. Id verò alij neruos, alij ex carne & neruo miſtum faciunt.

44. Tactus non ſine medio exteriore fit.

Habet enim medium coniunctum & connaturale, quod eſt caro. Sed in aëre & in aqua nihil alterum immediatè tangit: Mediat enim ſemper humidum vel aëreum: Sed hoc magis eſt manifeſtum in ijs, quæ ſe tangunt in aqua, quàm in aëre. Tactus igitur non ſine medio extraneo fit.

45. Tactus etſi ſit vnus ſubiecto: non tamen formaliter & ſecundum rationem.

Vnus enim ſenſus eſt vnius contrarietatis, vt viſus albi & nigri: Auditus acuti & grauis: Et guſtus dulcis & amari. Sed plures ſunt primæ contrarietates qualitatum tangibilium, quæ ad vnum proximum genus reduci nequeunt. Ergo neceſſe erit diuerſas tactus potentias, formaliter diſtinctas, in animali ponere, quæ tamen eidem organo & parti inſint omnes. Reſponderi tamen poſſet: Illas contrarietates ita ſe habere, vt ſingulæ in vno genere, conueniant proximo, & omnes in

vno genere (innominato tamen) communi, quod ſecundum rationem communem obiectum tactus. Et ſic vnus tactus ſecundum ſpeciem, propter vnam formalem rationem obiecti, futurus.

46. Organum tactus eſt in potentia ad excellentias tangibilium qualitatum.

Oportet enim, quòd ſit ex elementis compoſitum. Et ſic habet qualitates elementorum, ſed ad medium redactas, aliter non ſentiret. Oportet enim id, quod aliquid recipit, eſſe nudatum eo, quod recipit. Ideo tactus non ſentit, niſi excellentias tangibilium, ad quas eſt in potentia, & à quibus pati idoneus.

47. Tactus & guſtus diuerſæ potentiæ ſunt, ſpecie diſtinctæ.

Habent enim diuerſa obiecta. Huius enim obiectum eſt ſapor, illius verò qualitates, in quibus fundatur ſapor. Et præterea diuerſimodè immutantur. Tactus enim immutatur immutatione naturali, & non ſpirituali tantum, quantum ad organum ſuum ſecundum qualitatem, quæ ei propriè obijcitur. Guſtus verò organum non immutatur de neceßitate naturali immutatione ſecundum qualitatem, quæ ei propriè obijcitur, vt ſcilicet lingua fiat dulcis vel amara: Sed bene ſecundum præambulam qualitatem, in quam fundatur ſapor, ſcilicet ſecundum humorem, qui eſt obiectum tactus, differunt. Ergo ſpecie: quod intellige de guſtu, vt ſapores diſcernit.

Nam

Nam in quantum qualitates elementi, quæ ſunt qualitates tangibiles, iudicat, eſt tactus quidam.

48. Senſus exterior eſt potentia ſenſitiua in organo, quæ ſpecies exteriorum ſenſibilium ſine materia recipit.

Nam cùm ipſa ſenſibilia ſint in materia ſecundum eſſe ſuum naturale, ſenſus recipit ſpecies eorum ſecundum eſſe intentionale: Non tamen ſine conditionibus materiæ, quia particulariter recipit & ſingulariter, quæ ſunt materiæ conditiones. Huius autem ratio eſt, quia excipit ſpecies organo corporali, quod quidem organum eſt proprium ſubiectum ſenſus, & per conſequens idem ſubiecto cum eo, ſed differens ratione eo modo, quo forma & materia ſunt idem ſubiecto, ſed propria ratione diuerſa.

49. Excellentiæ ſenſibilium corrumpunt ſenſum.

Organum enim ſenſus, quod eſt materia virtuti ſenſitiuæ proportionata, conſiſtit in quadam proportione, quæ propter aliquam excellentiam alicuius ſenſibilis quandoq; diſſoluitur. Et ideo forma, quæ eſt virtus in eo exiſtens, non permanet, diſſoluta diſpoſitione, quæ erat ſibi proportionata. Plantæ igitur, quæ hac carent, proportionem non ſentiunt.

50. Senſus exteriores ſunt tantùm quinque.

Animalia enim perfecta habent omnes ſenſus exteriores. Sed non habent, niſi quinque: Ergo

go ſunt tantùm quinque, ſc. viſus, auditus, olfa-ctus, guſtus, & tactus, qui, vt dictum eſt, diſtinguitur in plures ſpecies, & hoc rationabiliter. Quia cùm ſentire ſit quoddam à ſenſibili pati, & non fiat immutatio ſenſus abſque immutatione ſpirituali, ſecundum quam ſpecies vel ſimilitudo ſenſibilis recipitur in ſenſu. Nam ſimile ſimili cognoſcitur: Et ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem. Ideo ſi mutatio eſt purè ſpiritualis, habemus ſenſum viſus. Si eſt etiam naturalis, vel ex parte obiecti, mediante motu locali, & ſic fit auditus, vel mediante motu alterationis, & fit odor, vel ex parte organi, & habemus tactum & guſtum. Sunt igitur rationabiliter quinque tantùm ſenſus exteriores.

51. Senſibilia communia non habent ſenſum proprium, quo cognoſcantur.

A quolibet enim ſenſu per ſe aliquo modo cognoſcuntur, & nullus ei poteſt appropriari. Et ideo, quia ſemper ſunt coniuncta cum proprijs ſenſibilibus, oportuit plures, ad ea diſtinguenda, eſſe ſenſus. Cùm enim tactus non cognoſcat colores, & habeat de magnitudine cognitionem, in qua eſt color: fit nobis manifeſtum, quòd aliud magnitudo, & aliud color ſit, & conſequenter, quòd tactus, qui ſentit magnitudinem, ſit alius ſenſus à viſu, qui colorem percipit.

52. Præter exteriores ſenſus interiores ponere oportet.

Neceſſe eſt enim animalia cognoſcere, non ſolùm

gis, & minoratur. Et ſic plùs fatigatur in videndo oculus: & eò vſque imminui poteſt, vt ad videndum non ſufficiat.

24. Viſio non fit extramittendo.

Si enim id, quod extrà emittitur, eſſet lumen, videremus in nocte. Si autem eſſet ignis, vt quidam dixerunt, non videremus in aqua. Si autem eſſet corpus, duo corpora eſſent ſimul. Denique quicquid eſſet, non veriſimile, ad aſtra vſq; protendi poſſe. Ergo non fit extramittendo.

25. Quædam in lumine, vt colorata, & in tenebris, vt lucentia, videntur.

Sunt enim lucentia. Sed die maius lumen offuſcat minus: Et ita ſolùm vt colorata videntur. Nocte autem lucent: Et ſic vt lucentia; non verò vt colorata apparent: Sicut ſunt quædam animalcula, noctiluca dicta. Sed ignis tàm in tenebris, quàm in luce eodem modo conſpicitur: Quia lumen eius ad mouendum diaphanum efficax.

26. Potentia ergo viſiua eſt virtus animæ, exiſtens in organo, qua colorem ſeu lucem cognoſcit.

Nam obiectum eius eſt quoddam innominatum, quo colores & lux comprehenduntur, id viſibile per ſe primò dicatur. Habet hæc potentia organum, quod eſt oculus, ſeu pupilla oculi: Et eſt in eo tanquam in ſubiecto, & non eſt ſine eo. Vnde eſt virtus non tantùm animæ, ſed etiam

iam totius animati, id eſt, animæ & corporis. Eſt autem organum eius aqueum. Cùm enim organum ſenſus ſit quaſi medium coniunctum, debet eſſe medio extrinſeco proportionatum. Vnde ſicut medium extrinſecum eſt perſpicuum, ita & organum debet eſſe perſpicuum: Id autem corpus cæleſte eſſe nequit, quia non venit in compoſitionem inferiorum. Nec ignis ſiue igneum: Quia videremus de nocte: Nec aëreum: Quia aër non eſt ita ſpiſſus & tenax, prout organum requirit viſus. Eſt igitur aqueum. Et propter eandem cauſſam, vt ſcilicet organum ſit proportionatum medio, requiritur ad videndum intus aliquod lumen, quale etiam in medio, vt ſuprà dictum eſt, poſtulatur. Si enim virtus viſiua eſſet in ſuperficie exteriori: ad videndum lumen exterioris perſpicui ſufficeret, per quod immutatio coloris ad ſuperficiem pupillæ veniret. Sed ſenſorium eſt iuxta cerebrum, vbi duo nerui optici coniunguntur. Idcirco in perſpicuo interiori, quod eſt organum, aliquod lumen, vt vniformis immutatio à re viſa vſque ad principium viſiuum fiat, exiſtere oportet.

27. Viſus perfectior & nobilior omnium ſenſuum exteriorum eſt.

Primo quidem, quia ſua apprehenſione annunciat nobis plures differentias rerum, & diuerſorum modorum. Et hoc ideo, quia eius obiectum, quod eſt viſibile, inuenitur in omnibus corporibus, quod non contingit de obiectis aliorum

ſenſuum, Fit enim aliquid viſibile per hoc, quod diaphanum actu illuminatur à corpore lucido, in quo ſuperiora corpora cum inferioribus communicant. Secundò, quia eius immutatio eſt ſpiritualior. Fit enim ſolùm intentionaliter. Immutatio autem aliorum fit ſemper cum aliquo motu reali, vt infrà patebit. Tertiò, quia per viſum magis percipiuntur ſenſibilia communia. Nam quantò potentia habet virtutem vniuerſaliorem, tantò eſt efficacior in cognoſcendo, vtpote potentior. Viſus autem, vt dictum eſt, plura cognoſcit. Eſt igitur efficacior & potentior virtus eius ad cognoſcendum, non ſolùm propria, ſed etiam communia, & ideo cæteris ſenſibus exterioribus nobilior.

28. Sonus eſt qualitas ex corporum ſolidorum ad inuicem percuſsione cauſſata.

Corpora enim dura cùm percutiunt ſe inuicem, vel vnum percutit alterum. Si ſubitò occupatur medium, id eſt, aër vel etiam aqua, & frangitur, fit ſonus. Dico autem ſubitò: Quia ſi paulatìm aër diuideretur à corpore ſolido, non cauſſaretur ſonus. Requiritur etiam, corpora quòd, ſint dura, quia mollia cedant. Ex quibus patet, tria ad cauſſandum ſonum exigi, ſc. percutiens, percuſſum, & medium. Fit enim ſonus actu ſemper alicuius ad aliquod & in aliquo. Patet etiam quòd ſonus actu eſt medij & auditus: Vtrunque enim mouetur ex percuſsione corporis ſonantis. Ipſo-

Ipſorum autem corporum ſonantium ſonus eſt potentia, in quantum habent, ad cauſſandum ſonum ex eorum percußione, potentiam.

29. Echo eſt ſonus, qui ex reuerberatione cauſſatur.

Echo enim eſt ſonus ille, qui maximè in corporibus concauis poſt primum ſonum factum ſentitur. Primò enim deportatur per aërem, & quando inuenit obſtaculum, reflectitur, & ſic rurſum idem ſonus ſentitur. Hoc autem modo fit, veluti ſi quis proijciat lapidem in aquam: Statim enim fient circuli quidam, primò minores, poſtea maiores, qui ſi inueniunt obſtaculum, puta, cùm ad ripam perueniunt, illico reflectuntur: Ita etiam aër percuſſus, propter ſuam maximam flexibilitatem, vndiq; circulos efficit, & defert ſonum. Vbi verò impingunt, ſubitò reſiliunt, & ſic vox eadem rurſum exauditur.

30. Vox eſt ſonus animalis, ex percuſſione inſpirati aëris ad arteriam vocalem, cum quadam imaginatione cauſſatus.

Cùm enim ſola animalia edant voces, non, in qualibet ſui parte poſſe vocem cauſſari, oportet aſſerere: aliàs manuum ſtrepitus foret vox. Fit ergo vox in arteria vocali ex aëris reſpirati illic locorũ fractione. Non enim cùm ſit vox, totaliter immittitur aër, ſed ibi frangitur & retinetur ab anima. Et quia fit ab animali, in quantum eſt animal, ideo cum quadam imaginatione perpetratur. Si enim ibidem abſq; imaginatione fieret, non pro-

priè eſſet vox, ſed ſonus, ſicut tuſſis, foret.

31. Potentia auditus eſt virtus in organo exiſtens, per mediũ aëris ſonum percipiens.

Potentiæ enim ſenſitiuæ ſunt in organo. Inſtrumentum igitur auditus ſeu organum eſt aër quidam auribus implantatus, & pellicula, quæ miringa dicitur, clauſus, ad quam ſonorum differentiæ, velut ad tympanum, allidunt. Oportet enim inſtrumentum ſimilitudinem cum medio, per quod ſentit, habere. Sic inſtrumentum viſus, humidum aqueum & diaphanum in pupilla oculi eſt. Medium autem auditus maximè aër. Vnde inſtrumentum eſſe ſimile medio neceſſe fuit. Eſt igitur aër ille ædificatus in auribus immobilis: Quia ſi foret mobilis, non diſtingueret voces, ſed confunderet. Propterea ſi miringa lædatur, vel ille aër mobilis efficiatur, vel auditus totus aboletur, aut ſaltem imminuitur.

32. Difficilius eſt tractare de odore, quàm de alijs ſenſibilibus.

Quia ſenſum odoris minùs certum habemus, quàm cætera animalia propter magnitudinem cerebri, quod eſt humidum & frigidum, & ideo nimium humectat partem, vbi organum olfactus collocatum, quod ſiccitatem & caliditatem requirit. Idcirco de odoribus tractaturi, de eis per analogiam ad ſapores agere debent, qui nobis magis noti per guſtum, quòd guſtus quidam tactus, & tactum homo inter cætera animalia perfectiſſimum, propter nobilitatem complexionis, quæ ad nobilitatem

tatem animæ intellectiuæ requiritur, habeat: Et ideo homo inter animalia eſt prudentiſſimus. Atque inter homines illi meliùs diſpoſiti ſecundum intellectum, qui ſunt melioris tactus. Molles enim carne, iuxta Philoſ: ſunt apti mente, duri verò ſunt inepti, niſi fortè mollities muliebris ſit.

33. Odor eſt paſsio in humido ab humore à ſicco imbibito cauſſata.

Humidum enim eſt odoris ſuſceptiuum: Sed tamen ſi in eo non ſit humidum imbibitum à ſicco & bene digeſtum, non habebit odorem, ſicut de aqua patet. Similiter etiam ſi totaliter humidum abſorbeatur & exiccetur. Lapides enim duri carent odore. Itaq; ſuſceptiuum odoris eſt humidum. Actiuum verò eſt humor à ſicco imbibitus, & diuerſæ odorum ſpecies, prout hunc humorem diuerſimodè ſiccum imbibit, & humidum ipſum ſuſcipit, cauſſantur.

34. Potentia olfactus eſt virtus odorum per aliquod medium in organo perceptiua.

Organum inter nares in anteriori parte capitis iuxta cerebrum ſitum. Et homo videtur habere hoc organum coopertum: Quia non abſque reſpiratione odorat. Reſpirat enim ad aperiendum, vt ingrediatur ſenſibile, poros. Medium autem eſt aër & aqua: Vnde in vtroque medio ſentitur odor. In aqua tamen animalia reſpirantia non odorant, quia ibi non reſpirant. Et quamuis odor diffundatur per quandam fumalem euaporationē: non tamen ipſam euaporationem peruenire vſque ad

ad nares, vel vſque ad organum, neceſſe eſt. Quia ſenſibile, poſitum ſupra ſenſum, non cauſſat ſenſationem, ſed ſufficit, ſpecies eius ad organum deferri, ſicut ſpecies coloris ad viſum: Aliàs enim à longè odores non ſentiremus.

35. Olfactus non differt ſpecie in diuerſis animalibus.

Olfactus enim, in quibuſcunque inueniatur, tantùm vnum obiectum, id eſt, odorem, & vnum corruptiuum proximum, quia corrumpitur à malo & forti odore, habet. Verùm diuerſimodè diuerſa animalia odorant: Quædam ſc. reſpirando, quædam verò ſine reſpiratione: Id quod propter diuerſam organi diſpoſitionem euenit. Quia in quibusdam eſt opertum, in quibusdam verò patens. Eſt igitur olfactus vnius ſpeciei in omnibus, in quibus reperitur, animalibus.

36. Sapor eſt paſsio facta in humido aqueo à ſicco terreſtri cum additione calidi.

Hoc eſſe verum, inde cognoſcere valemus: Quoniam videmus, aquam à terra, quam tranſit, ſaporem mutuare. Hinc acidi quidam, quidam verò ſalſi fontes. Calidum igitur ſi humidum perfectè digerat, ſaporem dulcem: Si imperfectè, amarum cauſſat. Medij verò ſapores medio ſe habent modo.

37. Guſtabile ſeu ſapor non per medium extraneum ſentitur.

Guſtabile enim fundatur in humido, & eſt quoddam tangibile. Vnde ſine tactu actu non fit guſtus.

guſtus. Medium ergo non eſt aër vel aqua, ſed caro aut aliquid aliud organo in lingua coniunctum, vti & in tactu contingit, vt infrà dicetur. Concurrit tamen & aliquod medium extraneum, velut & in tactu, vt infrà patebit.

38. Guſtus nudatus eſſe debet ab omni ſapore.

Aliter enim non reciperet omnes ſapores, nec inter eos diſcerneret. Ob id febricitantes, quorum lingua multa bile imbuta, omnia amara iudicant.

39. Guſtus eſt virtus ſaporum per medium coniunctum diſcretiua.

Hæc concluſio ex præcedentibus nota eſt.

40. Tangibile eſt multarum contrarietatum.

Eſt enim tangibile calidum & frigidum, humidum & ſiccum, durum & molle, graue & leue, craſſum & ſubtile, & ſi quæ ſunt huiusmodi.

41. Tactus eſt potentia per totum animalis corpus diffuſa, harum contrarietatum perceptiua.

Animal enim percipit iſtas contrarietates in vnaquaque ſui corporis parte principali. Sed prima radix tactus in corde eſt, à quo ſpiritus vitalis per totum corpus diffunditur.

42. Nullum animal, quod non ſenſu actus prædıtum.

Eſt enim perceptiuus eorum, quibus con-

ſiſtit animal & conſeruatur: Sine quo, quid vtile, quid noxium, non cognoſceret. Vnde nec nutriri, nec diu ſuperſtes eſſe poſſet.

43. Caro non eſt organum tactus.

Quia ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non cauſſat ſenſationem. At qualitates poſitæ ſupra carnem cauſſant ſenſationem. Ergo caro non eſt organum tactus. Id verò alij neruos, alij ex carne & neruo miſtum faciunt.

44. Tactus non ſine medio exteriore fit.

Habet enim medium coniunctum & connaturale, quod eſt caro. Sed in aëre & in aqua nihil alterum immediatè tangit: Mediat enim ſemper humidum vel aëreum: Sed hoc magis eſt manifeſtum in ijs, quæ ſe tangunt in aqua, quàm in aëre. Tactus igitur non ſine medio extraneo fit.

45. Tactus etſi ſit vnus ſubiecto: non tamen formaliter & ſecundum rationem.

Vnus enim ſenſus eſt vnius contrarietatis, vt viſus albi & nigri: Auditus acuti & grauis: Et guſtus dulcis & amari. Sed plures ſunt primæ contrarietates qualitatum tangibilium, quæ ad vnum proximum genus reduci nequeunt. Ergo neceſſe erit diuerſas tactus potentias, formaliter diſtinctas, in animali ponere, quæ tamen eidem organo & parti inſint omnes. Reſponderi tamen poſſet: Illas contrarietates ita ſe habere, vt ſingulæ in vno genere, conueniant proximo, & omnes in

vno genere (innominato tamen) communi, quod ſecundum rationem communem obiectum tactus. Et ſic vnus tactus ſecundum ſpeciem, propter vnam formalem rationem obiecti, futurus.

46. Organum tactus eſt in potentia ad excellentias tangibilium qualitatum.

Oportet enim, quòd ſit ex elementis compoſitum. Et ſic habet qualitates elementorum, ſed ad medium redactas, aliter non ſentiret. Oportet enim id, quod aliquid recipit, eſſe nudatum eo, quod recipit. Ideo tactus non ſentit, niſi excellentias tangibilium, ad quas eſt in potentia, & à quibus pati idoneus.

47. Tactus & guſtus diuerſæ potentiæ ſunt, ſpecie diſtinctæ.

Habent enim diuerſa obiecta. Huius enim obiectum eſt ſapor, illius verò qualitates, in quibus fundatur ſapor. Et præterea diuerſimodè immutantur. Tactus enim immutatur immutatione naturali, & non ſpirituali tantum, quantum ad organum ſuum ſecundum qualitatem, quæ ei propriè obijcitur. Guſtus verò organum non immutatur de neceſſitate naturali immutatione ſecundum qualitatem, quæ ei propriè obijcitur, vt ſcilicet lingua fiat dulcis vel amara: Sed bene ſecundum præambulam qualitatem, in quam fundatur ſapor, ſcilicet ſecundum humorem, qui eſt obiectum tactus, differunt. Ergo ſpecie: quod intellige de guſtu, vt ſapores diſcernit.

Nam

Nam in quantum qualitates elementi, quæ ſunt qualitates tangibiles, iudicat, eſt tactus quidam.

48. Senſus exterior eſt potentia ſenſitiua in organo, quæ ſpecies exteriorum ſenſibilium ſine materia recipit.

Nam cùm ipſa ſenſibilia ſint in materia ſecundum eſſe ſuum naturale, ſenſus recipit ſpecies eorum ſecundum eſſe intentionale: Non tamen ſine conditionibus materiæ, quia particulariter recipit & ſingulariter, quæ ſunt materiæ conditiones. Huius autem ratio eſt, quia excipit ſpecies organo corporali, quod quidem organum eſt proprium ſubiectum ſenſus, & per conſequens idem ſubiecto cum eo, ſed differens ratione eo modo, quo forma & materia ſunt idem ſubiecto, ſed propria ratione diuerſa.

49. Excellentiæ ſenſibilium corrumpunt ſenſum.

Organum enim ſenſus, quod eſt materia virtuti ſenſitiuæ proportionata, conſiſtit in quadam proportione, quæ propter aliquam excellentiam alicuius ſenſibilis quandoq; diſſoluitur. Et ideo forma, quæ eſt virtus in eo exiſtens, non permanet, diſſoluta diſpoſitione, quæ erat ſibi proportionata. Plantæ igitur, quæ hac carent, proportionem non ſentiunt.

50. Senſus exteriores ſunt tantùm quinque.

Animalia enim perfecta habent omnes ſenſus exteriores. Sed non habent, niſi quinque: Ergo

go ſunt tantùm quinque, ſc. viſus, auditus, olfactus, guſtus, & tactus, qui, vt dictum eſt, diſtinguitur in plures ſpecies, & hoc rationabiliter. Quia cùm ſentire ſit quoddam à ſenſibili pati, & non fiat immutatio ſenſus abſque immutatione ſpirituali, ſecundum quam ſpecies vel ſimilitudo ſenſibilis recipitur in ſenſu. Nam ſimile ſimili cognoſcitur: Et ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem. Ideo ſi mutatio eſt purè ſpiritualis, habemus ſenſum viſus. Si eſt etiam naturalis, vel ex parte obiecti, mediante motu locali, & ſic fit auditus, vel mediante motu alterationis, & fit odor, vel ex parte organi, & habemus tactum & guſtum. Sunt igitur rationabiliter quinque tantùm ſenſus exteriores.

51. Senſibilia communia non habent ſenſum proprium, quo cognoſcantur.

A quolibet enim ſenſu per ſe aliquo modo cognoſcuntur, & nullus ei poteſt appropriari. Et ideo, quia ſemper ſunt coniuncta cum proprijs ſenſibilibus, oportuit plures, ad ea diſtinguenda, eſſe ſenſus. Cùm enim tactus non cognoſcat colores, & habeat de magnitudine cognitionem, in qua eſt color: fit nobis manifeſtum, quòd aliud magnitudo, & aliud color ſit, & conſequenter, quòd tactus, qui ſentit magnitudinem, ſit alius ſenſus à viſu, qui colorem percipit.

52. Præter exteriores ſenſus interiores ponere oportet,

Neceſſe eſt enim animalia cognoſcere, non ſolùm

ſolùm ſenſibilia præſentia,ſed etiam abſentia,maximè animalia perfecta, vt poſſint ſibi de neceſſarijs vitæ à longè per motum localem prouidere,& inter vnum alterumq́; ſenſum diſcernere, id quod ſenſus exteriores,qui ſolùm propria obiecta cognoſcunt, præſtare nequeant. Igitur præter hos ponere aliquos ſenſus interiores oportet.

53. Potentia, quæ cognoſcit differentias obiectorum propriorum,interior vna & communis eſt.

Cùm enim animalia cognoſcant differentiam inter obiecta propria, vt inter album,& dulce, & non cognoſcant hoc per ſenſus exteriores: Quia qui cognoſcit differentiam duorum, illa duo diſcernat & cognoſcat oportet: ſenſus autem exteriores ſolùm habent cognitionem propriorũ obiectorum: Sequitur, hanc potentiam interiorem eſſe, & cùm differentiam duorum cognoſcat, vna ſit, quæ vtrumq́; cognoſcat, & in vnum colligat, neceſſe: Quæ potentia ſenſus communis eſt.

54. Senſus communis eſt virtus in organo.

Cùm enim ſit potentia ſenſitiua,non poteſt eſſe, niſi in organo: Quia cognoſcit ſolùm ſenſibilia,non autem immaterialia,& organum eius eſt circa cor, vbi eſt prima radix organi tactus. Nam ſenſus communis eſt fontalis radix omnium ſenſuum exteriorum, à quo omnes emanant,tanquam à fonte, & ad ipſum terminantur, ſicut multæ lineæ ad vnum punctum. Quia ergo tactus eſt fundamentum

tum omnium aliorum ſenſuum exteriorum, oportet, quòd prima radix eius ſit prope fontem omnium ſenſuum. Cùm igitur prima radix eius ſit circa cor: Et organum ſenſus communis in corde vel circa cor eſſe ſequitur.

55. Senſus communis eſt nobilior ſenſibus exterioribus.

Quia eſt maioris virtutis, & nobiliori modo immutatur: Non tamen propter id potentia actiua, ſed paſsiua eſt. Omnis enim potentia ſenſitiua eſt paſsiua, quia ſentire eſt quoddam pati. Tunc enim ſentimus, cùm ſpecies ſenſibiles in organo recipimus. Hæc autem receptio largo modo dicitur paſsio, & ideo ſenſatio eſt quædam paſsio. Et quia ad cauſſandam hanc in ſenſu paſsionem actiuitas obiectorum ſenſuum ſufficit, quia ſunt ſecundum ſe actu ſenſibilia, & per conſequens ad immutandum ſenſus ſufficientia. Ideo excogitare ſenſum agentem non opus.

56. Receptio ſpeciei & actio ſenſibilis ſunt vnum ſubiecto, ſed ratione differunt.

Actio enim & paſsio ſunt vnus actus realiter: Differunt autem ratione. Illud enim recipit ſenſus, quod imprimit ſenſibile, ſed ſecundum quod ſpecies recipitur in ſenſu, dicitur paſsio. Secundum autem quod procedit

cedit à ſenſibili, dicitur actio. Sentire enim eſt illam ſimilitudinem à ſenſibili vitaliter recipere.

57. Potentia viſiua non cognoſcit proprium actum, nec etiam alia potentia ſenſitiua exterior.

Actus enim eius eſt videre, quod eſt ſentire. Sed ſentire eſt pati: Actus ergo eius eſt paſſio, quæ nihil eſt aliud, quàm receptio ſpeciei in organo. Quæ quidem receptio vel ſpecies nec eſt color, nec lux: Ergo nullo modo à viſu cognoſcitur, quia nulla potentia excedit proprium obiectum. Et quod dico de viſu, eodem modo probatur de aliijs ſenſibus exterioribus, quod non cognoſcunt proprium actum. Nulla enim ſpecies ſenſibilium eſt color, nec ſonus, nec odor, nec ſapor, nec qualitas tangibilis. Verùm quia iſti ſenſus coniunguntur cum ſenſu communi, & ad ipſum terminantur: ideo aliquando ſenſus communis, prout eſt cum potentia viſiua coniunctus, dicitur viſus, & prout eſt cum auditu coniunctus, dicitur auditus, & ſic de aliijs ſenſibus. Et idcirco aliquando dicitur viſus agnoſcere actum proprium, cùm tamen non agnoſcat hunc virtute propria, ſed virtute ſenſus communis, cui eſt coniunctus. Et ſic idem de aliijs ſenſibus dicendum.

58. Senſus communis actus ſenſuum propriorum cognoſcit.

Cùm enim illi actus cognoſcantur, & non à ſenſu exteriori: Ergo ab interiori, & maximè à ſenſu, ad quem illi actus terminantur immediatè.

Hic

Hic autem ſenſus eſt communis. Vbi tamen aduerte, non eſſe dicendum, quòd ſenſus communis cognoſcat illos actus obiectiuè, quia ſenſus communis non poteſt habere proprium obiectum præter obiecta ſenſuum propriorum, eò quòd eſt quaſi punctus, ad quem illi ſenſus terminantur. Cùm igitur iſtæ immutationes ſenſuum propriorum nō ſint eorum obiecta: Ergo nec poterunt eſſe ſenſus communis obiectum. Non cognoſcit ergo eas obiectiuè, ſed quodammodo expertiuè, dum ſcilicet percipit, ſe immutari per ſenſus proprios. Sicut ſi quis videret figuram per vitrum, cognoſceret immutationem vitri, etiamſi ſolùm cogitaret de figura, & nullo modo de vitro, vel de vitri immutatione: Non quidem obiectiuè, quia ſolùm obiectiuè cognoſcit figuram in hoc actu, ſed expertiuè, quia per ſe vitrum immutari à figura experitur. Item ſenſus communis cognoſcit differentiam propriorum ſenſibilium, non quaſi eam in quantum dicit quoddam medium inter duo cognoſcat, ſed quia, cùm à duobus immutatur, aliam immutationem in vno, & aliam in altera ſentit. Et ideo per hoc, quod ſenſus communis cognoſcit hoc modo differentiam ſenſibilium propriorum, & actum propriorum ſenſuum, habet aliquas operationes, quas proprij ſenſus non habent. Non tamen excedit obiecta propriorum ſenſuum, vt patet ex dictis, quia ſemper in eiſdem obiectis verſatur, ſub vna tamen & altiori ratione communi, ad quam nullus ſenſuum exteriorum valet per-

tingere. Aliàs enim per ſe vnum obiectum non reſpiceret.

59. Præter ſenſum communem ponere phantaſiam vel imaginatiuam oportet.

Natura enim non deficit in neceſſarijs. Sed neceſſarium eſt animalibus perfectis non ſolùm apprehendere res ſecundum præſentiam, ſed etiam in abſentia: Aliter moueri ad quærendum aliquod abſens non poſſent. Et idcirco neceſſe, non ſolùm animal ſpecies ſenſibilium, cùm præſentialiter immutatur, recipere, ſed etiam conſeruare. Recipere autem & conſeruare ad diuerſas ſpecies pertinet. Ad recipiendum enim requiritur humidum, ad retinendum verò ſiccum. Oportet ergo præter ſenſum communem ponere vnam potentiam, quæ conſeruet ſpecies ſenſatas, quæ dicitur phantaſia ſiue imaginatio, quæ quidem in homine componit vnum cum altero, vt aurum cum monte, & quaſi oſtendit montem, aurum. Quæ compoſitio ſimiliter in alijs non ita apparet animalibus.

60. Phantaſia non eſt opinio.

Quia ſpeculari phantaſmata eſt in noſtra poteſtate, ſed non opinari. Oportet enim intellectum ratione cogi, ſi debeat opinari. Et præterea multùm mouemur ab opinionibus malorum vel terribilium, non verò ſic à phantaſijs: Non ergo idem ſunt.

61. Phantaſia non eſt ſenſus actu, nec potentia.

In dormientibus non eſt ſenſus actu, ſed bene aliquando phantaſia. Et ſenſus ſemper animalibus adeſt potentia, ſed non phantaſia. Accipio autem hîc phantaſiam pro actu, non pro potentia, id eſt, pro ſenſibilium apparitione. Non ergo eſt ſenſus.

62. Phantaſia non eſt intellectus, nec ſcientia, neque ex ſenſu & opinione mixtum.

Intellectus enim, qui eſt habitus primorum principiorum, & ſcientia, quæ eſt habitus concluſionum, ſunt ſemper verorum. Phantaſia autem, id eſt, interior apparitio ſenſibilium, aliquando eſt falſorum. Si autem eſſet illud mixtum, ſequeretur, aliquando eſſe ſimul veram & falſam, vtputa viſo Sole, quem eſſe maiorem terra opinor, quem tamen ſenſus minorem valde iudicat. Si ergo eſſet mixta ex his, ſimul vera & falſa foret: Nam in hoc vera opinio & ſenſus falſus. Non ergo eſt illud ex opinione & ſenſu mixtum.

63. Phantaſia eſt motus à ſenſu ſecundum actum factus.

Nam à ſenſu ſecundum actum motus quidam fit intus, id eſt, quædam apparitio ſenſibilium, quæ extrà per ſenſum cognouimus, vt vnusquiſque in ſeipſo experitur: Et hæc apparitio dicitur phantaſia. Sed accipiendo phantaſiam pro potentia, dicimus, quòd ſit potentia in organo receptiua iſtarum ſpecierum & apparitionum. Organum autē eius ſecundū quoſdam eſt in corde, ſecundū alios verò eſt in cerebro. Quia videmus, quod

læſo cerebro lædatur phantaſia. Alij verò probabiliùs ſtatuunt, quòd incipiant in corde anteriores hæ potentiæ, perficiantur autem in cerebro. Vnde ſenſus communis & phantaſia in parte anteriori cerebri exiſtunt.

64. Animalia multa agunt & patiuntur ſecundum phantaſiam.

Quia cùm apparitiones intus permaneant, aliquando aliquid animali, ſub ratione proficui, & aliquando ſub ratione nociui repræſentant, & ideo tum animalia ea vel fugiunt, vel proſequuntur.

65. Præter phantaſiam, æſtimatiuam in brutis, & cogitatiuam in homine conſtituere oportet.

Neceſſarium enim eſt animalibus perfectis, vt præter illa, quæ eis per ſenſus exteriores repræſentantur, & in phantaſia recipiuntur, delectabiliaq; & triſtia ſecundum ſenſum ſunt, etiam quærant aliqua vel fugiant, non ſolùm quia ad ſenſum conuenientia ſint vel inconuenientia, ſed etiam propter aliquas alias commoditates, & vtilitates, ac noxas. Sicut ouis videns lupum fugit, non propter indecentiam coloris vel figuræ, ſed quaſi inimicum naturæ, & ſimiliter auis colligit paleam, non quia delectet ſenſum, ſed quia ſit vtilis ad nidificandum. Neceſſarium ergo eſt, in animali aliud eſſe principium, vel aliam eſſe potentiam, per quam huiuſmodi intentiones, quas ſenſus non accipit, per-

percipiat. Et hæc potentia in brutis æſtimatiua, in homine verò cogitatiua eſt.

66. Æſtimatiua differt à cogitatiua.

Æſtimatiua enim percipit intentiones non ſenſatas quodam naturali inſtinctu. Bruta enim ad hæc cognoſcenda naturali inſtinctu aguntur. Sed homo huiuſmodi intentiones particulares per cogitatiuam cognoſcit, vel per quandam collationem percipit, ob id, quia aliquid de lumine intellectus participat: Vnde etiam dicitur ratio particularis. Et huic potentiæ organum in media cerebri parte aſſignatur.

67. Præter æſtimatiuam vel cogitatiuam in animalibus, memoratiuam ponere oportet.

Sicut enim ad conſeruationem ſpecierum ſenſatarum, in animalibus ponere phantaſiam, tanquam earum theſaurum: ita etiam aliam virtutem, ad conſeruandum intentiones non ſenſatas, ponere oportet. Et quòd huiuſmodi intentiones conſeruentur in animali, ſignum eſt, quia videmus, quòd principium memorandi ſit in eis ex aliqua huiuſmodi intentione, vtputa ex eo, quod noxium vel conueniens præteritum eis præſentatur. Ita canes viſo percuſſore inimicum fugiunt. In animalibus ergo virtus memoratiua, ſpecierum & intentionum theſaurus, ponatur oportet.

68. Memoria eſt actus memoratiuæ, quo præteritum percipit.

Non enim memoramur præſentium vel futurorum, ſed eorum, quæ antè fuerunt in noſtra cogitatione, non autem eorum, quæ inſunt nouiter, vel quæ inerunt. Memoratur autem animal, ſe priùs ſenſiſſe in præterito, & etiam ſenſiſſe ſe quoddam præteritum ſenſibile. Vnde propriè memoria eſt in parte ſenſitiua, quæ motum & magnitudinem cum hîc & nunc percipit ſingulariter.

69. Memoria in homine nobilior, quàm in brutis.

Sicut enim cogitatiua nobilior in homine, quàm æſtimatiua in brutis: Ita & memoratiuam in homine nobiliorem, quàm in brutis, eſſe oportet. Cùm memoratiua theſaurus intentionum cogitatiuæ & æſtimatiuæ ſit. Vnde ſicut cogitatiua in homine eſt collatiua intentionum, & non ſolùm perceptiua: ita & memoratiua in homine non ſolùm memoratur ſubitò, ſed etiam habet reminiſcentiam, quaſi ſyllogiſticè præteritorum memorationem ſecundum intentiones indiuiduales inquirendo.

70. Reminiſcentia eſt motus ad memorandum.

Cùm enim homo vult reminiſci, incipit per aliquas intentiones diſcurrere, quaſi ſyllogizando, vt perueniat ad memoriam eius, quod quærebat. Memoria igitur reminiſcentiam, quemadmodum terminus motum ſequitur.

Remi-

71. Reminiſcentia & memoria arte adiuuari poſſunt.

Natura enim per artem iuuatur, vti in multis rebus patet. Homo igitur, qui bene memorari vult, ſubtilia intelligibilia phantaſmatibus craßis alliget: Quia hæc craßiora ſunt nobis in promptu. Et ideo aliqui intelligibilia ſua in locis, vel figuris, aut rebus alijs eis notißimis, quæ ſimilitudinem aliquam cum intelligibilibus illis habent, collocant. Magna etiam cum attentione apprehendat, quæ vult memorari, & quaſi cum quadam admiratione, quia ſic magis imprimuntur & retinentur: Vnde quæ videntur in pueritia, magis retinentur: Quia pueri tanquã noui in mundo, cum admiratione apprehendunt nouã, ſi videntur eſſe magna, licet ſecundum complexionem corporis fluentis ſint labilis memoriæ, quemadmodum contingit & ſenibus. Item ordinet omnia hoc modo, vt vnum ex altero dependeat, & frequenter per hunc ordinem diſcurrat. Nam ſic vnum ipſum in cognitionem vel memoriam alterius deducet, & maximè ſi à principio inceperit. Dico autem vel à principio temporis, vel à principio rerum memorandarum. Memoramur etiam aliquando à contrario, ſicut & à ſimili.

72. Potentiæ ſenſitiuæ interiores quatuor ſolùm ſunt.

Eſt enim primò ſenſus communis: Quoniam differentiã propriorum ſenſibilium, & actus ſenſuũ

propriorum percipit. Et quia etiam, vt animal conſeruet ſpecies receptas, requiritur: Ideo alia potentia, quæ eſt phantaſia vel imaginatiua, ponitur, quamuis aliqui imaginatiuam à phantaſia hoc modo, quòd hæc conſeruet ſpecies, illa verò componat, diſtinguant. Sed & rurſum alij, quorum ſententiam probatiorem amplectimur, ad hanc quoque phantaſiam ſufficere, ſtatuunt. Tertiò opus eſt, animal amicitiam, & odium, & huiusmodi intentiones, quæ non ſenſibus exterioribus capiuntur, percipere. Et ideo tertia potentia in animalibus, quæ æſtimatiua in brutis, & cogitatiua in homine dicitur, numeratur. Cùm autem iſtas intentiones conſeruari oporteat, & potentiæ ſenſitiuæ ſint in organis, quæ ſunt proportionata potentijs, vtputa quia neceſſe eſt potentiam receptiuam habere organum, quod facilè recipiat, & potentiam conſeruatiuam habere organum, quod fortiter retineat, humidi autem ſit recipere faciliter, & ſicci retinere: diuerſa organa aßignare his actibus oportet, & per conſequens diuerſas potentias. Et idcirco quarta potentia, quæ memoratiua nominatur, conſtituenda. Nec his plures in animalibus ſenſitiuæ reperiuntur operationes. Hæc igitur de ſenſibus exterioribus & interioribus paucis dicta ſufficiant.

DE

DE APPETITV SENSITIVO.

LIBER DVODECIMVS

Summa & diſpoſitio libri XII.

POſtquam dictum eſt de anima ſenſitiua, quoad partem cognitiuam: hîc agitur de illa, quoad partẽ appetitiuam. Nam appetitus ſequitur cognitionem. Et quia conſideratio communis præcedit ſpecialem, priùs agitur de appetitu ſenſitiuo, & actibus eius in genere, deinde in ſpecie. Circa primum duo principaliter facit autor. Primò enim agit de appetitu ſenſitiuo, præmittens definitionem appetitus in genere in 1 concluſione, & eius diuiſionem in 2. Hæc enim ſunt tanquam duo principia ad ſequentia, & declarans obiectum appetitus ſenſitiui in 3. & eius diſtinctionem in 4. Secundò agit de actibus eius in genere, quæ ſunt paſsiones, primò oſtendens, vtrunque appetitum, ſc. tam iraſcibilem, quàm concupiſcibilem, habere ſuas paſſiones in 5. illasq; eſſe diuerſas in 6. Secundò docens, quæ ſint paſſiones concupiſcibilis in 7. & quæ iraſcibilis in 8. Tertiò comparans illas inter ſe, & quoad con-

contrarietatem in 9. & 10. & quoad ordinem, quem priùs ponit inter paſsiones vtriuſque appetitus in 11. Deinde inter paſsiones concupiſcibilis in 12. & inter paſsiones iraſcibilis in 13. deducens ordinem omnium ſimul in 14. & quæ ſint principales inter eas in 15. Circa ſecundum ſimiliter duo tractat. Primò agit de paſsionibus concupiſcibilis (ſunt enim priores) & incipiens à prima primò agit de amore, & declarat eius obiectum, in 16. cauſſam in 17. & effectus plures in 18 vſque ad 22. Et quia oppoſitorum eſt eadem diſciplina, ſubiungit de odio, quod opponitur amori, declarans eius obiectum in 23. & comparans ipſum amori, quoad eſſe quidem in 24. & quoad efficaciam in 25. Secundò, agit de altera, ſcilicet concupiſcentia, & eius oppoſito ſcilicet fuga in 26. Tertiò de tertia ſc. delectatione, declarans eius naturam in 27 & 28. & comparans delectationes inter ſe, quoad principalitatem in 29. & quoad contrarietatem in 30. ſubiungens de oppoſita illi, ſcilicet triſtitia vel dolore in 31. Poſtea agit de paſsionibus iraſcibilis, & primò declarat eius primam combinationem in 32. Secundò ſecundam in 33. Tertiò vltimam paſsionem eius, quæ non habet contrarium, ſcilicet iram in 34.

Concluſio ſiue regula prima.

Appe-

1. Appetitus eſt potentia, qua appetens ad bonum inclinatur.

Vnaquæq; enim res ſecundum ſuam formam ad aliquid inclinatur. Nihil autem inclinatur, niſi ad aliquid ſibi ſimile vel conueniens, quod eſt ens. Cùm igitur omne ens ſit bonum, neceſſe eſt, quòd omnis inclinatio ſit ad bonum. Hinc omnia bonum appetere dicuntur. Appetitus ergo inclinatio ad bonum eſt.

2. Triplex eſt appetitus.

Nam cùm appetitus conſequatur aliquam formam: Si conſequitur formam in natura exiſtentem, dicitur appetitus naturalis, qualis eſt appetitus inanimatorum. Si autem conſequitur formam apprehenſam, aut eſt, apprehenſa per ſenſum, aut per intellectum. Si per ſenſum, ſic eſt appetitus ſenſitiuus. Si autem per intellectum, eſt appetitus rationalis, qui dicitur voluntas. De appetitu ergo naturali non eſt hîc tractandum. Sufficiant enim ea, quæ de inanimatis vel inſenſibilibus dicta ſunt in ſuperioribus, quia hic propriè non eſt appetitus. De appetitu autem rationali eſt dicendum poſteriùs, qui etiam non dicitur propriè appetitus, ſed voluntas. Igitur nunc eſt agendum de appetitu ſenſitiuo, qui formam apprehenſam per ſenſum ſequitur, & propriè appetitus nuncupatur.

3. Obiectum appetitus ſenſitiui eſt bonum per ſenſum apprehenſum.

Non enim animal, in quantum animal, ad aliquid,

aliquid, quod aliquo modo non cognoſcit, inclinatur: Sed cùm repræſentatur ei ſub ratione boni, illud proſequitur: Si autem ſub ratione mali, fugit. Vnde malum ad appetitum pertinet, ſed ſub alia ratione, quàm bonum, quia fugit malum appetitus, & hoc fugere repræſentatur illi vt bonum. Itaq; ſe habet ad malum propter rationem boni. Nihil autem refert, vtrum inclinetur ad verè vel apparens bonũ, quia bonũ apprehenſum, nequaquã autem bonum in re non apprehenſum, ſequitur.

4. Appetitus in iraſcibilem & concupiſcibilem diuiditur.

Quia obiectum appetitus bonum eſt vel malum ſenſibile per ſenſum apprehenſum: in animalibus hanc potentiam ad ſaluandam eorum vitam, vt ſc. bonum proſequi, & fugere malum potuerint, exiſtere neceſſe fuit. Et quia aliquando animalia difficultatem in adipiſcendo huiuſmodi bonum, & in fugiendo malũ, in quantum apprehenditur, patiuntur; idcirco duas appetitiuas in animali collocare opus fuit. Vnam, qua proſequatur bonum & fugiat malum, ambobus abſolutè conſideratis: alteram verò, qua proſequatur bonum vel fugiat malum, quatenus rationem habent ardui. Prima concupiſcibilis, ſecunda iraſcibilis dicitur. Vtraq; hæ potentiæ in corde vti ſuo reſident organo.

5. Vnaquæque iſtarum potentiarum proprias paſſiones obtinet.

Omnis enim potentia eſt ad actum ordinata. Vnde cùm appetitus ſit inclinatio quædam ad

appe-

appetibile: habeat aliquem actum, quo ad appetibile tendat, oportet. Hi autem actus dicuntur paſſiones, tum quia pati eſt ad alterum trahi, & appetitus trahitur ad appetibile, tum quia cum aliqua tranſmutatione corporali fiunt. Sic in ira ſanguis circa cor accenditur, & in timore ſanguis partes deſerit exteriores. Habent igitur hi appetitus aliquas paſſiones.

6. Paſſiones in iraſcibili & concupiſcibili non ſunt eædem.

Idem enim eſt obiectum potentiæ & actus eius. Cùm ergo potentiæ habeant diuerſa obiecta, diuerſos actus ad illa terminatos habeant, neceſſe. Actus enim concupiſcibilis ad bonum ſimpliciter: Actus autem iraſcibilis ad bonum arduum terminatur. Hi autem actus, vt dictum, ſunt paſſiones: Non ergo eædem.

7. In concupiſcibili tres ſunt paſſionum combinationes,

Bonum enim, quod mouet appetitum, ſe habet ad ipſum, ſicut mouens, quod trahit ad ſe patiens. Primò enim impertit ei quandã naturalem inclinationem vel aptitudinem, vt in ipſum tendat. Secundò ipſũ ad ſe allicit. Tertiò confert adepto in ſe quietẽ: ſicut graue, cùm eſt extra locum proprium, primò habet inclinationem ad ipſum: Secundò deſcendit: Tertiò quieſcit in ipſo. Et ſimiliter per contrariũ; dum fugitur malum, primò appetitus inclinatur ad fugam. Secundò fugit. Tertiò apprehenditur à malo, & ſuccumbit. Inclinatio igitur ſeu connaturalitas, vel complacentia, aut aptitudo ad bonum, eſt amor,

amor, cui per contrarium coniungitur odium. Proſecutio autem eſt deſiderium, cui per contrarium coniungitur fuga, vel abominatio. Quies autem in bono adepto eſt delectatio, cui per contrarium coniungitur triſtitia. In concupiſcibili ergo ſunt tres paſſionum combinationes, & ſex paſſiones, ſcilicet amor & odium, deſiderium & fuga, delectatio & triſtitia.

8. In iraſcibili quinque tantùm paſsiones ſunt.

In iraſcibili enim præſupponitur inclinatio ad bonum proſequendum & malum fugiendum, quia reſpicit bonum arduum, quod ſimpliciter bonum præſupponit, & ſimiliter ſe habet ad malum arduum, non autem ad malum ſimpliciter. Si ergo reſpiciat bonum arduum nondum adeptum, aut proſequitur id, ſperans arduitate ſe ſuperaturum, & hoc per ſpem facit, aut arduitas ſuperat eum, & ſic deſperat habere. Si autem reſpicit malum arduum nondum imminens, aut contra id pugnat, & hoc facit per audaciam, aut ab arduitate vincitur, & ſic per timorem ſuccumbit. Si autem arduum bonum ſit iam adeptus, quieſcit in eo & delectatur, & tum non habet rationem ardui, & ſic non fit per hoc paßio in iraſcibili, ſed in concupiſcibili, quia delectatio eſt paßio concupiſcibilis. Sed ſi malum arduum iam ſit imminens, aut inſurgit contrà, vt ſuperet illud, & ſic paßio iræ cauſſatur, aut totaliter ſuccumbit, et ſic triſtitia committitur, quæ eſt paßio concupiſcibilis. Itaq; quinq; ſunt paſ-

ſiones

ſiones iraſcibilis, & duæ combinationes cum dimidia, ſcilicet ſpes & deſperatio, timor & audacia, & vltimò ira.

9. Paſsiones iraſcibilis alio modo, quàm paſsiones concupiſcibilis, contrariantur.

In motibus enim & mutationibus inuenitur duplex contrarietas. Vna eſt ſecundum contrarietatem terminorum: altera ſecundum acceſſum & receſſum ab eodem termino, vt patet ſuprà in lib. 4. concluſione 19 & 20. Quia ergo concupiſcibilis reſpicit bonum & malum abſolute, & bonum, in quantum huiuſmodi, nunquam habet rationem termini à quo, ſed ſemper termini ad quem. Malum autem econtrario. Ideo in concupiſcibili paſſiones habent contrarietatem ſecundum terminos. Nam amor, deſiderium, & delectatio ſunt ad bonum: Odium verò, fuga, & triſtitia reſpiciunt malum: Paſſiones autem iraſcibilis reſpiciunt bonum vel malum arduum, & ideo propter arduitatem poteſt bonum habere rationem termini à quo, & malum termini ad quem, vt ſc. in ipſum tendatur, ad euitandam eius ſubiectionem. Et ideo contrarietas in paſſionibus iraſcibilis eſt non ſolùm per contrarietatem terminorum, ſed etiam per acceſſum & receſſum ab eodem termino. Spes enim tendit in bonum arduum, à quo recedit deſperatio. Et audacia tendit in malum arduum, à quo recedit timor. Diuerſimodè igitur contrariantur paſſiones horum appetituum.

10. Non omnis paſsio habet contrarium.

Singu-

Singulare eſt enim in paßione iræ, quòd non poßit habere contrarium. Cùm enim cauſſetur ex malo difficili iam adiacente, non poteſt habere modum ad fugiendum, quia iam malum eſt præſens vel præteritum. Et ideo non habet ira contrarium ſecundum acceſſum vel receſſum, nec ſecundum contrarietatem termini, quia malo adiacenti contrariatur bonum adiacens, quod cauſſat delectationem, quæ eſt paßio concupiſcibilis triſtitiæ contraria. Si igitur malo adiacenti appetitus ſuccumbit, cauſſatur triſtitia, quæ eſt paßio concupiſcibilis. Si autem inuadit illud, vt excludat, ſic eſt motus iræ, & non habet aliam oppoſitionem, niſi quietem, & ab illo motu ſeu inuaſione ceſſationem, & hæc ceſſatio dicitur manſuetudo, vel mititas, quæ ei priuatiuè vel negatiuè opponitur.

11\. Paſsiones concupiſcibilis paſsionibus iraſcibilis aliquo modo, & aliquo modo non, priores ſunt.

Nam, exceptis delectatione & triſtitia, omnes aliæ paſsiones important quendam motum. In ijs ergo, quæ important motum, priores ſunt paßiones concupiſcibilis, quia reſpiciunt bonum & malum abſolutè: Sed paßiones iraſcibilis reſpiciunt illa cum additione ardui, ſed ſi comparentur paßiones iraſcibilis delectationi, ſic delectatio, cùm habeat rationem finis, eſt prior intentione, ſed poſterior executione. Spes enim præcedit gaudium, ipſumq́ue cauſſat: Triſtitia tamen timorem

morem mali ſequitur, & præcedit iram, ſed cùm ira inſurrexerit contra malum imminens, ſi vincit illud, gaudium generatur in appetitu, & ſic tandem terminatur ad gaudium. Itaq; ſpes in gaudium, deſperatio verò in triſtitiam deſinit: Quoniam non frui bono deſiderato æquè reputatur malum. Similiter timor, ſi ſuccumbit malo, & audacia, & ira in triſtitiam: Si verò vincit malum, audacia & ira in gaudium deſinunt: Atq; ſic tandem ad gaudium vel ad triſtitiam terminantur. Itaq; paſsiones iraſcibilis mediæ inter paſsiones concupiſcibilis, quæ important motum, & inter eas, quæ important quietem, exiſtunt. Vnde ab eis incipiunt, in easq; terminantur.

12. Amor eſt prima paſsio in concupiſcibili.

Illæ enim, quæ reſpiciunt bonum, ſunt his priores, quæ reſpiciunt malum. Inter eas autem, quæ reſpiciunt bonum, prior eſt illa, quæ eſt aptitudo ad bonum, quàm illæ, quæ tendunt ad bonum, vel fruuntur bono adepto: Hæc autem eſt amor. Ergo amor eſt prima paſsio in executione, ſed delectatio prima eſt in intentione; deſiderium verò in medio eſt. Pari etiam modo illæ, quæ malum reſpiciunt, ordinantur. Priùs odio habetur malum, ſecundò fugitur: Tertiò, ſi imminet, ipſi reſiſtitur.

13. Spes eſt prima paſsio in iraſcibili.

Bonum enim, quod reſpicit ſpes & deſperatio, malo, quod aliæ paſsiones reſpiciunt, iraſcibi-

lis prius eſt: Sed quòd recedatur à bono, fit per accidens. Reſpectu enim boni & per ſe ineſt ei vt ad ipſum accedatur: Et ideo ſpes eſt prior deſperatione. Aptitudo verò ad aliquid eſt prior ipſa conſecutione, & ideo timor, & audacia, quæ conſequũtur aptitudinem ad malum, quæ eſt odium (Reſpiciunt enim malum, quod poteſt imminere) ſunt priores ira, quæ reſpicit malum iam imminens. Sed quia fugere malum eſt per ſe, & ipſum proſequi eſt per accidens: ideo timor, qui fugit malum, prior audacia, quæ ipſum aggreditur eſt. Itaq; ſpes inter omnes prima.

14. Paſsiones iraſcibilis ſunt inter paſsiones concupiſcibilis in via generationis.

Hoc ex dictis patet. Vnde ſic omnes poſſunt ordinari. Primò enim ſunt amor & odium. Secundò deſiderium & fuga. Tertiò ſpes & deſperatio. Quartò timor & audacia. Quintò ira. Sextò & vltimò gaudium & triſtitia. Ita tamen, vt amor ſit prior odio, & deſiderium fuga & ſpes deſperatione, & timor audacia, & gaudium triſtitia. Hæ loco vltimo, quia omnes alias conſequuntur, numerantur.

15. Paſsiones principales ſunt gaudium & triſtitia, ſpes & timor.

Principales ideo dicuntur, quia alias complent. Et quidem gaudium & triſtitia ſunt finales omniũ paſsionum, vt dictum eſt. Spes autem & timor eas omnes, quæ in aliquod quaſi futurum tendunt, complent. Reſpectu enim boni incipit motus ab amore, & procedit in deſiderium, & terminatur in

ſpe.

ſpe. Reſpectu verò mali incipit in odio, & procedit in fugam, & terminatur ad timorem. Ira autem non eſt principalis, quia eſt quaſi quædam effectus audaciæ, quæ non poteſt eſſe principalis, quia tendit ad malum: Quod quidem tendere non poteſt eſſe niſi per accidens. Quod autem eſt per accidens, principale eſſe nequit.

16. Bonum cognitum eſt obiectum & cauſſa amoris.

Cùm enim amor ad appetitiuã potentiam pertineat, quæ eſt vis paſſiua, ad quam comparatur obiectum eius, vt cauſſa motus: Oportet, quòd idem ſit cauſſa amoris, & obiectum. Obiectum autem amoris eſt bonum, ſicut & appetitus. Amor enim importat quandam connaturalitatem vel complacentiam amantis ad amatum. Vnicuiq; autem eſt bonum id, quod eſt ſibi connaturale & proportionatum. Quia verò bonũ non eſt obiectum appetitus, niſi ſit apprehenſum: ideo ad amorẽ requiritur cognitio. Et ſic cognitio eſt cauſſa amoris ſicut & bonum, quia non poteſt amari niſi cognitum.

17. Similitudo eſt cauſſa amoris.

Similitudo enim eſt rerum differentium eadem qualitas vel natura. Si ergo ſit eadem in duabus rebus actio, cauſſabit amorem amicitiæ, quia ſunt illa quodammodo vnũ. Si autem vna res habeat id in potentia, quod altera habet actu, cauſſabit amorem concupiſcentiæ, quia eſt propter ſuum vtile, vel delectabile: Quia id, quod eſt in potentia, in quantum huiuſmodi, deſiderat actum tanquam bonũ ſibi. Verùm aliquando ſimiles ſe oderunt per

accidens, in quantum ſc. vnus eſt impeditor boni alterius. Vnde figulus figulum, & inſolens ſuperbum odio habet.

18. Vnio eſt effectus amoris.

Vnio enim realis amantis & amati ex amore, qui mouet ad deſiderandum & quærendum amatum, procedit. Verùm vnio, qua amans afficitur re amata, apprehendens amatum, quaſi aliquid ad bonum ſuum pertinens, vel ei bonum, quaſi ſit alter ipſe, vult, cùm non ſit realis, non eſt effectus amoris, ſed eſt potiùs ipſe amor, qui duorum nexus eſt.

19. Mutua inhæſio eſt effectus amoris.

Amans enim dicitur eſſe in amato, dum nititur ipſum non ſolùm cognoſcere ſuperficialiter, ſed etiam ſingula eius diſquirere, & eo perfectè frui, vel in quantum reputat bona vel mala amici quaſi ſua, reputans, ſe eſſe quaſi ipſummet amatum. Amatum autem eſt in amante, in quantum immoratur in apprehenſione amantis, & eſt in eius complacentia & affectu, dum delectatur in eo, vel in bonis eius. Et ſic patet, vnum in altero, tàm quoad vim apprehenſiuam, quàm quoad vim appetitiuam, exiſtere.

20. Amor amantem extra ſe ponit.

Amor enim amantem cogitare de amato, & ad ipſum per appetitum ferri cogit. Et ſic amantem extra propriam cognitionem & extra ſe ponit, in alienoq́; collocat. In amore verò concupiſcentiæ ad ſeipſum, bono adamato comitatus, reuertitur. Zelus

21. Zelus ex intenſione amoris cauſſatur.

Eſt enim zelus quædam iugis attentio ad expellendum ea, quæ quietæ fruitioni rei amatæ repugnant. Manifeſtum eſt autem, quòd quantò aliquid intenſiùs amatur, tantò intenſiùs in illud tenditur, & per conſequens, fortiùs eius contrarium repellitur. Amoris ergo intenſio eſt cauſſa zeli, ex qua intenſione quandoque etiam propter excellentem immutationem corporis amor noxius.

22. Amans omnia ex amore agit.

Omne enim agens propter finem aliquem agit. Finis autem eſt bonum amatum & deſideratum vnicuique. Manifeſtum ergo, omne agens, quodcunq; illud ſit, quamcunque actionem ex aliquo amore agere.

23. Obiectum odij eſt malum apprehenſum.

Contrariarum enim paſſionum ſunt contraria obiecta. Amoris autem obiectum eſt bonum apprehenſum: Quia conſiſtit in quadam cum eo conſonantia. Ideo obiectum odij, quod in diſſonantia conſiſtit, malum apprehenſum eſt.

24. Sine amore non poteſt eſſe odium.

Odium enim in diſſonantia, & amor in conſonantia conſiſtit: Oportet autem priùs conſiderare, quid alicui conueniat, quàm quid ei repugnet. Non enim aliquid repugnat, niſi quid impedit,

vel corrumpit conueniens: Et ideo amor eſt prior odio, & dicitur eſſe cauſſa odij. Licet enim ſint cõtraria, quando ſunt circa idem: non tamen quando ſunt de contrarijs, ſed ſic ſe inuicem conſequuntur, & amor cauſſa odij eſt.

25. Amor eſt potentior odio.

Cauſſa enim eſt fortior effectu. Sed amor eſt cauſſa odij: ſine qua non eſſet odium. Præterea fortiùs tendit aliquid ad finem, quàm ad ea, quæ ſunt ad finem. Receſſus autem à moto ordinatur ad conſecutionem boni, velut ad finem: Et ideo amor eſt fortior odio. Quòd autem dicitur aliquando, odium eſſe potentius, hinc fit, non quòd odium ad amorem ſibi correſpondentem, ſed ad amorem illo amore minorem, qui odio correſpondet, comparatur. Vt cùm odium doloris fortius amore voluptatis eſſe dicitur, quia amor ſuæ conſeruationis, qui correſpondet odio doloris, maior amore voluptatis exiſtit.

26. Concupiſcentia eſt paſsio ſpecialis concupiſcibilis.

Secundum enim diuerſitatem obiecti diuerſificantur paſſiones. Diuerſitas autem obiecti poteſt attendi, vel ſecundum naturam ipſius, vel ſecundum diuerſitatem virtutis agendi. Delectabile igitur ſecundum ſenſum, quod eſt obiectum appetitus ſenſitiui, in quantum ſibi appetitum adaptat, cauſſat amorem, in quantum verò abſens attrahit ad ſeipſum, cauſſat concupiſcentiam, in quantum verò præſens quietat in ſeipſo, cauſſat delectationem.

nem. Concupiſcentia ergo eſt paſsio ſpecialis, cuius obiectum non eſt delectabile abſolutè, ſed in quantum eſt abſens. Oppoſitum autem concupiſcentiæ eſt innominatum, niſi quod dicitur fuga, cuius obiectum eſt malum, vel triſtabile abſens, pro qua paſsione aliquando ponitur timor, ſicut etiam loco ſpei quandoq; cupiditas.

27. Delectatio eſt paſsio quædam & motus.

Quamuis enim poſt conſecutionem boni ceſſet motus executionis in appetitu, quo ad finem tendit: non tamen ceſſat motus appetitiuæ partis, qua appetitus bono adepto delectatur. Et hic motus dicitur delectatio.

28. Delectatio ſecundum ſe non eſt in tempore.

Delectatio enim eſt in bono iam adepto: Vnde eſt quaſi terminus motus, & non ſicut generatio. Verùm ſi illud bonum adeptum tranſmutationi ſubiaceat, erit delectatio per accidens in tempore. Si autem ſit omnìno intranſmutabile, delectatio nec per ſe, nec per accidens futura in tempore. Et licet ſit motus quidam: non tamen eſt motus imperfecti, qui eſt in tempore, ſed motus perfecti, qui omnis temporis expers eſt.

29. Delectationes ſecundum tactum ſunt potentiſsimæ.

Nam eſt cognoſcitiuus eorum, ex quibus conſiſtit animal, ſc. calidi & frigidi, humidi & ſicci. Vnde huiuſmodi delectationes ſunt maiores

iores cæteris, quaſi fini propinquiores. Præterea ad huiuſmodi delectationes ordinātur concupiſcētiæ naturales, id eſt, concupiſcentia cibi, & venereorum, quæ magis ſequuntur naturam, quàm apprehenſionem. Id autem, quod eſt naturale, in vnoquoque eſt potentiſſimum. Verum eſt tamen, quòd delectationes viſus ſint potiores, in quantum viſus deſeruiens intellectui conſideratur. Sed hæc delectatio ad hominem, in quantum homo eſt, pertinet. Animalia enim bruta non ſecundum alios ſenſus, niſi in ordine ad ſenſibilia tactus, delectantur.

30. Delectatio delectationi poteſt eſſe contraria.

Quietes enim, quæ ſunt in contrarijs terminis, ſunt contrariæ. Sed delectatio eſt quædam quies: Ergo ſi ſit in contrario ad alteram bono, futura ei contraria eſt.

31. Dolor delectationi contrariatur.

Dolor à triſtitia differt, quia dolor ſequitur exteriorem apprehenſionem mali, triſtitia autem interiorem: Sicut delectatio ſequitur exteriorem apprehenſionem boni, gaudium verò interiorem. Dolor igitur eſt contrarius delectationi, quia contrarium obiectum obiecto delectationis habet. Huius quidem eſt bonum adeptum, illius verò malum, & ſic etiam triſtitia & gaudium ſunt contraria. Non tamen omnis dolor vel triſtitia contrariatur omni delectationi, & omni gaudio: Oportet enim quòd ſint de eodem. Gaudere enim de bono,

&

& triſtari de malo, non ſunt contraria, ſed idem reputari bonum ſibi ab vno, & delectari in eo, & ab altero reputari malum & triſtari de eo, contraria ſunt.

32. Spes & deſperatio reperiuntur in brutis.

Hoc enim exteriori motu eorum deprehendimus. Nam ſi canis à longè nimis videat leporem, quaſi eam adipiſci deſperans, motu non inſequitur. Si autem in propinquo ſit, ſumma adipiſcendi ſpe inſectatur. Idem accipitri & multis alijs commune animalibus.

33. Timor eſt ſpecialis paſsio animæ.

Habet enim ſpeciale obiectum. Hoc autem eſt malum futurum difficile, cui reſiſti non poteſt. Timor ſi eſt de malo corrumpente, quod natura propter naturale deſiderium eſſendi refugit, dicitur timor naturalis. Si autem de malo, quod non repugnat naturæ, ſed deſiderio appetitus, talis timor non naturalis eſt. Et hoc modo etiam amor naturalis, & concupiſcentia, & delectatio dicitur. Timori autem contrariatur audacia. Sicut enim timor nocumentum futurum propter eius ſuper ipſum timentem victoriam refugit: ità & audacia periculum imminens, propter ſui ſuper ipſum periculum victoriam, aggreditur.

34. Obiectum iræ non ſolum malum eſt.

Motus enim iræ in duo tendit, ſcilicet in ipſam vindictam, quam appetit & ſperat, veluti quoddam bonum: Vnde & ipſa delectatur, & in illum,

de quo meditatur vindictam, ſicut in contrarium & noxium, quod ad rationem mali pertinet. De paſſionibus ergo ſenſitiui appetitus breuiter hæc loco hoc diximus: Quæ reſtant fuſiùs, vbi de appetitu rationali, hoc eſt, de voluntate agemus, tractabimus.

DE PRINCIPIO MOTVS ANIMALIVM SEcundum locum.

LIBER DECIMVSTERTIVS.

Summa & diſpoſitio libri XIII.

QVoniam anima ſenſitiua eſt principium non ſolùm ſentiendi & appetendi, ſed etiam mouendi ipſum animal: ideo poſt conſiderationem eius, quoad partem cognitiuam & appetitiuam, ſequitur conſideratio eius quoad partem motiuam. Circa quã principaliter duo docet autor. Primò enim agit de principio motiuo animalis ſecundum locum, ſecundò de motu cordis & eius principio. Circa primum horũ initiò duo ab hoc principio, de quibus poterat eſſe dubium, in 1 & 2. concluſionibus remouet. Secundò aſsignat & declarat duo principia huius motus, ſc. principale in 3. & ſecundarium in 4. Tertiò, quia diuerſa concurrunt ad cauſſandum hunc motum, oſtendit in 5. quomodo animal

animal mouetur ab illis, & quomodo omnia reducantur in vnum, in 6. Circa ſecundum principale, primò quatuor à principio talis motus, de quibus poterat eſſe dubium, in 7, 8, 9 & 10. tollit. Secundò declarat qualitatem huius motus, auferens ab eo violentiam in 11. & oſtendens eſſe naturalem in 12. Hoc enim deſeruit ad cognoſcendum eius principium. Tertiò manifeſtat verum principium eius in 13. Quartò declarat duas conditiones eius, alteram ſibi propriam, ſc. eſſe ſimilem motui cœli, in 14. alterã communem ſibi & motui membri pudendi, ſc. eſſe inuoluntarium in 15.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Principium motus ſecundum locum in animali non potentia vegetatiua exiſtit.

Motus enim localis in animalibus eſt propter aliquid imaginatum vel deſideratum. Imaginatio autem & deſiderium non competunt parti vegetatiuæ: Aliàs, plantas potentia vegetatiua præditas motu locali à ſeipſis moueri, ſequeretur, quod falſum eſt.

2. Nec item hoc principium potentia ſenſitiua in quantum huiuſmodi eſt.

Sic enim omnia animalia mouerent ſeipſa motu locali, quia omnia habent animam ſenſitiuam. Et hoc etiam eſt falſum: Non eſt igitur potentia ſenſitiua.

Appeti-

3. Appetibile apprehenſum primum eſt,quod animal localiter mouet.

Non enim mouetur animal, niſi aliquid appetat. Nihil autem appetit,niſi illud apprehendat per phantaſiam vel intellectum. Sed de intellectu poſteriùs eſt tractandum. Appetibile ergo apprehenſum eſt primum hoc motu mouens.

4. Potentia motiua eſt virtus, qua animal mouetur immediatè.

Motus enim localis diuerſa operatio ab operatione appetitus eſt. Aſsignare igitur huic operationi aliquam virtutem vel potentiam, à qua immediatè procedat, oportet. Hæc autem eſt virtus motiua, quæ in muſculis tanquam in organo, ſed primò in corde eſſe dicitur. Ergo &c.

5. Diuerſimodè à diuerſis mouetur animal.

Ab appetibili enim mouetur animal tanquam trahente appetitum: à phantaſia verò tanquam à dirigente & bonum oſtendente: Ab appetitu autem tanquam ab imperante motum: à potentia verò motiua tanquam ab exequente: à corde demum tanquam ab organo potentiæ motiuæ.

6. Omnia iſta, licet diuerſa numero ſint, vnum tamen mouens ſpecie ſunt.

Omnia enim quodammodo rationem & ſpeciem primi mouentis, id eſt, appetibilis ſuſcipiunt. Nam potentia apprehenſiua mouet, vt præſentans ipſum appetibile: Appetitus autem, quia appetit illud idem: Potentia verò motiua, quia tendit

dit ad illud: Cor autem, quia eſt organum mouendi illud. Et quodammodo ſicut appetibile moueri: Quia omnia aliqualiter rationem illius ſuſcipiunt.

7. Motus cordis non eſt ab anima nutritiua.

Eius enim eſt generare, augmentare, & nutrire: non autem localiter mouere. Motus autem cordis eſt motus localis: Ergo non eſt ab anima vegetatiua, aliter in plantis motus localis foret.

8. Nec eſt ab anima ſenſitiua per appetitum.

Quia motus cordis animalium non ſubiacet imperio appetitus: Aliter poſſemus imperare cordi, vt quieſceret: Ergo non eſt ab appetitu.

9. Nec aſt à calido, generato per fluxum & refluxum ſpirituum vitalium.

Quia motus cordis eſt magis cauſſa illius caloris. Primum enim, quod mouetur localiter in animali, eſt cor: Unde eſt cauſſa omnis motus localis in animali, & per conſequens cæterorum motuum. Calor enim non eſt cauſſa motus localis, niſi per accidens. Cor enim ſe habet in animali, ſicut cælum in vniuerſo. Primus autem motus in vniuerſo, qui eſt cauſſa omnis motus, eſt motus localis, & motus cœli: Igitur & primus motus in animali eſt motus cordis. Non ergo ab illo cauſſatur calore.

10. Nec eſt à cauſſa vniuerſali tantùm.

Quia omne naturale habet in ſeipſo principium motus & quietis. Motus autem cordis eſt animali natu-

naturalis:Non igitur tantũ à cauſſa vniuerſali: Aliter aliquãdo ceſſaret moueri,ſicut aliquando deficit fluxus & refluxus maris, quia eſt à cauſſa vniuerſali tantùm.

11. Nec eſt motus violentus.

Quia nullum violentum conſeruat naturam. Sed motus cordis conſeruat animal:Quia illo ceſſante animal periret: Non poteſt ergo eſſe violentus.

12. Motus cordis eſt naturalis.

Cùm enim non ſit violentus, nec animalis, id eſt, ab anima ſenſitiua per appetitum: Sequitur, quòd ſit naturalis. Et rationabiliter hoc dicitur: Quia omnis motus animalis & hominis habet principium naturale. Nam & principia ſcientiarũ ſunt naturaliter nota: Ex quibus ratiocinando in cognitionem concluſionum proficiſcitur. Et appetitus finis, à quo omnes alij motus appetitus procedunt, eſt naturalis. Et ideo etiam motus localis eius habet principium naturale, quod eſt motus cordis. Verùm eſt aliter naturalis, quàm motus grauium & leuium, quia ab alia prouenit forma.

13. Motus cordis eſt ab anima ſenſitiua, in quantum forma talis corporis eſt.

Non enim eſt in quantum apprehenſiua vel appetitiua: Quia *non ſequitur iſte motus apprehenſionem per ſe, nec per appetitum. Sequitur ergo, animam,in quantum eſt forma talis corporis, id eſt, corporis habentis tales diſpoſitiones, in quo eſt cor, cuius eſt forma principaliter, ad quam ſequi-*

ſequitur iſte motus, ſicut ad formam grauis ſequitur deſcendere deorſum, & ad formam leuis moueri ſurſum: Et ſicut ad formam ferri motus ad magnetem ſequitur. Sicut autem compoſita quædam aſcendunt ſurſum propter ſimilitudinem, quã habent cum igne vel aëre, & quadam deorſum, propter ſimilitudinem, quam habent cum terra: Ita hoc modo cor propter ſimilitudinem, quam cum cælo habet, mouetur. Formam enim nobiliorem, velut & cælum, nactum.

14 Motus cordis eſt ſimilis cælo.

Eſt enim aliqualiter circularis, quia eſt ſecundum pulſum & tractum ab eodem ad idem, & eſt etiam aliqualiter continuus, licet in his a cælo deficiat, nec eſt inconueniens, etſi moueri motibus contrarijs videatur. Quia cum aſsimilari totaliter cælo non poſsit: nititur tamen, quantum poteſt.

15 Inuoluntarij ſunt motus cordis, motus membri pudendi.

Non enim mouentur iſta duo membra iuſſu rationis ſeu voluntatis, ſed aliquando etiam contra voluntatem, et aliquando per voluntatem, in quantum intellectus & phantaſia repræſentant aliqua, ex quibus conſequuntur paſsiones animæ, ad quas motus horum membrorum ſequitur. Itaq; ad motus eorum requiritur aliqua alteratio naturalis, id eſt, caliditatis, vel frigiditatis, quæ non ſubiacet rationis imperio. Et tamen aliquando poteſt imperare voluntas, in quantum poteſt imperare phantaſiæ, vt talia cogitet, quibus excitentur paſsiones ad hos motus facien-

dos,

dos, & aliquando eam diuertere à tali cogitatione, ne hic motus ſequatur, licet etiam aliquando ei ex aliqua cauſſa non obediatur. Qualiter autem alia membra vel aliæ potentiæ obediant voluntati, inferiùs dicetur. Et tantum de potentia ſecundum locum animalium motrice.

DE INTELLECTV ET ANIMA INTELLIGENTE,

LIBER DECIMVSQVARTVS.

Summa & diſpoſitio libri XIV.

POſtquam dictum de anima ſentiente: de anima intelligente dicendum eſt. Et primò quoad partem cognitiuam in hoc libro, ſecundò quoad partem appetitiuã, in ſequenti. In hoc igitur libro tria principaliter facit autor. Primò agit de potentijs intellectiuis, ſecundò de actibus, qui producuntur à potentijs: Tertiò de ipſa anima intellectiua, quæ per actus & potentias ſuas cognoſcitur. Quoad primum horum, primò agit de intellectu poſsibili, quo ſc. intelligimus, manifeſtans quæſtionem, An ſit, in 1. concluſione, & 2. naturam eius in 3. 4. Et quia affirmatur eſſe potentia, declarat in 5. qualis potentia ſit. Secundò agit de intellectu agente,

te, declarans quæſtionē, An ſit, in 6. quid ſit in 7. & quomodo ſe habet ad intellectū paſsibilē in 8. Tertiò de memoria, oſtendens quæſtionē, An ſit, in 9. & quomodo ſe habet ad intellectum paſsibilem, per quod oſtenditur, quid ſit, in 10. Quartò agit de ratione, declarans, quid ſit, in 11. & quomodo diuidatur in ſuperiorē & inferiorem, in 12. Quintò, de intellectu ſpeculatiuo & practico tractat, declarando, quid ſit uterque, & quomodo ſe ad inuicem habeant, in 13. Demum de intellectu principiorum, & ſyntereſi, in 14. peragit. Hæc enim omnia ad potentias intellectiuas pertinent. Quoad ſecundum principale, incipit à cognitione corporalium, & inueſtigat tria, ſcilicet, per quid ea, quo ordine, & quid in eis cognoſcat. Circa primum, præmiſſa intellectus ab organo corporali ſeparatione, in 15. quæ eſt quaſi principiorum, oſtendit, per quam potentiam anima cognoſcat corpora, in 16. per quam formam intelligat, in 17. unde habeat illam formam, in 18. & quomodo in hac cognitione intellectiua ſe habeat ad ſenſum, tàm quoad principium, in 9, quàm quoad vſum, in 20. Circa ſecundum oſtendit, quomodo ſe ſpecies intelligibiles ad hanc cognitionem habeant, in 21. quid priùs intelligat, in 22. quot ſimul intelligat, in 23. quomodo intelligat, in 24. Ex quo deducit, an intellectus ſit falſus, & quando, in 25.

Et demum quomodo ſe circa cognitionem diuiſibilis & indiuiſibilis habeat, in 26. Circa tertium volens oſtendere, quid intelligat in rebus corporalibus, manifeſtat tria, de quibus eſt dubium, ſc. An cognoſcat ſingularia, & quomodo, in 27. An infinita, quod ſequitur ex primo, quia ſingularia ſunt infinita, in 28. An contingentia, quod idem ex eo ſequitur, in 29. Procedit poſtea ad cognitionem ſpiritualium ſiue immaterialium: Et primò quidem oſtendit, quomodo anima intellectiua cognoſcat ſeipſam ex ijs, quæ ſunt in ſeipſa, in 30, Secundò quomodo ſubſtantias ſeparatas, in 31. Tertiò ex dictis deducit, quid ſit obiectum intellectus, tàm commune, in 32. quàm proprium pro iſto ſtatu, in 33. Quoad tertium principale, tria agit de ipſa anima. Nam primò tractat de eius natura ſiue eſſentia, & præſuppoſito, quòd non ſit corpus, ſed actus corporis, ex definitione animæ, in ſuperioribus poſita, oſtendit, qualis forma ſit, ſc. immaterialis & ſubſiſtens, in 34. Et ne ob id ipſe homo eſſe, quemadmodũ Plato dicebat, exiſtimetur, oſtendit conſequenter in 35. eſſe eam partẽ humanæ naturæ, & cum hoc eſſe formam ſimplicem, in 36. Et quia omnis forma immaterialis eſt incorruptibilis, id demum oſtendit, in 37. Secundò agit de vnione eius cum corpore, manifeſtans, quomodo illi vniatur, ſcilicet vt forma, in 38. Ex quo

quo ſequitur, quòd multiplicetur ad multiplicationem corporum, quod oſtendit conſequenter, in 39. Et quia eſt forma ſubſtantialis, non patitur ſecum aliam formam ſubſtantialem in corpore, quod manifeſtat in 40. Et hæc ſe habent ex parte animæ. Ex parte autem corporis oſtendit, cur tali corpori vniatur, ſc. corruptibili, in 41. Et quomodo, an ſcil. aliquo mediante, in 42. Et demum declarat modum eſſendi in illo, in 43. Tertiò agit de eius productione, manifeſtans quatuor ordine, ſc. modum, quo producatur, in 44. à quo producatur, in 45. de quo producatur, in 46: Et quando producatur, in 47.

Concluſio ſiue regula prima.

1. In homine eſt aliqua potentia cognoſcens altior ſenſu.

Experientia enim habemus, hominem vniuerſalia cognoſcere, quæ nullo modo à ſenſu cognoſci poſſunt: Quia ſenſus cognoſcit per ſpecies indiuiduales, cùm recipiat ſpecies rerum ſenſibilium in organis corporalibus. Vnde nec incorporalia ſenſu cognoſcuntur, cùm qualitates ſenſibiles, ſine quibus ſenſus non cognoſcit, ſolùm in corporalibus inueniantur. Hominis tamen vſq; ad incorporalia extenditur cognitio. Præterea ab excellenti ſenſibili corrumpitur ſenſus, ſed potentia in homine, qua cognoſcit vniuerſalia & incorporalia, perficitur ab excellenti cognoſcibili. Ergo habet

excellentiorem potentiam ſenſu: Et hæc potentia intellectus dicitur.

2. Solus homo inter animalia potentiam intellectiuam habet.

Potentia enim intellectiua ſe extendit ad diuerſa & oppoſita, vt patet experientia. Homo enim alius atq; alius diuerſa, & nullus ferè hominum eadem operatur. Et licet quidam eadem operentur: non tamen eodem modo. Cætera verò animalia, quando ſunt eiusdem ſpeciei, eadem faciunt & eodem modo, quaſi à natura mota ad determinatas & vniformes operationes. Sic omnis hirundo eodem modo parat nidum. Solus igitur homo hanc habet potentiam, quæ eſt intellectus.

3. Intellectus non idem eſt, quod imaginatio.

In brutis enim animalibus eſt imaginatio, vt in ſuperioribus determinatum eſt: Sed tamen in eis nullum opus intellectus apparet, vti & hoc dictum. In homine autem opera imaginationis & intellectus apparent diuerſa: Quia, vt diximus, intelligit vniuerſalia & incorporalia, & diuerſa diuerſimodè operatur, quod nullũ aliud animal facit. Si enim imaginatio & intellectus eſſent idem, in brutis etiam eſſet intellectus, quod eſt falſum, quemadmodum antè dictum.

4. Intellectus eſt potentia animæ, non autem eſſentia.

Ad idem genus entis pertinet potentia, ad quod pertinet actus, ad quem per ſe ordinatur illa

illa potentia. Nam potentia & actus diuidunt ens, & quodlibet genus entis. Si ergo intellectus eſſet eſſentia animæ, ſequeretur, quòd intelligere eſſet ſubſtantia & non accidens in homine. Sic homo ſemper eſſet in actu intelligendi, velut ſemper eſt in actu eſſendi. Anima ergo non eſt immediatum principium intelligendi, ſed eſſendi: Quia ſi eſſet immediatum principium intelligendi, idem eſſet in homine eſſe, quod intelligere, quia ita ſe habet eſſentia ad eſſe, ſicut potentia ad operari. In ſolo autem DEO *intelligere eſt eſſe, in quo ſola eſſentia & eſſe idem & vnũ ſunt. Eſt ergo intellectus potentia animæ, ab eius eſſentia diſtincta.*

5. Intellectus eſt potentia paſsiua.

Potentiam paſsiuam hîc dicimus intellectum, non quaſi aliquid propriè patiatur per motum naturalem, ſed quia recipiat: Vnde paſsionem vocamus receptionem. Videmus enim, quòd intellectus noſter primò eſt in potentia reſpectu omnium intelligibilium, quoniam principio nihil intelligit, & eſt inſtar tabulæ raſæ, in qua nihil eſt ſcriptum, ſed ſcribi omnia poſſunt. Poſtea de potentia reducitur ad actum, quando in ſeipſo recipit rerum ſimilitudines. Vnde noſtrum intelligere eſt quoddam pati & recipere: Et ob id intellectus potentia paſsiua dicitur.

6. Neceſſe eſt, ponere intellectum agentem.

Nam cùm non intelligamus, niſi ſubſtantias rerum ſenſibilium, quæ non ſunt abſtractæ à materia:

ria : Materia verò, cùm ſit potentia, impediat intellectum ; Sequitur, quòd intellectus noſter, cùm ſit immaterialis potentia, vt probabitur, non poſſit moueri à ſenſibilibus ſecundum ſe, ſicut mouetur potentia viſiua à coloribus indiuidualibus. Nam recipiens & receptum debent eſſe proportionata. Itaque ſenſibilia non ſunt ſecundum ſe intelligibilia actu, ſed ſolùm potentia. Cùm ergo illud, quod eſt potentia, fiat actu per id, quod eſt ens actu : aliquam aliam potentiam præter intellectum poſſibilem ponere oportet : Quæ potentia intelligibilia atque talia efficiat. Hæc autem intellectus agens eſt : Ergo intellectum agentem ponere neceſſariò oportet.

7. Intellectus agens eſt virtus animæ.

Natura enim non deficit in neceſſarijs, & maximè in rebus naturalibus. Sicut ergo cæteris rebus præter vniuerſales cauſſas agentes propriæ virtutes inditæ ſunt, per quas operari poſſunt : Ita etiam multò magis dicendum, animam eſſe vrtutem quandam, per quam anima ſeipſam poſſit in actum intelligendi reducere. Fit id hoc pacto, quòd ſenſibilia actu intelligibilia fiant, hac ratione : Quia à conditionibus indiuiduantibus abſtrahuntur, fiuntq́ vniuerſalia. Conditiones autem indiuiduantes per phantaſmata intellectui offeruntur ſeu appropinquant, & per virtutem intellectus agentis ſimilitudo vniuerſalis reſultat in intellectu poſſibili. Sicut per lumen, quod eſt in medio, reſultat ſpecies coloris in

pupilla:

pupilla: Vnde intellectus agens habitus, ſicut lumen dicitur. Ex quo patet, vnumquemque hominem intellectum ſuum agentem obtinere.

8. Intellectus agens realiter ab intellectu poſsibili differt.

Actus enim & potentia differunt realiter: Intellectus autem poßibilis eſt ſicut materia & potentia: Agens verò ſicut actus, in cuius virtute ſunt omnes ſpecies intelligibiles. Vnde actus eorum ſunt realiter differentes. Multùm enim inter ſe diſtant abſtrahere à phantaſmatibus & recipere ſpecies intelligibiles. Igitur & ipſi intellectus realiter differunt.

9. Memoria eſt in parte intellectiua animæ.

Voce autem nunc memoriam non illam, quæ reſpicit præteritum, in quantum præteritum. Hoc enim modo ſolum eſt in parte ſenſitiua, quæ cognoſcit cum hîc & nunc. Sed appello memoriam conſeruationem, vel potentiam conſeruatricem earum ſpecierum, quas recipit. Cùm igitur vnumquodque recipiatur in aliquo ſecundum modum recipientis, & intellectus ſit ſtabilis naturæ & immobilis, multò magis quàm materia corporalis, ſi materia corporalis formas, quas recipit, retinet etiam, poſtquam agere ceſſauerit: Multò magis intellectus conſeruabit ſpecies, quas recipit, poſtquam intelligere actualiter ceſſauerit. Et ſic ſequitur, quòd hoc modo in parte intellectiuâ memoria ſit.

10. Intellectus paſsibilis à memoria intellectiua realiter non differt.

De ratione enim memoriæ eſt conſeruare. Intellectus autem paſsibilis conſeruat id, quod recipit, vt dictum eſt. Vnde intellectus paſsibilis à memoria non differt, cùm reſpiciant idem obiectum, & conſeruatio non ſit contraria receptioni. Quamuis autem intellectus paſsibilis & intellectus agens reſpiciant idem obiectum formaliter: Tamen quia idem obiectum contrario modo reſpiciunt, realiter differunt.

11. Ratio ab intellectu paſsibili non alia potentia eſt.

Nam ratiocinari & intelligere verſantur circa idem obiectum, non modo contrario, imò per vnum deuenimus ad alterum. Intelligere enim eſt ſimpliciter veritatem intelligibilem apprehendere. Ratiocinari autem eſt procedere de vno intellecto ad aliud, ad veritatem intelligibilem cognoſcendam & contuendam. Vnus ergo actus, id eſt, intelligere, eſt finis & perfectio alterius, id eſt, ipſius ratiocinationis. Vnde non differunt, niſi vt motus & terminus. Clarum eſt autem, quòd motus & quies ad eandem potentiam reducuntur. Per eandem enim virtutem aliquid mouetur & quieſcit. Ratio igitur & intellectus vna potentia ſunt.

12. Ratio ſuperior & ratio inferior non diuerſæ potentiæ exiſtunt.

Ratio enim ſuperior eſt, quæ intendit æter-

nis

nis conſpiciendis, quantum ad ſpeculabilia, & conſiderandis, quantum ad agibilia: Ratio verò inferior eſt, quæ intendit temporalibus rebus. Eadem autem potentia intellectiua cognoſcit omnia iſta: Quia obiectum intellectus eſt ens, in quantum ens. Verùm temporalia ſunt medium ad cognoſcenda æterna, & hæc ad illa iudicanda. Quæ ergo ratio ſuperior & inferior dicitur, vna potentia eſt.

13. Intellectus ſpeculatiuus ab intellectu practico non diuerſa potentia eſt.

Potentiæ enim diſtinguuntur per obiecta formaliter diſtincta. Illud autem, quod accidentaliter ſe habet ad rationem obiecti, quod reſpicit aliqua potentia, non diuerſam efficit potentiam, ſicut eſſe hominem vel leonem, vel quantum illud, quod eſt coloratum, non diuerſificat potentiam viſiuam. Accidit autem, quia id, quod per intellectum apprehenditur, aut ad opus, vel non, ordinatur. Secundum igitur hoc intellectus ſpeculatiuus & practicus ſolùm differunt. Unde vterq; à fine denominatur. Sunt igitur eadem potentiâ.

14. Intellectus principiorum & ſynthereſis realiter à potentia intellectiua differunt.

Intellectus enim principiorum & ſynthereſis ſunt habitus. Nam ratiocinari cùm ſit quidam motus intellectus, procedit ab aliquibus per ſe notis, & ſine diſcurſu cognitis, quia motus ab aliquo immobili procedit. Ratio igitur ſpeculatiua procedit à principijs ſpeculabilibus per ſe notis. Ratio

verò practica à principijs operabilium ſimiliter per ſe notis. Habitus ergo primorum dicitur intellectus, ſecundorum verò dicitur ſynteresis. Conſtat ergo, non potentiam intellectiuam, ſed habitus in ea exiſtentes eſſe.

15. Intellectus humanus eſt ab organo corporali ſeparatus.

Si enim eſſet coniunctus organo, non cognoſceret omnia, velut etiã ſi pupilla rubro colore tincta foret, non omnes cognoſceret colores, ſed cuncta iudicaret, ſecundum exigentiam organi, rubra: Ita & intellectus ſolùm ea, quæ organo proportionata, intelligeret. Oportet enim potentiam, quæ quicquam debet recipere, eſſe denudatam & priuatam recipiendo. Intellectus autem omnia poteſt cognoſcere: Ergo oportet, quòd ſit denudatus ab omnibus, & ſit quaſi materia prima, quæ ſecundum ſe informis: aliter non poſſemus intelligere vniuerſalia & immaterialia, quia vnumquodque recipitur in altero per modum ſui. Si ergo intellectus indiuiduaretur per materiam corporalem, id eſt, per organum, omnia in eo particulariter reciperentur, & ſic vniuerſalia & immaterialia cognoſcere nequiret. Eſt ergo ab omni corporeo organo ſeparatus.

16. Intellectus cognoſcit corpora.

Cùm enim ſcientia ſit in intellectu, ſi intellectus non cognoſceret corpora, nulla foret de corporalibus ſcientia. Sed hoc eſt falſum, quia experimur, nos ſcire corporalia, & de corporalibus inuenta ſunt

ſunt ſcientiæ. Igitur intellectus ſine anima per intellectum cognoſcit corpora.

17. Intellectus non per ſpecies naturaliter inditas intelligit.

Nam ſequeretur, quòd à principio ſuæ generationis homo cognoſceret, & haberet ſcientiam rerum, nec poteſt dici, quod cùm ingreditur corpus, omnium obliuionem capiat, quia nullus homo obliuiſcitur eorum, quæ naturaliter cognoſcit, maximè tanta obliuione, vt neſciat non ſe talium fuiſſe oblitum. Præterea nulla ratio poſſet aſſignari, quare anima corpus ingrediatur, cùm ei melius eſſet extra corpus eſſe, ſi per corpus perfectionem ſcientiæ non acquireret. Item ſequeretur, quòd aliquis poſſet habere ſcientiam eorum, quæ pertinent ad vnum ſenſum, etiam deficiente ſibi ſenſu, quod eſt falſum. Intelligit ergo anima corpora per ſpecies à phantaſmatibus, vt dicetur, abſtractas.

18. Species intelligibiles non effluunt in anima ab aliquibus formis ſeparatis.

Sic enim non poſſet reddi ratio, quia vnitur corpori, cùm ſit ei meliùs, nudatam eſſe corpore, quia ſeparata à corpore eſt magis habilis ad ſuſcipiendas illas ſpecies. Si autem dicatur, quòd indiget corpore, quia indiget cognitione ſenſibilium, vt per ea excitetur ad intelligibilia, certè non indiget anima tali excitatione, niſi quia eſt aliquo modo in corpore conſopita, & ideo meliùs ei foret extra corpus degere;

re. Præterea nihil obſtaret, quin eorum, quæ ad vnum ſenſum pertinent, poſſet habere ſcientiam, quo omnino eſſet priuata, quod experimur falſum. Non ergo ſpecies intelligibiles animæ à formis ſeparatis effluunt.

29. Cognitio intellectiua ortum à ſenſu habet.

Nam cùm ſpecies intelligibiles, per quas intelligit intellectus, non ſint inditæ, nec ab aliqua forma materiali procedant, & anima ſit in corpore, vt acquirat in illo perfectionem ſcientiæ, auxilio rerum ſenſibilium, quæ à ſenſu cognoſcuntur: Sequitur, quòd intellectiua cognitio ortum habeat à ſenſu. Impreßio enim corporum ſenſibilium in phantaſia deducit intellectum in actum intelligendi, non quidem propter propriam virtutem, ſed per virtutem intellectus agentis, qui phantaſmata, à ſenſibus accepta, intelligibilia actu per modum cuiuſdam abſtractionis efficit. Sicut enim lumen in medio cauſſa, vt ſimilitudo coloris actu in pupilla ſit: ita intellectus agens virtute ſua, cùm ſit quoddam lumen, vt ſimilitudo rei ſenſibilis, quæ eſt in phantaſia, reſultet in intellectu paßibili, efficit. Et quia intellectus paßibilis eſt immaterialis, & ſimiliter intellectus agens eſt virtus excedens materiam, quamuis in phantaſia ſit ſimilitudo ſenſibilis rei particularis: Tamen in intellectu reſultat immaterialiter ſimilitudo vniuerſalis. Iccirco intellectus agens dicitur abſtrahere: Quia rem ſenſibilem in phantaſmate

taſmate repræſentatam indiuidualiter, ſine conditionibus indiuiduantibus & vniuerſaliter facit intelligere. Vnde per ſpecies à phantaſmatibus abſtractas intelligimus.

20. Neceſſe eſt, intelligentem phantaſmata ſpeculari.

Si enim per ſpecies, quas penes ſe habet, intelligens poſſet ſpeculari ſine phantaſmatibus: Certè per læſionem alicuius organi non impediretur ſpeculatio, ſed impeditur, vt experientia docet: Ergo indiget phantaſmate. Præterea vnuſquiſq; in ſeipſo hoc experitur: Quia cùm quis vult aliquid intelligere, ſtatim format phantaſmata, ſibi quaſi, in quibus ſpeculetur, exemplaria. Ratio etiam hæc eſſe poteſt: Quia cùm de ratione naturæ rerum naturalium ſit, vt in aliquo indiuiduo materiali, ſi debeat perfectionem eſſendi habere, neceſſe eſt, vt cognitione perfecta naturæ vel quidditatis rei materialis intellectus eam in aliquo particulari ſpeculetur, quod per phantaſma repræſentatur. Nihil ergò ſine phantaſmate intelligit.

21. Species intelligibilis eſt id, quo intellectus intelligit.

Nil enim operatur, ſecundum quod eſt potentia. Igitur intellectus fiat actu, ſi intelligere debeat, oportet. Fit autem actu per ſpeciem intelligibilem. Ipſa ergo eſt forma intellectus, qua intelligit. Verùm quia intellectus ſupra ſeipſũ reflecti per quandam reflexionem poteſt, etiam ſpecies eſt id, quod intelligitur; Id tamen, quod primò & directè ab in-

*telle*ctu *intelligitur, eſt res, cuius ſpecies eſt ſimilitudo intelligibilis.*

22. Intellectus noſter priùs magis vniuerſalia, quàm minùs vniuerſalia, cognoſcit. *Intellectus enim, cùm de potentia ad actum procedat, priùs res cognoſcat indiſtinctè, quàm diſtinctè oportet. Cognoſcere enim indiſtinctè eſt potentia quædam ad cognoſcendum diſtinctè. Minùs enim vniuerſalia in magis vniuerſalibus indiſtinctè continentur: Iccirco intellectus noſter priùs magis vniuerſalia cognoſcit. Huius ſignum, quia cùm videmus aliquem nobis à longè obuium, primò cognoſcimus, quòd ſit ſubſtantia, deinde quòd animal, poſtea quod homo, & tandem determinatè quòd amicus noſter. Et hinc pueri primùm appellant omnes viros patres, et omnes mulieres matres. Vltimò determinatè unumquenq; cognoſcunt.*

23. Licet intellectus poſsit multa ſcire: non tamen multa ſimul intelligere valet.

Actus enim intelligendi à ſpecie intelligibili, tanquam à forma, procedit. Impoßibile autem eſt, vnum & idem ſimul diuerſis formis actu informari: Sicut impoßibile eſt, idem corpus diuerſis formis ſimul vel figuris, figurari. Verum tamen eſt, quòd cùm modus cuiuſcunq; actionis ſequatur formam, ſi ſub vna ſpecie plura poßunt comprehendi, tunc intellectus ſimul plura intelligere poterit, Sed non vt plura ſunt, ſed vt vnum, quia in vna ſpecie conueniunt. Poteſt autem multa ſcire, quia ſcientia eſt habitus, & non eſt actus intellectus.

Habere

Habere autem ſimul multas formas in habitu non repugnat. Intelligere ergo vnum ſolum eſt, ſcire verò multa.

24. Intellectus noſter componendo & diuidendo intelligit.

Cùm enim intellectus noſter de potentia ad actum exeat: non ſtatim in principio perfectam rei cognitionem capit, ſed primò apprehendit aliquid de ipſa, vtputa quidditatem, deinde proprietates, vel habitudines circumſtantes eſſentiam. Et ſecundum hoc intellectus vnum alteri componat, vel ab altero diuidat, oportet: Id quod manifeſtè vnuſquiſq; hominum experitur. Itaq; experientia docet tres eſſe actus intellectus, ſc. ſimplicium apprehenſionem & compoſitionem, diuiſionem, & de vno in alterum diſcurſum.

25. Intellectus circa proprium obiectum non fallitur.

Sicut enim ſe habet ſenſus circa proprium obiectum: ita & intellectus. Sed ſenſus circa proprium obiectum nunquam decipitur, niſi fortè per accidens ex impedimento circa organum contingente: Ergo nec intellectus in ſimplici apprehenſione fallitur: Sed omnis falſitas eius eſt in compoſitione & diuiſione, & in diſcurſu. Vnde circa definitionem intellectus nunquam fallitur, niſi per accidens, id eſt, quando aliquam compoſitionem facit, vt puta, cùm implicat definitioni compoſitionem incompoſibilem, vel cùm definitionem aliquã rei, cui non competebat, attribuit.

26. Intellectus priùs diuiſibile, quàm indiuiſibile cognoſcit. *In-*

Indiuiſibile, quale eſt punctum & vnitas, dico. Habet igitur hoc quandam ad rem corporalem oppoſitionem, cuius quidditatem primò & per ſe intellectus accipit, vt infrà declarabitur. Priùs igitur diuiſibile cognoſcat oportet.

27. Intellectus noſter non intelligit directè ſingularia, ſed reflexè.

Quòd enim intelligat ſingularia, inde patet, quia aliter formare iſtam propoſitionem non poſſet: Socrates eſt homo: Nec differentiam inter ſingulare & vniuerſale valeret cognoſcere. Oportet enim eum, qui differentiam vel comparationem inter aliqua facit, vtrunq; cognoſcere. Quia autem abſtrahendo à phantaſmatibus & à conditionibus indiuiduantibus, vt dictum eſt, abſtrahit, & id, quod hoc modo abſtrahitur, vniuerſale eſt: primò, et directè cognoſcat vniuerſale, neceſſe eſt. At verò quia non cognoſcit niſi phantaſmata ſpeculando, in quibus videlicet vniuerſale ſpeculatur: propter ſimilitudinem vniuerſalis & particularis, à quo vniuerſale petitur, non difficile ipſi, ſe ad particulare, poſtquam vniuerſale intellexit, reflectere. Quod quidem reflectere nihil aliud eſt, quàm ab intellectu vniuerſalis ad intellectum particularis procedere, quemadmodũ à phantaſmate, quod particulare repræſentat, ad intellectum vniuerſalis proceſſerat. Per virtutem enim intellectus agentis, & ordinationem phantaſmatis ad ſpeciem intelligibilem, fit, vt intellectus, poſtquam naturam rei vniuerſaliter cognouit, & quaſi per abſtractio-

actionem confuſè, poſtea magis diſtinctè & particulariùs per quandam reflexionem ad phantaſmata intelligit.

28. Intellectus noſter habere diſtinctam cognitionem infinitorum actu nequit, ſed confuſam tantùm & potentia.

Intellectus enim noſter non poteſt ſimul actu cognoſcere, niſi quod per vnam ſpeciem cognoſcit. Infinitum autem non habet vnam ſpeciem, alioquin haberet rationem totius & perfecti. Non poteſt ergo intellectus infinitum per vnam ſpeciem & ſimul cognoſcere. Ipſum ergo de parte in partem cognoſcere oportet, ſi notitiam eius habere velit. Sed hoc impoßibile: Quia infinitum pertranſiri non poteſt. Ergo, intellectum actu infinita directè cognoſcere, impoßibile. Sed nec poteſt intelligere vel cognoſcere habitu infinita: Quia cognitio actualis habitualem cauſſat. Verùm in intellectu noſtro eſt infinitum potentia & confuſè, quia ſub vna ſpecie potentia ſunt infinita indiuidua, & non tot intelligit intellectus, quin poſſit plura intelligere. Et hoc eſt potentia infinita cognoſcere.

29. Intellectus noſter contingentia futura non cognoſcit.

Contingentia namq; ſecundum quod aliquid neceßitatis habent, vt cùm dico: Neceſſe eſt, Socratem currere: dum currit, cognoſcuntur per intellectum. Et ſi ad cauſſas vniuerſales reducuntur, directè cognoſcuntur: Et hoc modo ſcientia

de rebus contingentibus ſunt ſcientiæ neceſſariorum. Si igitur futura reſoluuntur in cauſſas neceſſarias, vel quæ producunt effectum, vt in pluribus, poterunt ſciri certè vel probabiliter. Si autem ſint contingentia, cauſſas, ſcil. contingentes habentia, non poteſt de eis habere è ſe ſcientiam, quia hoc ſoli Deo conuenit, cui omnia ſunt præſentia. Nec è ſuis cauſſis, quæ ad producendum & non producendum indifferentes exiſtunt. Ergo nullo modo de eis ſcientia vel ars habetur. De futuris namque contingentibus non eſt determinata veritas.

30. Anima intellectiua ſeipſam per actus proprios & proprios habitus, non tamen per propriam eſſentiam, cognoſcit.

Cùm enim non intelligat, niſi abſtrahat à phantaſmatibus, & eſſentia animæ, actus quoque & habitus eius non cadant ſub phantaſmate: clarũ eſt, quòd non cognoſcat ſeipſam, nec actus ſiue habitus ſuos per eſſentiam propriam, nec per eſſentiam ipſorum actuum vel habituum. Sed primò neceſſe eſt cognoſcat illud, quod primò à phantaſmatibus abſtrahitur. Hoc autem eſt quidditas rei materialis. Hinc proprios actus habituum, & & ſic tandem cognoſcit homo, quòd habet animam: Aut habitus cognoſcit, & demum ad inueſtigandum ſubtiliter, quid ipſa ſit, & quid etiam tales habitus & actus, deducitur.

31. Intellectus noſter in ſtatu huius vitæ cognoſcere ſubſtantias ſeparatas nequit.

Cùm enim non intelligat, niſi phantaſmata

ſpeculando, & ſubſtantiæ immateriales non cadant ſub phantaſmata, nec ſub ſenſum: patet, quod non poſsit has ſubſtantias per ſeipſas cognoſcere. Nequit etiam per iſta ſenſibilia, vt cognoſcat eorum quidditatem, manu duci: Quia cùm ſint formæ immateriales, multùm hæc materialia excedunt, & ſunt omnia alterius rationis. Et ideo intellectus per hæc humilia ad tantam altitudinem eleuari nequit.

32. Obiectum primum & per ſe intellectus noſtri eſt ens, in quantum ens.

Nam, intellectum noſtrum, cùm abſtrahendo intelligat vniuerſaliter & immaterialiter, patet, poſſe quodammodo omnia intelligere, & obiectum eius idcirco intelligibile, quod omnes ſpecies entis complectatur, eſſe oportet. Hoc autem eſt ens. Præterea vnumquodque in tantum dicitur intelligibile, in quantum habet rationem entis, id eſt, in quantum habet eſſe, cùm vnumquodque ſit intelligibile, in quantum eſt actu. Vnde videmus etiam, quòd primum, quod ab intellectu concipitur, eſt ens. Igitur ens eſt primum & adæquatum obiectum intellectus noſtri, in quantum ens, quod per ſe ei offertur & primò. Sed verum eſt obiectum intellectus noſtri adæquatum, ſed non formale: Quia non omnia cognoſcimus ſub ratione veri, ſed in quantum ad cognitionem cuiuſlibet rei aſſequitur verum, ſiue rationem veri. Nihil enim poteſt intelligi, niſi ſit conforme intellectui, in quo conſiſtit ratio veri: Sicut nihil poteſt intelligi, niſi ſit intelligibile. Unde ve-

verum eſt conditio generalis obiecti, quia ſemper ens intellectum eſt verum, licet non ſemper intelligendo ens intelligatur verum.

33. Obiectum proportionatum nobis ad intelligendum, pro ſtatu præſentis vitæ, eſt rei materialis quidditas.

Cognitio enim eſt, ſecundum quod cognitum eſt in cognoſcente: Cognitum autem eſt in cognoſcente ſecundum modum cognoſcentis. Ideo cuiuſlibet rei cognitio eſt ſecundum modum ſuæ naturæ. Cùm igitur intellectus ſit in corpore hoc modo, quia anima intellectiua eſt forma corporis, vt infrà probabitur, & tamen non ſit virtus in organo corporali, habet homo modum eſſendi, materialem quodammodo & immaterialem. Et ideo quodammodo materialiter & immaterialiter intelligit. Hoc autem non alia de cauſſa euenit, niſi quia intelligit materialia ſine conditionibus indiuidualibus. Nam dictum eſt, quòd indiuidualia quidditatiuè non cognoſcit. Hoc autem eſt propter abſtractionem ſpecierum intelligibilium à phantaſmatibus. Ergo primum & proportionatum ens, quod intellectui offertur, eſt illud, quod repræſentatur per ſpecies intelligibiles, abſtractas à phantaſmatibus rerum ſenſibilium & materialium. Ergo in ſtatu iſto hoc eſt obiectum eius materiale. Dico autem Materiale, quia non repræſentatur illi ſub ratione formali materialis quidditatis, ſed magis, vt diximus, ſub ratione entis: Quia ens eſt obiectum formale. Sed iſta ratio entis

non

non mouet intellectum in ſtatu huius vitæ,niſi materiali quidditati coniungatur. Inde non ſequitur, quòd homo poſſit omnia cognoſcere quocunque modo,dum ens eius obiectum formale eſt: Sed quòd poſſit aliquo modo omnia cognoſcere, id eſt, ſecundum quod patitur ſtatus præſentis vitæ. Obiectum enim cuiuſlibet intellectus formale eſt ens,& omnis intellectus omnia entia eſt aptus natus cognoſcere vel intelligere: Non tamen omnia omnibus modis, ſed omnia ſecundum ſtatum & conditionem ſuæ naturæ.

34 Anima intellectiua eſt ſubſiſtens.

Omne enim agens agit ſecundum quod eſt actu, & eo modo, quo eſt actu, eo modo etiam agit. Si ergo per ſe aliquid operatur, neceſſe eſt, ipſum per ſe ſubſiſtere. Cùm igitur iam dictum ſit, quòd intellectus non ſit alligatus organo corporali: patet,animam intellectiuam per ſe operari abſque corporali organo: Ergo per ſe eſt ſubſiſtens. Animæ autem brutorum animalium non ſubſiſtunt, quia nulla per aliquam potentiam operantur per ſe, eò quòd omnis potentia ſenſitiua eſt conſtricta organo corporali. Non tamen ob id aſſeri poteſt, animam intellectiuam ſubſtantiam primã vel perſonam eſſe, quia non eſt ita per ſe ſubſiſtens, quaſi ſit aliquid in natura ſpeciei completum. Eſt enim pars humanæ ſpeciei ſolùm.

35. Anima non eſt homo.

Animam enim eſſe hominem, poteſt dupliciter intelligi. Vno modo, quòd homo ſit anima.

Sed hic homo non ſit hæc anima, ſed compoſitū ex anima & corpore, puta Socrates. Quod ideo dico, quoniam nonnulli, vt Platonici, ſolam formam eſſe de ratione ſpeciei, aſſeuerärunt: Quod quidem eſſe verum nequit. Quia ad naturam ſpeciei pertinet id, quod ſignificat definitio. Definitio autem in rebus naturalibus non ſignificat formam tantùm, ſed formam & materiam. Vnde materia eſt pars ſpeciei in rebus naturalibus, non quidem materia ſignata, quæ eſt principium indiuiduationis, ſed materia communis. Sicut enim de ratione huius hominis eſt, vt ſit ex hac anima, & his carnibus, & his oſſibus: ita de ratione hominis eſt, vt ſit ex anima & carnibus & oſſibus. Oportet enim de ſubſtantia ſpeciei eſſe, quicquid eſt communiter de ſubſtantia omnium indiuiduorum eius. Alio verò modo ſic poteſt intelligi, quòd etiam hæc anima ſit hic homo: id quod ſuſtineretur, ſi animæ ſenſitiuæ operatio eius propria ſine corpore eſſe aſtrueretur. Quia omnes operationes, quæ attribuuntur homini, conuenirent ſoli animæ. Oſtenſum autem eſt, quòd ſentire non ſit operatio animæ tantùm. Cùm igitur ſentire ſit quædam operatio hominis, licet non propria: patet, quòd homo non ſit anima tantùm, ſed eſt aliquid ex anima & corpore compoſitum. Plato verò, dum, ſentire eſſe proprium animæ, poſuit: fortè, hominem eſſe animam corpore vtentem, dicere voluit.

Ani-

36. Anima non eſt ex materia & forma compoſita.

Patet hoc primò ex ratione animæ in genere: Eſt enim de ratione animæ, quòd ſit forma corporis. Aut igitur eſt forma ſecundum ſe totam, aut ſecundum aliquam partem ſui. Si ſecundum ſe totam: impoßibile eſt, vt pars eius ſit materia. Quia forma, in quantum forma, eſt actus: Materia autem eſt ens in potentia tantùm. Potentia autem repugnat actui, vtpote contra actum diuiſa. Si autem ſit forma ſecundum aliquam partem ſui, illam partem dicimus animam: Et illam materiam, cuius primò eſt actus, dicemus primum animatum. Patet idem ſecundò ex ratione animæ intellectiuæ. Nam quod recipitur in aliquo, recipitur in eo per modum recipientis, & ſic cognoſcitur vnumquodque, ſicut forma eius eſt in cognoſcente. Anima intellectiua cognoſcit rem aliquam in ſua natura abſoluta, puta lapidem, in quantum lapis eſt. Eſt igitur forma lapidis abſolutè ſecundum propriam rationem formalem in anima intellectiua. Anima igitur intellectiua eſt forma abſoluta, & non ex materia & forma compoſitum. Si enim eſſet ſic compoſita, formæ rerum reciperentur in ea, vt indiuiduales, & ita non cognoſceret, niſi ſingulare, ſicut accidit in potentijs ſenſitiuis, quæ recipiunt formas rerum in organo corporali. Materia enim eſt principium indiuiduationis formarum.

Anima igitur intellectiua & omnis ſubſtantia intellectualis compoſitione materiæ & formæ caret.

37. Anima intellectiua eſt incorruptibilis.

Illud enim, quod ſecundum ſe alicui conuenit, eſt ab eo inſeparabile: Sed eſſe per ſe conuenit formæ, cùm forma ſit actus. Vnde ſecundum hoc materia acquirit eſſe actu, quia acquirit formam, & ſecundum hoc accidit in ea corruptio, quia ab ea forma ſeparatur. Impoſſibile eſt autem, quòd forma à ſeipſa ſeparetur. Cùm igitur anima intellectiua ſit per ſe ſubſiſtens, oportet, vt eſſe per ſe ipſi conueniat. Non poteſt ergo corrumpi, quia nec ipſa à ſeipſa, nec eſſe ab ipſa poteſt ſeparari. Hoc etiam inde patet, quòd non habeat contrarium. Generatio enim & corruptio ex contrarijs ſunt, & in contraria: Eſt igitur incorruptibilis. Signum autem huius eſt, quòd omnis ſubſtantia intellectualis appetit eſſe ſemper, ſicut intellectus apprehendit eſſe abſolutè, & ſecundum omne tempus. Omnis igitur ſubſtantia intellectualis eſt incorruptibilis.

38. Anima intellectiua corpori, vt forma, vnitur.

Illud enim, quo primò aliquid operatur, eſt forma eius, cui attribuitur operatio: Quia nihil agit, niſi ſecundum quod eſt actu. Non autem eſt actu, niſi per formam: Sed homini, in

in quantum homo, attribuitur intelligere. Anima autem eſt principium, quo viuimus, mouemur, ſentimus, & intelligimus, & operamur: Ergo forma corporis dicenda. Aliter actio, quæ eſt intelligere, non eſſet hominis, in quantum homo, & iſte homo non intelligeret, ſed aliquid aliud. At vnuſquiſq; homo in ſeipſo experitur, quòd intelligat. Si autem dicatur, intellectum paßibilem ſeparatum, homini per ſpeciem intelligibilem, quæ eſt in intellectu paßibili & phantaſmatibus, vniri: id conſiſtere non poſſet, quia in intellectu actu ſunt; In phantaſmatibus verò potentia exiſtunt: Præterea cùm ſecundum Ariſtotelem phantaſmata ſe habeant ad intellectum, velut colores ad viſum: Sequitur, quòd ſicut colores non vident, nec ſubiectum coloris, ita nec phantaſmata, nec ſubiectum phantaſmatum intelligunt, ſed magis intelliguntur. Dicendum eſt ergo, quòd cùm hic homo ſit eſſentialiter homo, & non ſit homo, niſi per animam intellectiuam, quòd anima intellectiua forma ſit. Hæc quia omnium formarum nobilißima, aliquam etiam habet ſine materia operationem. Quantò enim forma nobilior, tantò magis dominatur materiæ.

59. Intellectiuum principium multiplicatur ſecundum corporum multiplicationem.

Si enim non multiplicaretur, vnum eſſet in omnibus hominibus. Cùm ergo ſit forma hominis, ſequeretur, omnes homines vnum hominem eſſe, quoni-

am vnam haberent formam, & inuicem, niſi ſicut Socrates tunicatus, & Socrates cappatus, differrent: Aut differentia indiuiduorum hominis per animam ſenſitiuam foret, omniumq́; hominum intelligere vnum exiſteret. Ab eodem enim principio eadem actio. Multa item alia inconuenientia, vt non dicam impoßibilia, ſequerentur, quæ breuitati ſtudens omitto. Multiplicatur igitur &c.

40. In homine non ſunt aliæ formæ, præter animam intellectiuam, eſſentia differentes.

Quia aliter ſequeretur, hominem non eſſe vnũ ſimpliciter. Vnumquodq; enim eſt vnum ſimpliciter per ſuam formam. Vbi ergo ſunt plures formæ ſubſtantiales, ibi ſunt plura ſimpliciter. Præterea forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter. Aliæ autem formæ ſuperuenientes dant eſſe ſecundum quid, quod eſt proprium formæ accidentalis. Si ergo eſſet plures formæ in vno homine, vna tantùm daret eſſe ſimpliciter, aliæ verò ſecundum quid: Non ergo eſſent ſubſtantiales, ſed accidentales. Signum autem huius eſt, quia vna operatio animæ, cùm fuerit intenſa, impedit aliam, quod non eueniret, ſi in homine plures eſſent formæ. Præterea cùm per animam intellectiuam omnes perfectiones aliarum formarum introducantur: (Habent enim quicquid aliæ, imò aliquid plus eo, quod perfectius ſemper minus perfectum continet, cùm velut numeri formæ ſint) fruſtra plures in homine ponerentur formæ.

Anima

41. Anima intellectiua corpori corruptibili conuenienter vnitur.

Anima enim vnitur corpori, quia indiget perfectæ ſcientiæ in corpore mediantibus ſenſibilibꝰ acquiſitione. Cùm verò illa ſenſu cognoſcantur, eam tali corpori, quod organũ ſenſus conueniens eſſe poſſet, vniri oportuit. Cùm igitur omnes alij ſenſus fundentur in tactu, cuius organum mediocritatem in qualitatibus ſenſibilibus contrarijs requirit: animam intellectiuam vniri corpori compoſito ex contrarijs, neceſſe eſt. Hoc autem corruptibile: Conuenienter ergo corpori corruptibili iungitur.

42. Anima intellectiua, nullo mediante, corpori vnitur.

Forma enim immediatè ſuæ vnitur materiæ per ſe, & non per accidens. Præterea primum inter omnes actus eſt eſſe ſubſtantiale, quod eſt forma. Ergo neceſſe eſt ante omnem alium actum formam ſubſtantialem aduenire materiæ. Iccirco in illo inſtanti, in quo anima introducitur, omnes diſpoſitiones præcedentes à materia recedunt, & aliæ ſequentes ei adueniunt. Verùm anima vt forma priùs ſecundum naturam dicitur introduci, ad quam diſpoſitiones perfectionis formæ corporeæ ſequuntur: Qua introducta diſpoſitiones ad perfectionem animæ vegetatiuæ, poſt hanc diſpoſitiones ad ſenſitiuam: inde diſpoſitiones ad intellectiuam ſequuntur: Et ſic fit tota

intro-

introductio. Hoc autem intelligendum eſt ſecundum prioritatem naturæ, non autem temporis: Quia in eodem inſtanti omnes iſtæ perfectiones cum ſuis diſpoſitionibus introducuntur. Præintelligitur tamen, quòd materia primò perficiatur ſecundum eſſe ſubſtantiale per animam, in quantum eſt forma: Quia forma, in quantum forma, non requirit diſpoſitiones, ſed in quantum hæc forma. Deinde ſecundum eſſe corporeum, eſſe animatum, eſſe ſenſitiuum, & eſſe intellectiuum.

43. Anima eſt tota in toto, & in qualibet parte tota.

Totum enim ex partibus conſtat. Igitur forma, quæ non dat eſſe toti & cuilibet parti, eſt compoſitio & ordo, vt forma domus, quæ quidem eſt forma accidentalis: Sed anima eſt forma ſubſtantialis totius & partis. Cuius ſignum eſt, quia ſicut recedente anima, totum corpus non dicitur ampliùs homo, niſi æquiuocè: ita nec oculus, nec manus, nec aliæ partes dicuntur tales, niſi æquiuocè. Vnde nulla pars corporis habet proprium opus, anima recedente. Et hoc maximè patet in anima intellectiua, quæ cùm ſit forma ſubſiſtens, oportet quòd ſit indiuiſibilis. Et ideo cùm nulla alia anima ſit in homine præter ipſam, & qualibet pars hominis ſit animata: patet, quòd ſit actus cuiuſlibet partis. Hoc autem eſt intelligendum, quantum ad eſſentiam. Nam quantum ad virtutes, non eſt tota in qualibet parte, ſed in oculis per virtutem viſiuam, & per auditiuam in auribus. Et ſic de cæteris.

44. Anima intellectiua non traducitur ex ſemine, ſed creatur.

Impoßibile eſt enim, virtutem actiuam, quæ eſt in ſemine, excedere ſuam actionem: Hoc autem faceret, ſi produceret effectum immaterialem, qualis eſt intellectus, qui eſt ab organo ſeparatus. Et ſi dicatur, quòd agat virtute animæ generantis, hoc non ſufficit, quia nõ agit virtute eius, niſi ſecundum quod eſt actus corporis vtens ipſo corpore in ſua operatione. In operatione autem intellectus non communicat corpus, & ideo virtus intellectiui principij, vt ſic non poſſit ad ſemen pertinere. Præterea cùm anima intellectiua ſit forma immaterialis, per ſe ſubſiſtens: ei competit etiam per ſe operari, & per ſe fieri. Sed ſubſtantia immaterialis non poteſt fieri per generationem, quia non poteſt fieri ex materia præiacenti, neq; corporali, quia ſic eſſet natura corporeæ: Neq; ſpirituali, quia ſic ſubſtantiæ ſpirituales inuicem tranſmutarentur. Neceſſe eſt igitur, quòd non fiat, niſi per creationem, qua & aliæ ſubſtantiæ immateriales fiunt.

45. Anima intellectiua à ſolo Deo immediatè fit.

Fit enim, vt dictum eſt, per ſolam creationem. Solus autem DEVS poteſt creare, quia ſolius primi agentis eſt agere, nullo præſuppoſito, cùm ſemper agens præſupponat aliquid à prima. Quod autem agit ex aliquo præſuppoſito, agit tranſmutando. Solus autem DEVS agit creando, id eſt, nullo præſuppoſito. Fit igitur anima à ſo-

lo

lo immediatè, licet generans, in qua ſit, diſponat materiam.

46. Anima intellectiua non eſt de ſubſtantia Dei facta.

Si enim eſſet de ſubſtantia Dei, eſſet ſemper actu intelligens, quod eſt falſum, & ſubſtantia Dei eſſet diuiſibilis, quod etiam eſt falſum: Nec haberet anima diuerſas potentias, cùm ſit DEVS omnino ſimplex. Et hæc concluſio eſt adeò manifeſta, vt probatione non egeat. Fit igitur ex nihilo.

47. Anima non eſt ante corpus producta.

Si enim animæ naturale eſt corpori vniri: Contra naturam eius eſt non vniri. Ergo eſſe imperfectum extra corpus habet. Nec poteſt dici, quòd vniri corpori ſit ei innaturale, cùm ſit forma corporis: alioquin vniretur corpori violenter. Poſtea non poſſet aſſignari inter animas, cùm ſint eiuſdem ſpeciei, & indiuidua differant per materiam differentia. Creãtur ergo omnes in corporibus, cùm illis infundantur, et ſic per illa induiduantur. Vnde falſa eorum ſententia, qui omnes animas à mundi principio conditas aſtruunt. Et hæc de intellectu & intelligente anima dicta ſint.

DE VOLVNTATE ANIMÆ INTELLECTIVÆ.

LIBER DECIMVSQVINTVS.

Summa & diſpoſitio libri XV.

Quoniam

QVoniam voluntas ſequitur intellectum: Conuenienter poſt tractatum de intellectu & anima intellectiua, ſequitur de voluntate tractatus. In quo duo principaliter facit autor. Primò enim agit de ipſa voluntatis potentia. Secundo de actibus eius. Quoad primũ, primò determinat quæſtionẽ An ſit, in 1. concluſione. Secundò quæſtionẽ Quid: Comparando illam ad intellectum, quoad diſtinctionem in 2. quoad nobilitatem in 3. & quoad motionem in 4. Tertiò manifeſtat modum, quo aliquid vult, in 5: Ex quo ipſam ab organo, ſicut & intellectum, ſeparatam eſſe ſequitur, quod declarat in 6. Demum oſtendit eius vnitatem, quia ſcilicet non diſtinguitur in duos appetitus, quemadmodum appetitus ſenſitiuus in 7. Quoad ſecundum, præmiſſo, quales ſint actus voluntatis in 8. primò agit de amore oſtendens quid ſit, per comparationem ad dilectionem, amicitiam & charitatem in 9 & quomodo diuidatur, in 10 Secundò de odio, quod amori opponitur, & ſpecialiter de odio ſui in 11. & odio veritatis in 12: de his enim eſt dubium, an poſsint odio haberi. Tertiò de cõcupiſcentia, quæ amorem ſequitur, quomodo propria ſit homini oſtendens, & quomodo non in 13. et quanta ſit in 14. Præ alijs enim habere

quendam

dam exceſſum videtur. Quartò de delectatione, declarans naturam eius per comparationem ad gaudium, in 15. diuerſitatem ſcilicet ſpiritualium & corporaliū comparando illas inuicē, in 16: Et naturalium et innaturalium in 17. cauſſas in 18 vſque ad 26. in quibus 9 cauſſas eius manifeſtat. Et effectus eius, qui ſunt quatuor, à 27 vſque ad 30. Quintò agit de triſtitia, quæ delectationi opponitur, & oſtenſo, quomodo illi aduerſetur, in 31. ipſam per interiorem & exteriorem diſtinguit, comparando illas inuicem in 32. Deinde de cauſſa eius in 33. de effectibus eius in 34 & 35. & de remedijs in 36. 37 tractat. Sextò agit de ſpe, eius manifeſtans naturam in 38. cauſſam in 39. & effectus in 40 & 41. Septimò de timore, qui ſpei opponitur, declarando eius obiectum in 42 & 43. à quibus cauſſetur, in 44 & 45. quot ſpecies habeat in 46. & quos effectus producat, in 47 docet. Octauò de audacia, quæ timori opponitur, agit: oſtendens cauſſas eius in 48. & effectum in 49. Demum de ira, prout eſt actus voluntatis, pertractat, declarans obiectum eius in 50. motiuum ſiue cauſſam in 51. aduerſum quos dirigatur in 52. & eius effectus in 53. Atque ſic ſcientia naturalis in notitia animæ rationalis finitur, nec immeritò: Nam finis eſt omnium naturalium, & terminus etiam ipſius philoſophiæ naturalis, quemadmodum phi-

Philoſophus 2. Phyſic: docet. De libero autem arbitrio, quamuis ſit eius facultas, hîc non agitur: tùm quia eiuſdem eſſentiæ cum voluntate eſt, tùm quia de ipſo in principio philoſophiæ moralis accommodatiùs tractabitur. Hic ergo naturalis ſcientiæ compendio tractatæ finis eſto.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Appetitus, qui dicitur voluntas, ineſt animæ intellectiuæ.

Neceſſe eſt enim, aliquem appetitum in homine, cùm videamus omnes homines, quemadmodum & cæteras res, inclinari ad bonum, ponere. Sicut autem homo ad tale bonum, ad quale nulla alia res naturalis inclinatur, id eſt, ad bonum vniuerſale: ita neceſſe eſt in homine ſpecialiter appetitum, qui dicitur voluntas, conſtituere. Qualibet enim res ad ſuam formam, vel ad ſuam perfectionem hanc habet habitudinem, vt quando ipſam habeat, in ea quieſcat, & cùm non habeat, ad eam tendat. Et hæc inclinatio ſin rebus cognitione carentibus, appetitus naturalis dicitur. In rebus autem per ſenſum cognoſcentibus, appetitus ſenſitiuus; In homine autem & alijs rebus, cognoſcentibus per intellectum, voluntas vocatur. Vtrumq; enim ad voluntatem, ſc. tendere in bonum, apprehenſum per formam intelligibilem, cùm non habeatur, & in illo, vbi habetur, quieſcere, pertinet. Eſt igitur huiuſmodi appetitus in anima intellectiua.

2. Voluntas & intellectus ſunt potentiæ, in anima realiter diſtinctæ.

Diuerſitas enim formalis obiectorum oſtendit diuerſitatem potentiarum. Certum autem eſt, formaliter ens, quod eſt obiectum intellectus, & bonum, quod eſt obiectum voluntatis, differre. Patet id quoque ex modo operandi. Nam intellectus per id, quod intellectum ſuſcipit in ſeipſo, intelligit. Voluntas autem ad rem, prout in ſeipſa, tendit. Præterea voluntas in illud, quod eſt apprehenſum per intellectum, contendit. Nam actus intellectus actum voluntatis præcedit. Non ergo realiter intellectus & voluntas idem ſunt.

3. Intellectus ſimpliciter eſt nobilior, quàm voluntas, potentia.

Nobilitas enim potentiarum ſimpliciter conſideratur ex formali ratione obiectorum. Certum autem eſt, obiectum intellectus ſimplicius & magis abſolutum, quàm obiectum voluntatis eſſe, vt ex ijs, quæ lib: 1. diximus, fuſè patet. Omnia enim ſe habent per additionem ad ens. Verùm equidem, ſecundum aliquid voluntatem nobiliorem exiſtere. Ita nobilius eſt in hac vita diligere Deum, quàm cognoſcere, eò quòd voluntas per dilectionem tendit in rem, ſicut in ſeipſa ſe habet. Sed intellectus recipit ſimilitudinem rei in ſeipſo. Eſt autem nobilius tendere ad Deum, ſicut in ſeipſo ſe habet, quàm eius ſimilitudinem recipere. Sed econtrario melius eſt intelligere res materiales, quàm tendere ad ipſas per affectum. Simpliciter

citer ergo intellectus voluntatem, ſecundum quid autem hæc illum, præcellit.

4. Voluntas mouet intellectum, & ab intellectu mouetur.

Cùm enim bonum intellectum ſit obiectum voluntatis, & obiectum moueat potentiam per modum finis: patet, intellectum hoc modo mouere voluntatem, id eſt, per modum finis, vel per modum ſpecificationis actus, dum ſibi obiectum offert, quo eius ſpecificatur actus. Sed voluntas mouet intellectum, & cæteras animæ vires præter illas, quæ ad vegetatiuam pertinent, per modum agentis ſeu etiam impellentis: Quia in omnibus potentiis actiuis ſiue naturalibus ſiue politicis, ordinatis ad inuicem, illa potentia, quæ reſpicit finem vniuerſalem, mouet potentias, quæ reſpiciunt fines particulares, ſicut cœlum omnia inferiora mouet, & rex omnes præpoſitos ciuitatum. Voluntas autem reſpicit bonum vniuerſale, tanquam proprium obiectum. Aliæ autem potentiæ reſpiciunt bonum ſibi conueniens: Ideo voluntas hoc modo omnes mouet, quia dicitur quoad exercitium actus impellere.

5. Etſi voluntas aliquid ex neceſsitate velit; non tamen cogi poteſt.

Sicut enim intellectus ſe habet ad verum: ita & voluntas ad bonum. Sicut ergo intellectus ex neceſſitate naturali adhæret principiis primis: ita ex neceſſitate naturali voluntas tendit ad finem vltimum, quod in rebus agibilibus eſt princi-

pium: Vnde etiam in voluntate ponitur neceſſitas finis. Quia neceſſè eſt, ſi vult aliquem finem, quòd velit ea, ſine quibus ille finis haberi non poteſt. Non eſt tamen neceſſarium, quòd velit ea, ſine quibus haberi poteſt, etiamſi meliùs cum illis haberetur. At verò coactio in ea nulla eſt, quia motus voluntatis eſt in aliquid inclinatio. Si igitur violenter inclinetur, ille motus eſſet voluntarius & inuoluntarius, quod contradictionem implicaret. Quòd autem alius ſit motus violentus & naturalis, id de actu interiore, non autem de actu imperato intelligendum.

6. Voluntas non eſt organo corporali alligata.

Potentiæ enim alligatæ organo corporali per ipſam materiam indiuiduantur. Vnde neceſſe eſt, quòd obiecta particularia reſpiciant. Sed obiectum voluntatis eſt obiectum vniuerſale. Præterea obiectum appetitus ſenſitiui eſt bonum cognitum per ſenſum. Quia ergo ſenſus non apprehendit, niſi particulare: etiam appetitus ſibi correſpondens non poteſt reſpicere niſi particulare. Sed obiectum voluntatis eſt bonum, apprehenſum per intellectum, qui apprehendit vniuerſaliter. Vnde quemadmodum intellectus non eſt organo corporali alligatus: ita nec voluntas.

7. Voluntas non per iraſcibilem & concupiſcibilem diſtinguitur.

Potentia enim, quæ ordinatur ad aliquod bonum, non per diuerſitatem rationum ſpecialium, ſub

ſub illo communi obiecto contentarum, diuerſa conſtituitur: ſicut nec potentia viſiua per diuerſitatem rationum albi & nigri talis efficitur. Obiectum autem voluntatis eſt bonum commune, ſub quo ratio boni ardui, & boni delectabilis continetur, quorum diuerſitas iraſcibilem & concupiſcibilem in appetitu diſtinguebat. Qui cùm ſit appetitus ſenſitiuus, bonum vniuerſale non reſpicit. Per hæc ergo voluntas non diſtinguitur.

8. Amor, deſiderium, & cæteræ appetitus paſsiones, ſimplices actus in voluntate ſunt.

Dico autem ſimplices actus, quia ſunt in voluntate abſque paſſione vel motione corporali aut animi concitatione, ſed ex iudicio rationis. Cùm enim voluntas non ſit alligata organo corporali: patet, actus eius ſine corporali motione, niſi fortè per accidens fiat in corpus redundantia. Vehemens enim deſiderium voluntatis aliquando nocet corpori, & gaudium prodeſt. Poſſunt ergo diſtingui iſti actus in voluntate ſecundum illum numerum, ordinem & modum, quo ſuperiùs paſſiones appetitus fuerunt diſtinctæ.

9. Amor, dilectio, amicitia & charitas non omnino idem ſunt,

Amor enim magis videtur eſſe in concupiſcibili, quia videtur importare quandam paſſionem & quendam impetum. Dilectio autem eſt in voluntate magis, & ſupra amorem præcedentem electionem importat, vt & ipſum nomen ſonat. Amicitia verò quendam exprimit habitum.

Charitas omnia hæc ſignificare poteſt: addit tamen quandam etiam amoris perfectionem, dum illud, quod amatur, magni pretij æſtimatur: Vnde ad amorem diuinum extenditur.

10. Amor concupiſcentiæ & amor amicitiæ differunt.

Cùm enim amare ſit velle alicui bonum erga illud bonum, quod quis vult ſibi vel alicui, amor concupiſcentiæ habetur. Erga illud verò, cui bonum volumus, amorem amicitiæ habemus. Et hæc ſimpliciter & per ſe amamus. Vnde ſi quis amat alterum cauſſa vtilitatis vel delectationis, erga ipſum amorem concupiſcentiæ habet. Si autem vult ei bonum propter ſe, ſic eum amore amicitiæ amat.

11. Nullus ſeipſum per ſe odio habere poteſt.

Naturaliter enim vnuſquiſq; appetit bonum. Et ſi appetit malum, non appetit illud ſub ratione mali, ſed ſub ratione boni. Vnde per ſe loquendo omnis creatura fugit malum: Idcirco omnis creatura naturaliter ſeipſam diligit, ſed per accidens contingit, aliquem ſeipſum odio habere, dum ſibi verè malum, quamuis ſub ſpecie boni, vult.

12. Veritas odio per ſe haberi non poteſt.

Veritas enim ſemper intellectui conſona. Conſonantia autem eſt cauſſa amoris: Igitur per ſe veritas non poteſt odio haberi, ſed per accidens, in quantum habet rationem repugnantis. Vt ſi aliquis nolit eſſe verum, quod tamen veriſſimum

mum eſt: nolitq́ vel peccatum ipſe agnoſcere, vel cognoſci ab altero: Sed potiùs malit in eo ſuauiter & ſecurè latere.

13. Concupiſcentia non naturalis ſolùm ad homines pertinet.

Concupiſcentia enim eſt appetitus boni delectabilis. Dicitur autem vno modo delectabile, quia eſt conueniens naturæ, ſicut cibus & potus: Et concupiſcentia huius dicitur naturalis. Alio modo dicitur delectabile aliquid ſecundum apprehenſionem, quia ſolum apprehenditur, vt bonum; Et concupiſcentia huius dicitur non naturalis, & ſolet magis appellari cupiditas, & hæc eſt hominis propria, cuius eſt excogitare aliquid, vt bonum & conueniens præter id, quod natura requirit, quod non ita conuenit brutis. Prima verò brutis & hominibus communis eſt.

14. Concupiſcentia eſt infinita.

Actu quidem infinita naturalis concupiſcentia eſſe non poteſt. Natura enim ſemper requirit aliquid finitum & certum, ſed per ſucceßionem eſt infinita, dum vnum poſt aliud deſiderat. Quia bona corporalia nequaquam perpetua, ſed deficiunt. Concupiſcentia verò non naturalis, ſequens rationem, in vniuerſale tendit, eſtq́ omnino infinita. Vnde qui concupiſcit diuitias, eas ſine aliquo termino concupiſcere, ſeq́ quantumcunq́ diuitem eſſe deſiderare poteſt: præſertim ſi in ipſis finem ponat, qui per ſe deſideratur. Quia tamen concupiſcentiæ finis fine omni caret.

15. Delectatio & gaudium differunt.

Delectatio enim propriè in parte ſenſitiua cum aliqua tranſmutatione corporali exiſtit: Gaudium autem ſolùm in voluntate & ratione. Vnde quiſpiam delectationem ſecundum corpus ſentit, de qua tamen ſecundum rationem non gaudet. Secundum etiam magis & minùs commune diſtinguuntur. Nam delectatio in plus ſe habet: Vnde omne gaudium eſt delectatio, ſed non econtrario.

16. Delectationes ſpirituales ſimpliciter maiores corporalibus ſunt.

Si enim comparentur, prout in actionibus, vt in cognitione ſenſus & intellectus, delectamur: ſpirituales ſunt maiores. Quia intellectualis cognitio eſt perfectior & altior, magisq́; cognita, cùm intellectus reflectatur ſupra ſuum actum, ab omnibus hominibus quoque magis diligatur. Vnuſquiſque enim mauult potiùs carere viſu, quàm intellectu. Similiter ſi ſecundum ſe comparentur, tum quia obiectum ſpirituale eſt maius bonum, quàm corporale, tum quia intellectus eſt potentia nobilior & perfectior ſenſu, tum quia etiam actus eius eſt perfectior, cùm vſque ad interiora penetret: Actus ſenſus autem circa exteriora ſolùm verſetur: tum quia obiectum intellectus ipſi magis coniungitur, quàm obiectum ſuo ſenſui propter maiorem penetrationem, vt dictum eſt: tum etiam quia perfectiùs in eo intellectus quieſcit, vtpote abſque motu, ſed ſenſus cum motu: Vnde dele-

delectatio ſenſus non eſt tota ſimul, ſed per partes: Tum etiam, quia ſpirituale bonum eſt magis permanens & fixum, corporale autem citò tranſit. Verùm ratione noſtri delectationes corporales ſunt vehementiores, tum quia ſenſibilia ſunt nobis magis nota, tum quia ſunt cum aliqua tranſmutatione corporali, tum quia contra corporales defectus vel moleſtias, ex quibus triſtitiæ quædam conſequuntur, medicinæ appetuntur. Vnde delectationes corporales triſtitijs huiuſmodi ſuperuenientes magis ſentiuntur, & per conſequens magis acceptantur, quàm ſpirituales, quæ non habent triſtitias contrarias, vti dicetur.

17. Qædam delectationes naturales, quædam innaturales ſunt.

Delectationes enim, quæ ſunt in homine ſecundum rationem, vt eſt contemplatio veritatis, & operatio ſecundum virtutem, ſunt hominibus naturales, prout intellectus & ratio hominis natura potiſſimè dicitur. Sed ſi diuidamus naturam contra rationem, ſic naturales dicuntur delectationes eorum, quæ ad conſeruationem indiuidui vel ſpeciei pertinent. Innaturales verò dicuntur illæ, quæ aliquando indiuiduo homini ex corruptione alicuius principij accidunt, ſiue ex parte corporis, vt quædam delectationes febrientium, vel eorum, qui propter malam complexionem carbones & id genus comedunt: Siue ex parte rationis, propter malam conſuetudinem, vt cùm quis humanarum carnium eſu, & inhumano concubitu delectatur.

18. Omnis delectatio aliquam operationem, quæ eſt cauſſa eius, conſequitur.

Ad delectationem enim duo requiruntur, ſc. coniunctio boni adepti, & eius cognitio. Non adipiſcimur autem bonum conueniens, niſi per aliquam operationem, & ipſa cognitio eius eſt quædam operatio, quæ etiam eſt delectabilis. Vnde omnem delectationem aliquam operationem, tanquam cauſſam propriam, ſequi, neceſſe eſt.

19. Motus in nobis cauſſa delectationis eſt.

Cùm enim noſtra natura in tranſmutatione quadam conſiſtat, accidit, vt id, quod nunc eſt nobis delectabile, poſtea non ſit ampliùs delectabile, ſicut calefieri ad ignem nõ ſemper eſt delectabile. Poteſt id quoq; ex tranſmutatione rei, in qua delectamur, vel quia nimis augeat actionem ſuam, vel minuat, accidere. Euenit & hoc ex parte cognitionis, quæ non poteſt ſimul vnum totum cognoſcere. Vnde, quòd pars ſuccedat parti, & ſic totum ſentiatur, delectat. In natura verò intranſmutabili motus cauſſa delectationis non futurus.

20. Spes cauſſa delectationis eſt.

Per ipſam enim etſi bonum amatum realiter nobis non vnitur: tamen, propter apprehenſionem & facultatem & habendi illud poteſtatẽ, coniungitur. Quare hoc modo delectationem cauſſat.

21. Memoria eſt cauſſa delectationis.

Nam coniungit bonum amatum cum amante, ſi eſt memoria de bono amato. Ad hoc autem

ſequi-

ſequitur delectatio. Memoria ergo rei amatæ eſt delectabilis.

22. Triſtitia eſt cauſſa delectationis per accidens.

Si enim eſt actu, cauſſat memoriam rei dilectæ, de cuius apprehenſione amans delectatur. Si autem triſtitia non ſit actu, ſed in memoria tantùm, ſic cauſſat delectationem, in quantum ſub ratione boni euaſio mali cauſſantis triſtitiam comprehenditur.

23. Actiones aliorum in nobis cauſſa delectationis ſunt.

Ratio huius ea primò eſſe poteſt, quòd aliquando per actiones aliorum aliquod bonum nobis communicetur, aliquando quia per eas in nobis proprij boni fiat æſtimatio, vel etiam cognitio, vt cùm maximè à ſapientibus vel amamur, vel apud eoſdem in admiratione ſumus. Rurſum aliquando, quia operationes aliorum à nobis, vt proprium bonum noſtrum propter vim amoris, quæ amicum alterum ſe eſſe iubet, iudicantur. His omnibus modis aliorum operationes nobis delectabiles.

24. Benefacere alteri eſt delectabile.

Tum quia vel bonum alterius noſtrum exiſtimamus, vel quia per id & nos aliquid conſecuturos ſperamus. Spes enim delectationem cauſſat, tum quòd inde aliqua ſuperabundantis boni oritur imaginatio: Tum quia id ſæpe (quemadmodum dare liberali) naturale eſt.

25. Similitudo eſt cauſſa delectationis. *Cùm*

Cùm enim ſit cauſſa amoris, & amor cauſſa delectationis: ſequitur, ſimilitudinem etiam cauſſam delectationis eſſe. Similitudo enim eſt quædam vnitas. Unde ſimile, in quantum vnum, delectabile & amabile per ſe exiſtit. Per accidens verò, cum aliquando proprium bonum corrumpit, contriſtat. Unde nimia copia cibi non delectat, & ſimiliter faber ſimili fabro propter imminutionem non delectatur.

26. Admiratio eſt cauſſa delectationis.

Nam admiratio eſt quoddam deſiderium ſciendi cauſſam, quam homo videndo effectum ignorat. Ex deſiderio autem ſi bonum deſideratum conſecutus quis fuerit, oritur delectatio, & tantò maior, quantò maius fuerit deſiderium. Si autem bonum nondum conſecutus, ſed ſpem habeat conſequendi, cùm ex ſpe cauſſetur delectatio: Patet, admirationem, ſi ſperetur cognitio, eſſe cauſſam delectationis. Sunt etiam admirabilia delectabilia, ſicut ea, quæ ſunt rara. Gaudet enim anima conferre vnum cum altero & noua veteribus iungere: Quæ collatio proprius & connaturalis actus rationis eſt.

27. Delectatio eſt effectus delectationis.

Delectatio enim apprehenſionem boni coniuncti requirit. Per hoc autem, quod homo, ſibi coniunctum eſſe aliquod bonum, cognoſcit, ſimul quoq́, ſe quandam perfectionem adeptum, apprehendit, quæ ſpiritualis magnitudo: Et ſic magnificatur & dilatatur. Ex parte quoq́ appetitus dum in bono

amato

amato quieſcit, quodammodo ſe ad capiendum intrò totum bonum amatum dilatat.

28. Delectatio deſiderium ſuiipſius cauſſat.

Si enim eſt actu, accipiendo deſiderium pro appetitu rei non habitæ, ſic deſiderium ſuijpſius cauſſat, non per ſe loquendo, ſed ſecundum quod imperfectè habetur: Vt cùm auditur oratio vel melodia. Idem quoq; de cognitione DEI in vita præſenti patet. Si verò accipiatur deſiderium pro affectu, qui tollit faſtidium, ſic delectationes ſpirituales cauſſant ſuiipſius deſiderium, quia perficiunt naturam, & cùm ad conſummationem in ipſis peruenitur, tunc magis delectabiles ſunt, quod non contingit in corporalibus, eò quòd auctæ & continuatæ naturalem excedunt habitudinem, & ſic efficiuntur tædioſæ. Vnde etiam contemplatio, cùm aliquæ operationes virtutum corporalium iunguntur, per accidens tædioſa efficitur. Sin autem delectatio ampliùs non actu ſit, ſed in memoria ſolùm lateat, ſic ſuijpſius deſiderium cauſſare apta nata eſt: Si tamen homo in ea ſit, in qua fuit ei delectabilis, diſpoſitione. Aliter cauſſabit faſtidium: Vnde memoria cibi propter indiſpoſitionem quibuſdam faſtidioſa.

29. Delectatio operationem perficit.

Nam quaſi finis quidam ſuperuenit o-

mne

omne bonum complens: Sequitur enim operationem delectatio, quæ quietem appetitus in bono præſuppoſito importat. Agens quoq; cùm ſua delectatur ratione, vehementiùs in eam fertur, diligentiusq; operatur. Unde qui contemplationibus delectatur, á delectatione multùm adiuuatur.

30. Delectationes corporales rationis vſum impediunt.

Rationem enim, cùm alijs occupetur animus, à ſuo reuocant officio. Lumen item eius obſcurant & impediunt, ac corporalibus mentem copulant, multis rationum vſibus contrariæ.

31. Delectationi contemplationis nulla triſtitia contraria.

Intellige autem de delectatione, quæ de ipſa contemplatione habetur. Nam, ſicut dictum fuit in libro 12. delectatio & triſtitia ſunt contraria propter contrarietatem obiectorum: At obiecto contemplationis nihil eſt contrarium. Nam etiam contrariorum rationes, ſecundum quod ſunt apprehenſæ, non ſunt contrariæ: Imò vnum contrarium eſt ratio cognoſcendi alterum. Verùm ſi delectatio contemplationis pro delectatione, quæ contemplationem ſequitur, accipiatur, cùm quies ſit in re contemplata: Tunc habere triſtitiam contrariam poſſet, ſi de re contraria triſtaretur.

32. Dolor internus exteriorem ſuperat.

Do-

Dolor enim interior per ſe appetitui: Dolor verò exterior, quia corpori aduerſatur, repugnat appetitui. Semper autem id, quod per ſe eſt, prius eo, quod per accidens eſt, exiſtit. Ex parte quoq; apprehenſionis, quia obiectum doloris & triſtitiæ eſt malum coniunctum apprehenſum. Cùm igitur imaginatio & ratio virtutes, quàm ſenſus exterior, ſubliniores ſint: Per ſe dicendo, dolorem interiorem exteriori intenſiorem eſſe, ſequitur. Dolor enim interior vniuerſalior eſt. Nam quicquid repugnat corpori, repugnare interiori appetitui poteſt: Et quicquid ſenſu apprehenditur, per imaginationem & intellectum apprehendi poteſt: non autem econtrario. Verùm per dolorem exteriorem magis corpus, quàm per interiorem, immutatur: Velut etiã ex imaginatione maior in corpore mutatio, quam ex ratione fit. Nam ratio magis ſupra corpus eleuata eſt.

33. Amor eſt primum triſtitiæ principium.

Obiectum enim, quod eſt malum coniunctum ſeu imminens, per modum finis cauſſa triſtitiæ eſt: Amor autem per modum principij. Amor enim inclinationem quandam ad bonum exprimit. In quolibet autem motu terminus mouet, ſicut finis. Principium autem mobilis ad finem inclinatio eſt. Niſi enim aliquam rem amaremus, eius abſentiam, vel eius contrarij coniunctionem non ægrè ferremus. Et quia bonum vniuſcuiuſque rei in quadam vnitate conſiſtit: ideo

ideo eo modo, quo amor boni eſt cauſſa triſtitiæ, ſic etiam amor ſeu appetitus vnitatis cauſſa eſt. Similiter quia bonum amiſſum mali rationem habet: ideo quemadmodum malum coniunctum triſtitiæ; ſic et bonum amiſſum cauſſa, per modum ſc. obiecti exiſtit.

34. Dolor facultatem diſcendi adimit.

Omnes enim potentiæ animæ in una eſſentia animæ radicantur. Vnde, intentione vehementer ad unius potentiæ operationem vocata, ab alterius retrahi operatione, neceſſe. Dolor autem ſenſibilis maximè ad ſe intentionem animæ trahit: Iccirco multùm facultatem ad diſcendi impedit. Poteſt is etiam tantus eſſe, vt facultatem iam ſcitum contemplandi præpediat.

35. Aggrauatio effectus triſtitiæ eſt.

Nam triſtitia ex malo imminenti cauſſatur, quod quidem ob id, quia motui appetitus repugnat, aggrauat animũ, impeditq́, ne eo, quod vult, fruatur. Et ſi ſit ſpes euadendi: ipſi motus ad expellendum noxium remanet. Sin autem ſpes deficiat: animi quoq; motus interior impeditur, vt nec hac vel illac queat diuertere. Quandoq; etiam motus ita impeditur corporis, vt homo in ſeipſo obſtupeſcat. Et quia humana vita in quadam motione, quæ à corde in cætera membra diffunditur, cui contrariatur triſtitia, conſiſtit: Ideo hac maximum corpori accerſit nocumentum. Nam vitali motioni ſecundum ſpeciem ſuam, & non ſolùm iuxta quantitatem, ſicut aliæ paſſiones, repugnat.

gnat. Nocent poſtea illæ quoq; paſſiones, quæ motum hunc ſecundum ſpeciem ſuam impediunt, quæ ſc. motum cum fuga & retractione important, quales timor & deſperatio. Illæ verò, quæ motum appetitus ad proſequendum aliquid inferunt: propter nimium exceſſum & quantitatem ſolùm, non tamen vt illæ tam vehementer noxiæ.

36. Quælibet delectatio quemlibet dolorem aliqualiter mitigat.

Delectatio enim ita ad triſtitiam in motibus appetitus, ſicut in corporibus quies ad fatigationẽ ſe habet. Sicut ergo quælibet quies contra quamlibet fatigationẽ ex quacunq; cauſſa prouenientem; ita etiam quælibet delectatio ad mitigandũ quamlibet triſtitiam adfert remedium.

37. Fletus, amici condolentia, contemplatio veritatis, ſomnus & balnea triſtitiam leniunt.

Fletus quidem, quia omne noxium intus concluſum magis affligit. Nã magis intentio animæ circa illud augetur. Sed quãdo ad exteriora diffunditur, quodammodo diſgregatur. Et ſic ſecundũ Naſonem: Expletur lacrymis, egeriturq; dolor. Condolentia quidem amici cùm doloris fiat particeps, alterius quaſi in ſe partem dolorem aſſumens, plurimùm lenat. Accedit deinde, quòd is amari ſe ſentiat, delectatio. Contemplatio autem veritatis, quia in ea maxima ſit delectatio, vnde contemplatio diuinorum maximè triſtitiam mitigat. Balnea verò & ſomnus ideo, quia cùm triſtitia

vitali motioni corporis repugnet, illa, quæ naturam corporalem in debitum ſtatum vitalis motionis reuocant, repugnant triſtitiæ, eámque leniunt. Talia verò ſomnus & balnea: Ergo &c.

38. Spes ad vim appetitiuam pertinet.

Vis enim cognoſcitiua non ſecundum motum cognoſcentis ad res, ſed ſecundum quod res cognitæ ſunt in cognoſcente, perficitur. Spes autem tenſionem quandam in proprium obiectum exprimit, vti ex ratione eiusdem proprij obiecti, ad quam quatuor requiruntur, patet. Primò quidem, vt ſit bonum: Malum enim non ſperatur. Secundò, vt ſit futurum, quia præſens non ſperatur. Tertiò, vt ſit arduum, quia parua non ſperamus. Quartò, vt haberi poßibile ſit: quia impoßibilium nulla ſpes. In huiusmodi ergo obiectum ſpes extenditur, cui contrariatur deſperatio, quia ſpes tendit ad hoc bonum: deſperatio autem recedit. Ad appetitum igitur, quemadmodum & deſperatio, pertinet.

39. Experientia, iuuentus, atque ebrietas cauſſa ſpei ſunt.

Experientia quidem, quia reddit arduum poßibile, eò quòd per ipſam aliquid faciendi facultas acquiritur. Unde etiam hoc modo diuitiæ & fortitudo cauſſa ſpei ſunt. Doctrina autem

autem & perſuaſio, quia aliquid poßibile eſſe æſtimant, quemadmodum & experientia, cauſſa ſpei ſunt. Poteſt item experientia de impoßibilitate iudicium ferre. Iuuenes autem, (cùm obiectum ſpei ſit bonum arduum, adeptioni poßibile) cùm plus futuri, quàm præteriti habeant, corque dilatatum calore habeant, nunquam repulſam paßi, nec remoras in conatibus ſuis experti, ſpe pleni viuunt, & animoſè in ardua, omnia poßibilia æſtimantes, tendunt. Ebrij verò, quemadmodum & ſtulti, iudicij inopia, inconſideratißimi ſpem pretio emunt.

40. Spes aliquo modo cauſſa amoris eſt.

Bonum enim arduum cùm per alios nobis fiat aliquando poßibile: ideo in eos, per quos poßibilitatem conſecuturos nos ſperamus, tanquam in bonum noſtrum mouemur, atque ſic adamare eos occipimus. Sin verò ſpes bonum ſperatum reſpiciat, tunc amoris non cauſſa, ſed effectus eſt.

41. Spes adiuuat operationem.

Æſtimatio enim ardui attentionem excitat. Æſtimatio verò poßibilis conatū non moratur: Vnde homo intentè propter ſpem operatur. Item cùm ſpes cauſſa delectationis ſit, quæ operationem adiuuat: Sequitur, ſpem hoc modo etiam opera-

tionem adiuuare. Et ſic eam ratione obiecti & effe-ctus adiuuat.

42. Timor propriè non eſt mali culpæ.

Timor enim mali futuri ardui propinqui, quod non facilè declinare poteſt, exiſtit. Sed malum culpæ omnino noſtræ ſubiacet voluntati, & ideo propriè rationem terribilis non habet. Poteſt tamen timor inclinationis ad culpam eſſe, vt malæ ſocietatis. Et hic timor magis ſeductionis, quàm culpæ, eſt.

43. Timor timeri poteſt.

Poteſt enim quis, ne ei neceſſitas timendi immineat, timere, propter alicuius excellentis mali ingruentiam: Et ſic illum timorem, tanquam malum arduum, apprehendit. Verum tamen quoque eſt, quod aliquando dicimus, timorem non poſſe timeri, quia timor ſenſibilis, qui imperio rationis & voluntatis ſubiacet, accipitur. Et ideo propriè ille non timetur.

44. Inſolita & repentina, eáque, quæ carent remedio, maiorem timorem, quàm cætera, incutiunt.

Omnia enim corporalia, & bona & mala, quantò magis conſiderantur, minora apparent: Quia ergo inſolita mala & repentina ſunt minùs conſiderata, & quia etiam ad ea repellenda homo minùs præparatus: iccirco maiorem timorem incutiunt, quàm cætera. Ea etiam, quæ remedio carent, vt diuturna, & quaſi perpetua, & conſequen

ſequenter ſub ratione maioris mali apprehenduntur. Et ideo magis timentur, quàm alia.

45. Amor & defectus ſunt cauſſa timoris.

Amor quidem, quia inde, quòd quis aliquid bonum amat, priuationem talis boni ipſi malum eſſe, ſequitur: Et ſic hæc priuatio ab eo timetur. Si enim quis nihil amaret, etiam nihil timeret. Defectus autem cùm malum arduum propinquum, eiq; facilè reſiſti non poteſt, cauſſa timoris. Quòd autem reſiſti malo facilè non poſsit, virtutis timentis imbecillitas in cauſſa.

46. Timori ſex ſpecies aſsignantur.

In operatione enim hominis poteſt labor timeri, & ſic cauſſatur ſegnities, dum ſcilicet quis, ob metum excedentis laboris, operas refugit. Poteſt etiam turpitudo futura timeri, & ſic erubeſcentia: vel turpitudo præterita, & ſic verecundia eſt. In exterioribus autem rebus aliquis aliquando timet malum magnum, cuius exitum conſiderare non ſufficit: Et ſic admiratio, vel ex diſſuetudine, ob repræſentatum aliquod malum, timet: Et ſic ſtupor, qui ex inſolita imaginatione procedit: Vel quia prouidere nequit, & ſic agonia cauſſatur.

47. Timor cauſſa contractionis, tremoris eſt, & operationes impedit.

In paſsionibus enim animæ motus appetitiuæ potentiæ formale eſt: Materiale autem tranſ-

mutatio corporis. Sed in voluntate timor & aliæ paſſiones ſimplices actus ſunt, in quibus non tranſmutatio corporalis, niſi per quandam redundantiam ſuperioris partis ad inferiorem fit. Ideo ſecundum rationem appetitiui motus tranſmutatio corporalis ſequitur. In timore intrò calor ſpiritúſque retrahitur: Vnde exteriora his ſpoliata, frigore rigida conuelluntur, tremuntque. Ex tremore autem debilitas operationum ſequitur: Et ita exteriores operationes impediuntur. Aliquando, ſi nimius ſit, rationem quoque perturbat. Sin autem hæc ſalua præſtet, magis hominem de operatione ſolicitum, attentúmque reddit.

48. Nihil, quod ad defectum pertinet, eſt cauſſa audaciæ.

Audacia enim ſequitur ſpem. Hinc enim, quòd aliquis ſperat, ſe periculum imminens ſuperare poſſe, audacter ipſum inſequitur. Nam paſſiones, quæ malum proſequuntur, non illud proſequuntur per ſe, ſed in quantum eis aliquod bonum adiunctum eſt. Vnde ſequuntur paſſiones, quæ bonum proſequuntur. Sicut ergo audacia ſequitur ſpem: ita timorem deſperatio. Ita etiam bonum non per ſe, ſed in quantum ei malum coniungitur, fugitur. Illa ergo, quæ conſequi aliquid facilè poſſe per ſe, vel per alios iudicium faciunt, apta ſunt audaciam gignere, qualia: fortitudo corporis, experientia

tia, diuitiæ, multitudo amicorum, & præſertim diuinum auxilium: Terribilium item abſentia, vt triſtium carentia, nullius culpæ aut periculi ſcientia audaciam vrget.

49. Audaces promtiores in principio periculorum, quàm in ipſis periculis, ſunt, ſed fortes econuerſo.

Nam audacia apprehenſionem ſenſitiuam, quæ non diſcurſu vtitur, ſequitur. Ideo audaces ſubitum habent iudicium: Vnde in principio non omnia, quæ circumſtant, agnoſcere queunt. Idcirco in periculis conſtituti ſæpe deficiunt, Sed fortes omnia cum ratione conſultant, ita vt ſæpe leuiora, quàm vnquam crediderint, experiantur. Et licet lentè ea aggrediantur, progreſſi tamen, virtutis fine in periculis perſeuerantes, agunt fortiter.

50. Ira ad eos ſolùm, ad quos iuſtitia vel iniuſtitia, refertur.

Ira enim duo obiecta reſpicit, ſcilicet vindictam, quam appetit; & eum, de quo vindictam quærit, & circa vtrumque quandam arduitatem exigit. Nam quæ leuia ſunt, ijs vt iraſcamur, digna non cenſemus. Ideo qui iraſcitur de pœna pro damno illata referenda, deliberat. Nam qui damnum inferunt, ſtatim oppugnandi, iuſtitiáque vindicandi. Vindicta enim ad iuſtitiam pertinet, ad iniuſtitiam læſio. Ad eos ergo ira, ad quos iuſtitia & iniuſtitia, pertinet. Poteſt tamen etiam in brutis

animalibus, in quantum naturali inſtinctu ad aliquid ſimile operibus rationis mouentur, eſſe. Vnde etiam homo ſola imaginatione iniuriam nunciante, contra res inanimatas, ſecundum illius motus ſimilitudinem, qui in animalibus contra noxia eſt, mouetur. Cùm ergo ira rationi coniuncta ſit, magis naturalis homini, quàm concupiſcentia, dicitur, quæ minùs rationem ſecundum ſpeciei naturam ſequitur. Secundum verò naturam communem, qua homo animal eſt, ipſi concupiſcentia naturalior. Ex hac enim natura inclinationem quandam naturalem, ad appetendum ea, quæ ſpeciei vel indiuidui conſeruatiua, quæ magis, quàm vindicta, appetuntur, habet homo. Ex complexione tamen rurſum indiuidui ira naturalior eſſe videtur. Bilis enim naturæ igneæ concitatiùs, quàm cæteri humores, mouetur, atq; corpus pererrat.

51. Ira eſt puniendi appetitus.

Vindicta enim & appetitus punitionis non habent locum, niſi vbi iniuria præceßit, quæ ad eum, qui iraſcitur, pertinet. Nam naturaliter vnuſquiſque proprium malum repellit: Vnde iram prouocans, aliquid contra nos factum, & ſub ratione iniuſti apprehenſum exiſtit. Iis autem, qui ignorantia, imprudentiaq; nos offenderunt, damus veniam, aut leniùs ſaltem iraſcimur: Reliquis contrà nulla venia.

52. Iram nemo aduerſum ſe, ſed alium: nec

nec tamen aduerſum omnes, ſed aliquos, & magis vnum, quàm alterum iniuriantem, gerit.

Licet enim quiſpiam iraſci ſibi, & de ſeipſo vindictam ſumere videatur, vt de pœnitente patet: Tamen hæc non propriè, ſed metaphoricè ira dicitur. Qualiter quoq; homo, in quantum ratio concupiſcibilem & iraſcibilem regit, ad iuſtitiam & iniuſtitiam ſe habere dicitur. Propriè autem iraſcitur alteri, quemadmodum propriè ad alterum iuſtitia refertur, quam ira, vt dictum eſt, attendit. Non autem aduerſum omnes iniuriantes. Nam cùm vindictam & poßibilem reſpiciat, ira non, niſi adſit ſpes vindicandi, exurgit, quod contra excellentes & illuſtres perſonas non contingit: Qualis ſi offendat, non ira, ſed triſtitia exoritur. Non item aduerſus mortuos, niſi modo de rebus inanimatis dicto, in quantum iræ motus ex imaginatione, & non ratione proficiſcitur. Nam non dolent, quod maximè quærunt, irati: Deinde iniuriam inferre nequeunt, vt ſic vindicta non opus ſit. Non eſt etiam ira aduerſum omnes æqualis. Magis enim offenſi amicis, quàm inimicis, iraſcimur, quòd indignum inde ſentire iniurias, vnde beneficium ſperare oportebat, iudicemus.

53. Ex ira delectatio, feruor, & impedimentum rationis procedit.

Ira enim ex iniuria contriſtante inſurgit, cui triſtitiæ remedium vindicta adhibetur. et ideo

ad præſentiam vindictæ ſequitur delectatio. Si ita vindicta realiter perficiatur, delectatio perfecta: ſi autem non ſit perfecta, tunc delectationem per continuationem imaginationis eius efficit. Quia verò tranſmutatio corporalis motum appetitus ſequitur: motus autem iræ motus inſecutionis, cui calor proportionatur: Conſequenter motus iræ cuiuſdam ſanguinis & ſpirituum circa cor, feruoris cauſſa, quòd cor inſtrumentum paſſionum animæ eſt. Hinc fit, quòd impediatur ratio, quæ licet organo non vtatur corporeo: quibuſdam tamen naturalibus inſtrumentis ſenſitiuis indiget, quorum actus corpore perturbato impeditur. Et quia hæc exterioribus etiam quibuſdam partibus, vt faciei, linguæ, oculis, ex quibus cor ipſum ſe prodit, communicatur: Hinc iratis facies ignea, lingua balbula aut planè arreſtata, micantes oculi, cor palpans, tremuli artus.

Atq; hæc de anima vegetatiua, ſenſitiua, appetitiua, motiua, & intellectiua, quantum ad intellectum & voluntatem: Nec non de omnibus rebus naturalibus, compendioſè dicta ſufficiant.

LVDOVICO VVIL-
HELMO MOSERO
integerrimæ vitæ
viro S.

IESSENIVS.

QVid videtur, ampliſſime Secretarie, de philoſophi illius monito, quod inſolens magis, quàm humile Plutarchus cenſet: Sic viue, vt nemo te vixiſſe ſentiat? Num adeò, vt omnibus ignotum eſſe conueniat, viuere turpe eſt? Fortaſſis. Nam in Philœbo Plato expetendam philoſopho mortem cenſet. Sic ergo viuendum erit, vt non malis viuere. Vtrumque aliud

ud intellexiſſe, ſuſpicior. Ille ſic viuendum, vt nemo per iniurias ipſum vixiſſe ſentiat: Hic, ita corpore moriendum, vt quàm delicatiſsimè mens viuere poſsit, docere voluit. Neuter intelligere aliud potuit. Accelerare enim naturæ terminum, illiq; vim facere, ſeriò legibus Plato cauit: à vitiorum verò contagio animam ſequeſtratam, ſeuerè indixit. Duplex hoc mortis genus in Scipionis ſomnium Macrobius notauit: Cùm alteram natura accidere, alteram ex virtute proficiſci ſcripſit. Euenit hæc, vbi animus corpori iunctus, vitiorum vinculis ſolutus, finis ſui memor, ad bonum contendit. Hoc, in quo

ſumma

ſumma hominis felicitas, quòdnam ſit, quæ conſequendæ beatitudinis media, quæ tuta vtendi ratio? Hæc tam ardua, paucis tamen omnia à Sauonarola, Chriſti profeſſore, monſtrata & per me tibi dicata, accipe, fruere, felixq́ue, mi Moſere, viue: Quod vt poßis, verè gaude.

EPITOME ETHICÆ.

LIBER PRIMVS.

De vltimo Fine Hominis.

Summa & diſpoſitio libri I.

QVoniam à principiis rerum in vnaquaque ſcientia incipiendum: principium autem in moralibus finis eſt: Ideo autor à fine in hoc libro, qui eſt primus moralium, incipit. Et primò quidem de illo in genere, vſque ad concluſionem 11 tractat. *Secundò*, de ipſo in ſpecie ſub nomine beatitudinis, in reliquis. Eſt enim finis vltimus beatitudo hominis. Quo ad primum, oſtendit primò, finem eſſe principium omnium actuum humanorum, quos conſiderat Ethicus, ex eo, quòd omnes propter finem fiunt, id quod in 1 concluſione declaratur. Et quia dicuntur actus humani, ob id, quòd liberè fiant ab homine, in 2. hominem liberi eſſe arbitrii: Et in 3, quid ſit liberum arbitrium, docet. Secundò, quomodo ſoli homini agere propter finem inter corporalia competat, in 4. oſtendit: id quod inde, cùm inter illa ſolus homo liberi arbitrii ſit, ſequitur: è quibus in 5. actus humanos ſpecificari à fine deducit. III. quia in omnibus principiis ad aliquod primũ, à quo cætera dependent, deuenitur: declarat in 6. dari vltimum finem, qui eſt primum principium in moralibus. Et quia primum in quolibet genere eſt vnum: conſequenter vnitatem vltimi finis oſtendit. Reſpectu quidem huius hominis in 7. Vnde in 8. gratia illius ipſum omnium velle, extruit. Reſpectu autem omnium hominũ in 9. Et reſpectu omnium ſimpliciter, in 10. Quoad ſecundum, primò, in quibus conſiſtat vel non conſiſtat beatitudo, declarat, in 11. quòd non in bonis fortunæ nec in bonis corporis aut animæ, & vniuerſaliter creatis, ſed in ſolo Deo conſiſtat, in 12. oſtendens. Secundò docet, quid beatitudo ſit, ſc. operatio hominis perfecta, in 13: Cuius potentiæ operatio, ſc. intellectus, principaliter in

14. Cuius

14. Cuius intellectus, ſc. ſpeculatiui, in 15. Cuius obiecti reſpectu ſc. Dei, in 16. Et quomodo Deum attingat, in 17. Operatio enim & à potentia, cuius eſt, & ab obiecto, reſpectu cuius eſt, dependet. Tertiò, quæ ad beatitudinem requirantur: Quoad actus animæ in 18, quoad corpus in 19. & quoad bona exteriora, in 20. demonſtrat. Quartò qualiter acquiri poſsit, inſtituit: oſtendens, an ab homine queat, in 21. & an æqualiter ab omnibus in 22. vbi poſsit acquiri, num ſc. in hac vita, an in alia, in 23. vtrum poſsit amitti, in 24. cuius virtute acquiratur, ſc. Dei, in 25. homine tamen cooperante, in 26. Demum cùm finis communis omnium, quomodo appetatur ab omnibus, ſubijcit.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Homini propter finem agere conuenit.

Actionum enim, quæ ab homine eduntur, illæ ſolum, quæ hominis, vt homo eſt, in quantum ab alijs animalibus differt, humanæ dicuntur. Eo autem homo ab alijs diſtinguitur animalibus, quòd per rationem & voluntatem, actionum ſuarum dominus. Vnde illæ actiones propriè, quæ ex deliberata ratione prodeunt, appellantur humanæ. Poſſunt quidem & aliæ hominis eſſe actiones: non tamen humanæ. Quia ergo obiectum voluntatis eſt bonum: omnes autem actiones, quæ ab aliqua procedunt potentia, ab ea ſecundum rationem ſui obiecti cauſſantur: Omnes actiones humanas gratiæ finis eſſe, ſequitur. Atq; ſic homini, in quantum eſt homo, agere propter finem conuenit.

2. Homo eſt liberi arbitrij.

In naturalibus enim quædam abſq; iudicio agunt, vt, quæ deorſum deſcendunt, grauia: quædam cum iudicio naturali, ſed non libero, quoniam ad iudicandũ de ſolis particularibus naturali inſtinctu,

vt

vt bruta, ducuntur. Homo verò agit iudicio libero. Nam ex collatione quadam rationis in diuerſa ferri, & diuerſa eligere poteſt, id quod liberi arbitrij eſt. Habet ergo liberum arbitrium homo.

3. Liberum arbitrium hominis non habitus eſt, ſed realis ipſa hominis voluntas.

Habitus enim, per quas homo ad actus bene vel malè ſe habet, ſunt qualitates: Ita vt ſi habitum malum habeat, malè ſe habeat ad actum, ſi bonum, bene. Liberum autem arbitrium indifferenter ad bonum, & ad malum eligendum ſe habet. Cùm igitur bonum, in quantum huiuſmodi, obiectum ſit appetitus: liberum arbitrium ad virtutem appetitiuam pertinere, patet. Cùm autem rationem ſequatur, ad appetitũ rationalem quoq; pertinere, conſtat. Sed in homine non, niſi vnum appetitum rationalem, qui eſt voluntas, ponimus. Ergo liberum arbitrium idem, quod voluntatem, eſſe oportet. Ab ea autem, ſecundum quandam proportionem ad intellectum & rationem, diſtinguitur. Intellectus enim, prout circa prima verſatur principia, vocatur intellectus: Prout verò ad concluſiones diſcurrit, ratio dicitur. Ita quoq; voluntas, prout reſpicit finem, dicitur voluntas, quia finis in agibilibus habet ſe, quemadmodum principium in ſpeculabilibus: Prout verò reſpicit ea, quæ ſunt ad finem, liberum arbitrium dicitur, cuius actus eſt ea, quæ ſunt ad finem, eligere, quæ ſe in agibilibus, vt concluſiones in ſpeculabilibus, habent.

Propri-

4. Proprium hominis eſt, ſeipſum ad finem perducere.

Illud enim, quod cognoſcit rationem finis, & eorum, quæ ſunt ad finem, & habet dominium ſuorum actuum, propriè ſeipſum ducere in finem poteſt. Sed homo eſt huiuſmodi, cùm ſit rationalis, & liberi arbitrij: Ergo ſeipſum ducit in finem. Cætera verò animalia, cum non cognoſcant rationem finis, & eorum, quæ ſunt ad finem, nec ſunt liberi arbitrij: in fines ſuos naturali quodam inſtinctu aguntur. Ideo inter animalia & corporalia ſolus homo ſeipſum in finem ducit.

5. Actus humani ſpeciem à fine ſortiuntur.

Vnumquodque enim ſecundum actum, & non ſecundum potentiam, ſpeciem ſortitur. Actio igitur ſpeciem ſortitur ab actu, quia nihil aliud eſt, quàm principium agendi: Paſſio verò ab actu, qui eſt terminus motus. Calefactio enim eſt motus à calore, ſi actiuè accipiatur: Si autem paſſiuè, eſt motus ad calorem. Quia ergo homo habet dominium ſui actus, & ſeipſum mouet, & ducit ad finem: Poſſunt actus ipſius per modum actionum, & per modum paſſionum conſiderari. Principium verò ipſorum nihil aliud, quam finis eſt, qui appetitur, & huiuſmodi quoque terminus eorum eſt. Appetibile enim eſt principium mouens appetitum, & terminus ad quem mouetur. Siue ergo actus humani conſiderentur per modum actiuum, ſiue per modum paſſiuum, ſpeciem a fine ſortiantur.

6. Neceſſe eſt, aliquem vltimum finem humanæ vitæ exiſtere.

In omnibus enim, quæ per ſe habent ordinem ad ſe inuicem, neceſſe eſt remoto primo, ea, quæ ſunt ad primum, remoueri. Primum autem in finibus ſecundum ordinem intentionis eſt vltimus finis. Si ergo hic ſubtrahatur, nihil ab homine intendi, nihil poſſe appeti, nihilq́ terminari, nulloque modo hominem ſecundum appetitum quieſcere valere, ſequetur. Similiter ſi ſubmoueatur primum, à quo quiſpiam operari incipiat, vt ad finem perueniat, quod in executione primum eſt: operas ordiri nemo poſſet, neque hoc vllus tentaret, nulla de hoc inſtitueretur quoque conſultatio, ſed iretur in infinitum. Eſſe igitur aliquem humanæ vitæ finem vltimum, & aliquod, a quo incipiat operari, principium, neceſſe.

7. Voluntatem hominis vnius in plura, vel in fines vltimos, tendere, impoſsibile eſt.

Illud enim aliquis appetit, vt vltimum finem, quod appetit, vt bonum perfectum & completiuum ſuiipſius. Oportet igitur, quod vltimus finis ita impleat appetitum totum, vt nihil extra ipſum appetendum relinquatur, quod eſſe non poſſet, ſi aliquid extraneum appetendum ad ipſius perfectionem requireretur. Præterea vltimus finis illud dicitur, quod naturaliter appetitur, vt primum principium intellectus, quod naturaliter

taliter cognoſcitur. Natura autem ad vnum determinata eſt. Præterea cum actiones humanæ a fine ſpeciem ſortiantur, a fine vltimo ſortiuntur rationem generis. Cum ergo omnes ſint vnius generis: oportet, quod omnium finis vltimus vnus ſit. In vnoquoque enim genere vnum primum, quod maximè tale & aliorum illius generis cauſſa eſt, datur.

8. Quæcunque homo vult, propter vltimum finem vult.

Quicquid enim homo appetit, id ſub ratione boni appetit. Si ergo aliquid appetit, non ſub ratione boni perfecti, quod vltimus finis eſt: neceſſe eſt, vt in bonum perfectum tendens appetatur. Quia ſemper inchoatio alicuius ordinatur ad perfectionem eius: Igitur appetet ipſum, vt tendens in finem. Et cùm non detur in infinitum progreſſio: propter vltimum finem appetere eum omnia, quæ in finem tendunt, ſequetur. Præterea cum vltimus finis primum mouens ſit: nihil, niſi in virtute eius, mouere poſſe, patet. Non neceſſe tamen, ſemper actu conſideretur: Sed ſufficit primæ virtutis intentio, quæ in quolibet appetitu permanet.

9. Omnium hominum vna eſt vltimi finis ratio.

Omnes enim homines ſuam perfectionem adimpleri appetunt, quæ eſt ratio vltimi finis. Nō tamen omnes in eo, in quo iſta ratio inueniatur, conueniunt. Vnde quidam diuitias, tanquam bonum

conſummatum, quidam honores, & quidam aliquid aliud appetunt: Quemadmodum guſtui dulce delectabile eſt, ſed non cuilibet guſtui dulce in qualibet re delectabile, ſed huic in melle, illi in vino, vel in huiuſmodi alio.

10. Hominis vltimus finis etiam finis omnium eſt.

Hoc autem intelligo de vltimo fine, cuius gratia aliquid fit, id eſt, de re, quæ eſt finis. Nam finis omnium rerum eſt Deus, qui eſt etiam omnium prima cauſſa. Sed ſi loquamur de fine quo, id eſt, de adeptione vltimi finis: ſic non omnium eſt vnus vltimus finis: Quia non omnia adipiſci, Deum intelligendo & amando, poſſunt. Aliæ enim creaturæ ab homine Deum, in quantum participant aliquam eius ſimilitudinem, ſecundum quod ſunt vel viuunt, vel etiam cognoſcunt, adipiſcuntur. Homo autem & cæteræ creaturæ rationales per cognitionem intellectiuam, & amorem, & quia finis vltimus & beatitudo idem ſunt. Ideo nunc de beatitudine dicendum eſt.

11. Beatitudo hominis non in diuitijs, nec in honore, nec in gloria, nec in poteſtate conſiſtit.

Beatitudo enim vltimus finis eſt, ad quem omnia ordinantur. Ipſa verò ad nihil aliud ordinata. Et cùm ſit vltima perfectio beati, & perfectio ſit in perfectibili: beatitudinem eſſe in beato, oportet. Cumque ſit ſummum bonum, non

non patitur ſecum aliquod malum, & ideo per ſe ſufficiens nulliúſque indigens ſit neceſſe. Ad hanc, quæ nullius mali cauſſa, homo per principia interiora naturaliter ordinatur. Diuitiæ autem ſi ſunt naturales, ad hominis vitam: Artificiales verò ad naturales ordinantur. Honor verò magis honorantis eſt. Et quia ſit in ſignum excellentiæ: igitur excellentiam ſequitur, quæ maximè ſecundum beatitudinem attenditur. Gloria autem, quæ eſt cum laude notitia, etiam ipſa magis beatitudinem ſequitur: Ex notitia enim alicuius bonitatis eius laus proficiſcitur. Poteſtas verò ad bonum & ad malum ſe habere poteſt: Vnde ſecum malum patitur. Imò omnia, quæ enumerauimus, id patiuntur, nec per ſe ſufficientia homini: E quibus quoque mala homini euenire queunt: Magiſq; homini ab exteriori, quàm ab interiori principio proueniunt. In illo igitur horum conſiſtit beatitudo.

12 Non item in bonis corporis, voluptate, bonis animæ, nec vllo alio infra Deum bono hominis conſiſtit beatitudo.

Corpus enim & omnia eius bona ad animam ordinata: Materia enim gratia formæ eſt. Vnde cùm voluptas corporalis ſit aliquod bonum corporale & particulare: in ea conſiſtere beatitudo nequit. Quia anima in ſui operatione particularia bona excedit. Et quia ipſa anima, & omne, quod in ipſa, particulare bonum

 eſt:

eſt: nec in ea, nec in bonis eius conſiſtere beatitudo poteſt, licet per ipſam, vel per aliquam virtutem eius ad vltimum finem adipiſcendum perueniat. Et ſimiliter cùm beatitudo totaliter quietet appetitum, & omne infra Deum ſit particulare: Animam intellectiuam non poſſe in aliquo infra Deum bono quieſcere, patet.

13. Beatitudo eſt operatio hominis perfecta.

Beatitudo enim eſt vltimus finis. Sed finis dupliciter dicitur, ſcilicet Cuius & Quo. Finis Cuius eſt obiectum operationis, & res ipſa: Finis autem Quo eſt ipſius rei adeptio. Loquimur ergo de beatitudine, ſecundum quod eſt finis Quo. Cum igitur beatitudo ſit perfectio hominis, & vnumquodque in tantum dicatur perfectum, in quantum eſt actu, cùmque vltimus hominis actus ſit eius perfecta operatio: Sequitur, beatitudinem hominis perfectam operationem eſſe. Non eſt ergo operatio alicuius, nec aliquorum ſenſuum, quia talis non eſt perfecta ſeu vltima in homine operatio.

14. Beatitudo non eſt eſſentialiter voluntatis, ſed intellectus actus.

Beatitudo enim eſt conſecutio vltimi finis, quæ non conſiſtit in actu voluntatis. Nam aut finis, in quem tendit voluntas, non eſt præſens: & ſic non habet beatitudinem: aut eſt præſens, & in ipſo delectatur. Sed non poteſt eſſe præ-

ſens

ſens,niſi per actū intell. ctus ipſum repræſentantē: quia voluntas non fertur,niſi in bonum cognitum per intellectum. Ergo prius per intellectum vltimus finis, quam per voluntatem, acquiritur. Eſſentialiter ergo beatitudo in actu intellectus conſiſtit. Sed delectatio voluntatis poſtea, tanquam proprium accidens,conſequitur, velut pulchritudo iuuentutem, quæ ipſam perficit. Hoc etiam inde patet, quia beatitudo primum obiectum voluntatis eſt, & conſequenter primum volitum. Sicut autem primum obiectum viſus non poteſt eſſe viſio, ſed aliquod viſibile: ita primum obiectum voluntatis non poteſt eſſe actus voluntatis, ſed aliquid, quod eſt obiectum ipſius actus. Omne enim velle eſt reſpectu alicuius voliti. Dicendum ergo, quod obiectum voluntatis, quod eſt ipſa beatitudo, ſit coniunctio intellectus cum vltimo fine, in qua coniunctione voluntas delectatur.

15. Beatitudo non intellectus practici, ſed ſpeculatiui operatio eſt.

Cùm enim intellectus ſit altior omni potentia, quæ ſit in homine, eò quòd reſpicit obiectum ſimplicius, & magis abſtractum, & beatitudo ſit hominis perfectiſſima operatio, quæ eſt perfectiſſimæ potentiæ, reſpectu perfectiſſimi obiecti: neceſſe eſt, beatitudinem in intellectus operatione conſiſtere. Et quia contemplatio propter ſe, & operatio intellectus practici propter aliquem finem quæritur: Oportet, quòd beatitudo

beatitudo operatio intellectus ſpeculatiui ſit, quæ eſt optima, & per quam Deo & intelligentijs aſſimilatur.

16. Beatitudo non in conſideratione ſpeculatiuarum ſcientiarum, nec in cognitione ſubſtantiarum infra Deum ſeparatarum, conſiſtit.

Nam conſideratio ſpeculatiuæ ſcientiæ non ſe extendit vltra virtutem principiorum: Quia in principijs tota ſcientia virtualiter cōtinetur. Principia autem ſcientiarum ſpeculatiuarum ſunt per ſenſum accepta: Et ideo conſideratio ſcientiarum ſpeculatiuarum non ſe poteſt vltra ſenſibilia, vel vltra ea, quæ per ſenſibilia cognoſci poſſunt, extendere. Per ſenſibilia autem non poteſt homo ſubſtantias ſeparatas, vti ſuprà in philoſophia naturali probatum, cognoſcere. Omnia autem ſenſibilia ſunt infra hominem. Non poſſunt etiā perfectiones intellectus noſtri, niſi per accidens, exiſtere, id eſt, in quantum participant aliquid, quod eſt ſupra intellectum humanum. Omne autem, quod eſt per accidens, reducitur ad id, quod eſt per ſe. Fate[illegible] ergo, in iſtis inferioribus ſenſibilibus beatitudinem ſpeculationis noſtræ, ſicut nec in ſubſtantijs ſeparatis, infra Deum conſiſtere: Quia intellectus noſter, cùm pro obiecto habeat ens & verum, nunquam quieſcit, vſquequo ad perfectam cognitionem huius obiecti peruenerit. Vnde ſtatim cognito effectu, cognoſcere cauſſam deſiderat. Si ergo videret & cognoſceret perfectè ſubſtan-

ſtantias ſeparatas,ſciret,eas habere cauſſam, & ſic non quieſceret, donec cauſſam cognoſceret. Si autem non cognoſceret,eas habere cauſſam, imperfectè cognoſceret. Et ſic etiam non quieſceret, donec perfectam cognitionem acquireret. In his ergo beatitudo eius non eſt.

17. Beatitudo hominis in viſione Dei per eſſentiam conſiſtit.

Homo enim non poteſt eſſe beatus propriè, quamdiu ei aliquid deſiderandum reſtat. Cùm autem peruenerit ad viſionem primæ cauſſæ omnium rerum, nihil ei reſtabit deſiderandum: Quia hæc eſt ipſum eſſe & ipſa veritas,& ſummum bonum, vt infra probabitur.Tunc enim non quæret amplius cauſſam, quia primæ cauſſa non poteſt quæri cauſſa. Ergo in tali viſione erit beatus, Antequam autem ad illā perueniat, aliquid appetendū reſtat.

18. Ad hominis beatitudinem delectatio, comprehenſio,& rectitudo voluntatis requiritur.

Quadrupliciter enim aliquid ad aliud requiritur: Vel ſicut præambulum aut præparatorium ad illud,vel vt perficiens,vel tanquam coadiuuans extrinſecum,vel velut concomitans. Delectatio igitur requiritur, tanquam concomitans, quia eſt quædam quies in bono accepto. Vnde cùm voluntas non quærat bonum propter delectationem, ſed magis quietetur in bono propter bonitatem eius: Sequitur, ipſam operationem, in qua quietatur, principalius bonum in beatitudine,quàm delectationem

tionem eſſe. Comprehenſio quoq; comitatur, quia nihil aliud eſt, quam habitudo quadam comprehendentis ad finem iam habitum: Vnde non dicit operationem aliquam præter viſionem. Rectitudo autem voluntatis ad beatitudinem, tanquam præambulum & præparatorium ipſius, exigitur: Forma enim requirit diſpoſitionem materiæ. Requiritur etiam, tanquam concomitans, quia neceſſariò, qui beatus eſt, rectam voluntatem, eò quod vltimo fine delectetur, habet. Vnde quicquid vult in ordine ad illum finem, ex neceſſitate vult: Sicut quicquid amat vnuſquiſq; ſub communi ratione boni, quam nouit, amat. Hæc igitur omnia requiruntur.

19. Corpus perfectum ad beatitudinem hominis requiritur.

Si beatitudo in hac vita eſt, certè neceſſariò requiritur corpus. Sin autem in vita futura, cum ſit in viſione Dei, ad quam non requiritur phantaſma, imò intellectus potiùs, ab omni phantaſmate purgatus: Corpus ex neceſſitate non requiri, [illegible] bene [illegible]antum, manifeſtum eſt. Quia cum [illegible] ex [illegible] ura rei dependeat, quantò anima [illegible] ſua natura perfectior, tantò perfectiùs operatur, in quo felicitas conſiſtit. Eſt autem in natura vnita corpori, quàm ſeparata, perfectior: Ergo corpus requiritur. Et quia dictum eſt, viſionem Dei per phantaſmatum concurſum impediri: ideo corpus hoc ſi perfectum totaliter, vt operatio intellectus a viſione Dei non impediatur, requi-

requiritur. Sicut etiam in hac vita bona corporis diſpoſitio ad contemplationem diuinorum neceſſaria. Quale autem corpus ſit futurum, quod ad beatitudinem requiritur perſectum, alio loco dicendum.

20. Nec exteriora bona, nec amici ad beatitudinem neceſſarij.

Exteriora enim bona propter vitam animalem neceſſaria ſunt. Si ergo beatitudo eſſet in hac vita, & propter indigentiam huius vitæ, & quia inſtrumentaliter beatitudini, quæ in operatione virtutis conſiſtit, deſeruiant, forent neceſſaria, ſed ſi beatitudo eſt in alia vita, cùm ad illam perfectio corporis talis, vt exterioribus non indigeat, requiratur, talia non futura neceſſaria, patet. Amici quoq; in hac vita, vt eis benefaciamus & per eos in benefaciendo & bene viuendo adiuuemur, neceſſarij ſunt. Sed cum anima Deum videt, cùm in eo totam plenitudinem ſuæ perfectionis habeat: nullo exteriore amplius indiget.

21. Homo ſuam beatitudinem poteſt adipiſci.

Quicunq; enim eſt capax perfecti boni, poteſt illud adipiſci: aliter fruſtra illius capax foret. Sed homo eſt capax vniuerſalis & perfecti boni: Ergo &c. Præterea naturaliter omnis homo deſiderat beatitudinem. Si ergo non poſſet vllo modo illam acquirere: naturale eius deſiderium fruſtraneum, ſequeretur. Sed hoc falſum: Quia Deus & natura nihil agunt fruſtra. Illam igitur conſequi poteſt.

22. Vnus homo altero beatior eſſe poteſt.

Beatitudo enim vltimi finis adeptio ſiue fruitio eſt. Quantò ergo magis homo fruitur illo: tantò eſt magis beatus. Tantò autem magis contingit ipſum frui DEO, quantò eſt magis diſpoſitus vel ordinatus ad eius fruitionem. Cùm igitur aliquis poſſit meliùs alio diſpoſitus eſſe: poſſe & beatiorem altero eſſe, patet. Et ſic vna beatitudo eſt maior altera, quod tamen non verum, ſi de beatitudine cuius, id eſt, de ipſo obiecto beatifico loqueremur, foret, cum idem reſpectu omnium ſit.

23. In hac vita beatitudo haberi non poteſt.

Nam DEVS in hac vita videri per eſſentiam non poteſt, in qua viſione beatitudo, vt dictum eſt, conſiſtit. Et prætera cùm beatitudo omne malum excludat, & omne deſiderium impleat: Certè in hac vita eſſe non poteſt, quia multis malis hæc vita ſubiacet, quæ vitari non poſſunt, vt eſt ignorantia, inordinatæ affectiones, & multiplices pœnæ. Et prætera imperfectio iſtarum rerum temporalium non implet appetitum: Quia cùm homo maximè appetat permanentiam eſſendi, naturaliter refugit mortem, quam vitare non poteſt. Vnde ipſe vnà cum omnibus iſtis bonis tranſit. Beatitudo ergo in hac vita eſſe non poteſt.

24. Beatitudo amitti non poteſt.

Beati-

Beatitudo enim eſt in viſione diuinæ eſſentiæ: Igitur ex parte beatorum non poteſt amitti, quia nullus eſt, qui poſſit nolle ſuam perfectionem: Nec ex parte DEI, qui non afficit pœna ſine culpa. Beati autem non poſſunt peccare, quia, vt dictum eſt, ad beatitudinem ex neceſſitate ſequitur rectitudo voluntatis: Nec ex parte alterius agentis, quia nihil eſt potentius DEO, qui beatos in beatitudine ſua virtute conſeruat: Ergo nullo modo amitti poteſt.

25. Nec per ſuam naturalem operationem, nec per actionem alterius intelligentiæ, homo a Deo beatus fieri poteſt.

Beatitudo enim in viſione diuinæ eſſentiæ ſubſiſtit. Quia ergo omnis creatura operatur & cognoſcit ſecundum modum ſuæ ſubſtantiæ, & DEVS excedit ſubſtantiam cuiuſlibet alterius rei in infinitum, vt alias oſtendemus: Sequitur, quòd nulla ratio, & nullus intellectus infra DEVM per propriam virtutem poſſit Deum videre. Et quia id, quo aliquis caret, alteri tribuere non poteſt: Sequitur, quòd homo per virtutem alicuius ſuperioris ſubſtantiæ infra Deum non poſſit fieri beatus, cùm per propriam virtutem nulla infra Deum ſubſtantia eum videre poſſit.

26. Ad beatitudinem conſequendam aliqua operatio hominis exigitur.

Exigit enim ordo naturæ & diuinæ ſapientiæ, vt diſpoſitio materiæ præcedat introductionem formæ. Ad beatitudinem ergo conſequendam

dam aliqua requiritur diſpoſitio. Hæc autem eſt motus ad beatitudinem, qui eſt operatio intellectualis vel rationalis ſubſtantiæ. Nam Deus eſſentialiter habet beatitudinem, & ideo habet eam ſine motu. Subſtantiæ verò ſeparatæ cùm ſint magis ſtabiles, quàm homo, habent eam paucioribus motibus, quàm homo, qui motibus multis indiget. Motus autem hi virtutum opera, quorum præmium beatitudo eſt.

27. Omnes homines naturaliter beatitudinem appetunt.

Naturaliter enim omnes rationem communem beatitudinis appetunt: Quia naturaliter omnes, vt appetitus ſatietur, cupiunt, quæ communis beatitudinis ratio eſt. Et hoc modo omnes beatitudinem appetunt: Non omnes tamen illud, in quo beatitudo conſiſtit, volunt. Licet autem omnes naturaliter beatitudinem cupiant: ad eam tamen non, niſi per diſpoſitionem actuum propriorum, perueniunt: de quibus in ſequentibus pertractabimus.

DE ACTIBVS HVMANIS.

LIBER SECVNDVS.

Summa & diſpoſitio libri II.

POſt determinationē de fine humanæ vitæ ſequitur conſideratio humanorum actuum, de quibus in hoc libro agitur. Et quia actus noſtri eatenus humani,

ni, quatenus ſunt voluntarij: Primò autor de voluntario & inuoluntario: Secundò de ipſis actibus humanis: Tertiò de bonitate & malitia eorum tractat. Quoad primũ oſtendit primò, quomodo voluntarium & inuoluntarium inſit humanis actibus, in 1 concluſione: Et quomodo ſit quandoque ſine actu, in 2. Secundò à quibus inuoluntarium cauſſetur, mõſtrat, ponitq; quatuor eius cauſſas, Scilicet violentiam, oſtendens, quomodo poſsit inferri voluntati, in 3. Et quomodo cauſſet inuoluntarium, in 4. Metum, de quo in 5. Concupiſcentiam, de qua in 6. Et ignorantiam, de qua in 7. Quoad ſecundum priùs de actibus à voluntate elicitis, & poſtea de imperatis (Illi enim ſunt priores, & cauſſa horum) peragit. Quoad actus elicitos, ab his, qui reſpiciunt finem, incipit. Hi enim alios præcedunt: Et horum primus eſt velle ſeu voluntas, de quo, quoad ipſum actum, in 8 tractat: Declarando, reſpectu cuius ſit, ſc. finis. Quoad motiuum autem intrinſecum, in 9. quoad motiuum extrinſecum in genere in 10. in ſpecie verò, quoad illud, quod mouet indirectè, in 11. & quoad illud, quod mouet directè, in 12. Quoad modũ poſtea, quo mouetur, in 13. In qua voluntatem moueri naturaliter: Et in 14. in qua, eam à nullo moueri ex neceſſitate, oſtendit. Secundus actus eſt frui, de quo in 15. Tertius intentio, de qua in

in 16. Quos actus inter ſe comparat in 17. Agit deinde de actibus reſpicientibus ea, quæ ſunt ad finem. Quorum primus eſt electio, de qua in 18. Secundus conſilium, de quo in 19. Tertius conſenſus, de quo in 20. Quartus vti, de quo in 21. Et hi omnes ſunt actus à voluntate eliciti. Quoad imperatos autem, de illis, multa determinans, ſimul in 22 pertractat. Quoad tertium, primò de bonitate et malitia actuum humanorũ in genere agit. declarando quatuor, quorũ primum eſt, duo hæc reperiri in actibus humanis, in 23. Secundũ, vnde cauſſentur, & quoad cauſſas principales, quæ ſunt obiectũ & finis, in 24. Quoad ſecundarias verò, quæ ſunt circumſtantiæ, in 25. ex quibus deducit in 26. quotuplex ſit actus humani bonitas: Tertium eſt, quomodo vtrumque ſe habeat ad ſpeciem actus humani: Et reſpectu quidem obiecti & finis in 27. reſpectu verò circumſtantiarum in 28. Quartum eſt, an aliquis ſit indifferens reſpectu boni & mali, in 29. Secundò agit de bonitate & malitia ipſorum in ſpecie, & quoad actus interiores, reſpectu cauſſarum proximarum, quæ ſunt obiectum & ratio, in 30: Et reſpectu cauſſæ remotæ, quæ eſt voluntas diuina, in 31: Et quoad actus exteriores in 32. è quibus pluralitatem actuum humanorum in genere moris, ſtante vnitate in genere naturæ, deducit in 33. Tertiò de ijs, quæ actus

actus humanos ratione bonitatis & malitiæ conſequuntur, in 34. agit.

Concluſio ſiue regula prima.

1. In actibus humanis voluntarium eſſe oportet.

Nam quorundam actuum & motionum principium externum eſt, vt cùm lapis ſurſum proÿcitur: Quorundam verò principium internum, vt cùm deorſum deſcendit in terram. Quorum motus principium internum, quædam mouent ſeipſa, vtpote quia cognoſcunt finem, vt animalia: Quædam verò non mouent ſeipſa, quia non cognoſcunt finem, ſed ab altero dirigente mouentur, vt grauia & leuia. Eorum autem, quæ ſeipſa mouent, quædam finem abſque ratione & proportione actus ad finem cognoſcunt, ſicut bruta: Quædam autem finem & proportionem actus ad finem, ſicut homines, intelligunt, qui, apprehenſo fine, deliberare de fine, & de ÿs, quæ ſunt ad finem, poſſunt: Circa quæ eſt liberum arbitrium, vt ſuprà diximus. Quia ergo nomen voluntarÿ actum, vel motum à propria inclinatione ad finem, ex cognitione finis, & eorum, quæ ſunt ad finem, eſſe importat, atq; humani actus hoc modo ab homine procedunt: in eis voluntarium eſſe patet. Nam horum principium internum eſt, & ſeipſum homo ad finem ex cognitione finis, & proportionis eorum, quæ ſunt ad finem, mouet. Inde ergo, voluntarium ſecundum perfectam rationem ipſius,

quæ deliberationem de fine, & de iis, quæ ſunt ad finem, ſequitur, in brutis non eſſe, patet.

2. Voluntarium eſſe ſine actu poteſt.

Voluntarium enim, quod à voluntate eſt, dicitur. Ab aliquo autem dicitur aliquid eſſe dupliciter, ſcilicet directè, in quantum eſt agens. Et hoc modo dicitur eſſe à voluntate aliquid, quando in id per actum ſuum fertur voluntas. Alio modo indirectè, eò quòd non, cùm poteſt & debet agere, agit: Vt ſubmerſio nauis dicitur eſſe à gubernatore, cùm non dirigit nauem, cùm poteſt & debet. Nam ſi non poſſet, cauſſa illius ſubmerſionis non diceretur. Et hoc modo voluntarium eſt ſine actu, & aliquando ſine actu exteriori ſolùm, vt cùm vult non agere: aliquando verò ſine interiori & exteriori, vt cùm, quando debet & poteſt, agere recuſat.

3. Voluntati violentia inferri non poteſt.

Eſt enim duplex actus voluntatis: vnus elicitus, alter verò imperatus. Quantum ergo ad actum, qui mente ab ipſa voluntate elicitur, non poteſt violentia voluntati inferri, quia ille actus non procederet, niſi à voluntate. Violentum verò eſt, cuius principium extra eſt. Vnde dicere, quòd actus ſit à voluntate, & quòd ſit violentus, contradictionem implicat. Verùm ſi actus eſt imperatus, vt ſunt ambulare, loqui, legere, ſic poteſt voluntati inferri violentia: Quia per violentiam poſſunt membra impediri, ne operentur, etiamſi a voluntate imperentur.

Vio-

4. Violentia inuoluntarium cauſſat.

Sicut enim illud, quod eſt contra naturam, dicitur innaturale: ita, quod eſt contra voluntatem, dicitur inuoluntarium. Violentia autem, ſicut aliquid contra naturam in cognitione carentibus: ita in rebus cognoſcentibus aliquid contra voluntatem cauſſat. Cauſſat igitur inuoluntarium.

5. Metus non cauſſat inuoluntarium ſimpliciter.

Vnumquodque enim ſimpliciter dicitur, ſecundum quod eſt actu: Secundum autem quod eſt ſola apprehenſione, non eſt ſimpliciter, ſed ſecundum quid. Illud autem, quod fit propter metum, dum fit, eſt actu volitum. Vnde dicendum, quòd ſit ſimpliciter voluntarium. Eſt autem inuoluntarium ſecundum quid, id eſt, ſecundum ſolam apprehenſionem rationis, hoc eſt, dum ratio apprehendit id, quod actu non eſt, id eſt, eſſe extra periculum. Eſt ergo actu & ſimpliciter voluntarium, & inuoluntarium ſecundum quid, id eſt, ſi extra periculum eſſet.

6. Concupiſcentia cauſſat voluntarium.

Per concupiſcentiam enim voluntas ad volendum id, quod concupiſcit, inclinatur. Voluntarium autem aliquid inde, quòd in illud voluntas feratur, dicitur. Concupiſcentia ergo cauſſat voluntarium.

7. Non voluntarium, voluntarium, & inuoluntarium cauſſare ignorantia poteſt.

Non voluntarium, quando actum concomita-

tur. Eſtq; de eo, quod agitur: Quod tamen ſi ſciretur, nihilominus ageretur, velut ſi aliquis capitalem hoſtem, credens ſe ceruum occidere, interficiat. Talis enim ignorantia concomitans non inuoluntarium facit, quoniã non aliquid contra voluntatem efficit. Nec voluntarium, quia tunc voluntas actualiter hoc non intendebat: Sed non voluntarium, quia non poteſt eſſe actu volitum, quod eſt ignoratum. Voluntas enim non, niſi in cognitum fertur. Voluntarium autem cauſſat, quando ad voluntatem conſequitur, in quantum ipſa ignorantia eſt voluntaria, vel dum voluntas fertur in ignorantiam, eò quòd non vult, vt licentiùs peccet, intelligere. Et hæc dicitur ignorantia affectata, vel quia ſcire ea, quæ maximè poteſt & debet, non curat, qualia ſunt vniuerſalia præcepta legis: vel etiam, quia illa ſcita negligit conſiderare. Et hæc dicitur ignorantia negligentiæ vel malæ electionis, ex paßione vel habitu proueniens, & cauſſat ſimpliciter voluntarium: Inuoluntarium autem ſecundum quid, in quantum motum voluntatis ad aliquid agendum præcedit, qui fortè non adeſſet præſente ſcientia. Inuoluntarium autem ſimpliciter cauſſat, quando ignorantia antecedit, & non eſt volita: Eſt tamen cauſſa volendi aliquid, quod aliâs, ſi ſciret, homo nollet, vt ſi quiſpiam adhibita diligentia, neſciens tranſire aliquem, proiecta per viam ſagitta, tranſeuntem interficiat.

8. Voluntas eodem actu poteſt ferri in finem, & in ea, quæ ſunt ad finem.

Quòd

Quòd enim feratur in ea, quæ ſunt ad finem, clarum eſt, eò quòd illa habent rationem boni. Verùm actus voluntatis, qui eſt velle, vel qui voluntas aliquando dicitur, eſt ſolùm finis: Quia omnis actus denominatus à potentia nominat ſimplicem actum illius potentiæ, ſicut intelligere nominat ſimplicem actum intellectus. Simplex autem actus potentiæ eſt in id, quod eſt ſecundum ſe obiectum potentiæ. Id autem, quod eſt propter ſe bonum & volitum, eſt finis. Cætera verò ſunt volita propter finem. Quia ergo finis eſt ratio eorum, quæ ſunt ad finem, & idem eſt motus ad aliquid, & ad rationem illius: ideo eodem actu voluntas ferri in finem poteſt, & in ea, quæ ſunt ad finem, licet etiam ſeorſum ferri in finem abſque hoc, quod feratur in ea, quæ ſunt ad finem, valeat.

9. Voluntas ab intellectu & appetitu ſenſitiuo & à ſemetipſa moueri poteſt.

Qualiter enim moueatur ab intellectu, dictum eſt in 15. philoſophiæ naturalis libro. Intellectus voluntatem, quantum ad ſpecificationem actus per modum finis: Voluntas autem intellectum, quantum ad exercitium actus, mouet. Quia ergo id, quod apprehenditur ſub ratione boni, mouet voluntatem, & appetitus ſenſitiuus motus immutando homines, aliquid apparere bonum, quod reuera tale non eſt, efficit. Nam qualis quiſq; eſt, talia ipſi quoq; videntur omnia. Ideo appetitus ſenſitiuus hoc modo mouet voluntatem. Vo-

luntas autem, ſecundum quod iam eſt in actu volendi finem, mouet ſe ad volendum ea, quæ ſunt ad finem.

10. Voluntas ab aliquo exteriori mouetur.

Omne enim, quod quandoque eſt agens actu, & quandoque potentia, moueri ab aliquo mouente indiget. Voluntas autem eſt huiusmodi: Ergo ab aliquo indiget moueri. Non autem poteſt moueri ab intellectu vel à ſenſu, quantum ad exercitium actus, id eſt, quantum ad velle & nolle: Quia intellectus & appetitus eam, quantum ad ſpecificationem actus, ſolùm mouent: Nec poteſt dici, quòd ſeipſam ſemper moueat, quia nihil agit, niſi quando eſt actu. Quantum ergo ad primum actum, ab aliquo exteriori moueatur, neceſſe. Hoc autem eſt obiectum, vel aliquid aliud, vt mox dicetur.

11. A corpore cœleſti non directè voluntas mouetur.

Nullum enim corporeum agere directè in incorporeum poteſt. Voluntas autem humana non eſt alligata organo corporali, licet in anima, quæ eſt forma corporis, ſit. Verùm quia corpora cœleſtia in corpus humanum agunt, & diuerſimode idipſum diſponunt: mouere voluntatem indirectè poſſunt, quia per talem diſpoſitionem aliquid homini bonum vel malum, quod tamen non eſt, videtur, velut iam diximus. Unde hoc modo voluntas, quantum ad ſpecificationem actus, moueri

ri, non verò quantum ad exercitium actus, à corpore cœleſti moueri poteſt.

12. Voluntas à ſolo Deo, tanquam ab exteriori principio, mouetur.

Quamuis enim ab exteriori obiecto, tanquam à trahente, moueri poſſit: non tamen ab aliquo alio, tanquam ab agente & impellente, quàm à Deo, cieri poteſt. Sicut enim ſe habet motus naturalis in naturalibus: ita motus voluntatis in voluntarijs. Motus autem naturalis non eſt, niſi à generante, vt ſuprà diximus. Igitur quoque motus voluntarius, non tanquam ab agente, niſi ab eo, qui voluntatis autor, futurus: Talis autem non, niſi Deus, eſſe poteſt. Nam cùm effectus & cauſſæ ſint proportionata, & voluntas vniuerſale bonum reſpiciat: patet, eam non eſſe, niſi à bono vniuerſali, quod Deus eſt, præſertim cùm ſit potentia animæ rationalis, quæ foris aduenit, & à ſolo Deo cauſſari poteſt, veluti ſuprà in philoſophia naturali diximus.

13. Voluntas ad aliquid naturaliter mouetur.

Illud enim eſt naturale rei, quod conuenit ei ſecundum ſuam ſubſtantiam, & per ſe. In ijs autem, quæ conueniunt rei, neceſſe eſt, vt principium ſit per ſe: Quia omne per accidens ad id, quod eſt per ſe, reducitur. Oportet ergo principium omnium volitorum naturaliter, & per ſe volitum eſſe. Hoc autem eſt finis. Vnde voluntas ſecundum ſuam naturam & per ſe in finem,

quemadmodum quælibet potentia naturaliter in ſuum obiectum fertur. Ob id voluntas etiam naturaliter omnia, quæ conueniunt volenti, ſecundum ſuam naturam vult. Vnde naturaliter cognitionem veri, & alia, quæ cæteris potentijs naturaliter conueniunt, vult.

14. Nec ab obiecto, nec à paſsione, nec à Deo voluntas ex neceſsitate mouetur.

Quantum enim ad exercitium actus, etiamſi voluntati proponatur obiectum, quod non habeat rationem mali, poterit non moueri: Quia poteſt de illo non cogitare. Verùm quantum ad actus ſpecificationem, ſi voluntas aliquid velit, ex neceßitate mouebitur ab obiecto, quod nullam habeat rationem mali, quia non poteſt velle oppoſitum. Si autem habeat aliquam rationem mali, non ex neceßitate mouebitur: Nam poterit accipere illud, vt non bonum, conſiderando eius defectum. Quia ergo paßio non poteſt mouere voluntatem, niſi aliqualiter quantum ad ſpecificationem actus, & omne, quod ſecundum aliquam paßionem repræſentatur, poteſt habere aliquam rationem mali, cùm ſit bonum particulare: Patet, paßionem non poſſe voluntatem ex neceßitate mouere, niſi fortè totaliter homo à paßione abſorbeatur, & tunc de illo homine idem, quod de bruto, eſſet iudicandum. Cùm autem Dei ſit naturam conſeruare, non autem deſtruere, omnia mouet ſecundum conditionem ſuæ naturæ. Volun-

tas autem eſt libera: ideo etiam eam liberè, quemadmodum contingentia contingenter, mouet.

15. Frui eſt actus voluntatis, quo vltimo fini inhæret.

Fruitio enim & fructus ad idem pertinere videntur, & vnum ex altero deriuari. Fructus autem eſt illud, quod vltimum de arbore expectatur, & cum ſuauitate percipitur. Vnde frui eſt delectari in vltimo expectato, quod pertinet ad appetitum, & eſt actus potentiæ peruenientis ad finem, non ſicut exequentis, ſed ſicut imperantis. Vnde non pertinet ad inanimata, nec perfectè ad bruta, quia etſi habeant appetitum imperantem, non tamen habent perfectam cognitionem de fine, & de ijs, quæ ſunt ad finem. Igitur propriè eſt actus voluntatis. Et quia ad rationem fructus duo pertinent, ſc. quod ſit vltimũ, & quod appetitum cum quadam dulcedine vel delectatione quietet: Id autem, quod eſt ad finem, non ſimpliciter quietat appetitum, cùm motus ſuſpenſus remaneat: Sequitur, quòd frui propriè ſit reſpectu vltimi finis. At vltimus finis poteſt haberi imperfectè, ſc. in intentione tantùm, & ſic non totaliter quietat appetitum. Si autem habeatur perfectè, id eſt, in re, tunc quietat appetitum. Et ſic fruitio perfecta eſt de fine habito in re: Imperfecta autem de fine habito in intentione tantùm.

16. Intentio eſt actus voluntatis, quo in aliquid tendit.

Intendere enim eſt in aliquid tendere, In aliquid autem tendit & actio mouentis & motus mobilis ab actione mouentis. Intentio ergo principaliter pertinet ad id, quod mouet ad finem, id eſt, ad appetitum, & poteſt eſſe tam vltimi finis, quàm non vltimi: Sicut motus eſt ad terminum vltimum & ad medium. Et ſi plura ſint adinuicem ordinata, poſſunt ſimul intendi: ſicut vnus motus eſt ad medium & ad finem. Non autem ſi non ſint ordinata; ſicut nec motus vnus eſt ad plures terminos. Vnde aliquis intendit habere vnum magis, quàm aliud, quia ad plura valet: Ergo ſimul plura intendit, Ideo poteſt eſſe vnus & idem motus voluntatis, quo intendit ea, quæ ſunt ad finem, et vult finem: non tamen poteſt ferri in finem, & in ea, quæ ſunt ad finem, ſi abſolutè conſideretur vno ſolo actu. Et quia intendere aliquid eſt proprium mouentis, ſecundum quod ſe, vel aliquid ſui, vel alterius ordinat ad finem, & ordinare eſt actus rationis: Ideo intentio non eſt propriè brutorũ, ſed ad ea ſolùm, quæ voluntatis participia, pertinet.

17. Velle frui & intendere diuerſi actus voluntatis ſunt.

Voluntas enim reſpicit finem tripliciter. Vno modo abſolutè: Et ſic actus eius dicitur voluntas ſeu velle. Alio modo, ſecundum quod in eo quieſcit: & hoc modo fruitio reſpicit finem. Tertio modo, ſecundum quod eſt terminus alicuius, quod in ipſum eſt ordinatum: Et hoc modo intentio

tio reſpicit finem. Non enim ex hoc ſolùm intendere dicimur ſanitatem, quia volumus eam, ſed quia ad eã per aliquid aliud peruenire volumus.

18. Electio eſt actus voluntatis ſubſtantialiter, quo vnum ex ijs, quæ ſunt ad finem, alteri præponit.

Eſt enim electio appetitus intellectiuus, vel intellectus appetitiuus, quia ad electionem intellectus & voluntas concurrunt. Eſtq́ ex vtroq́, velut ex forma & materia, compoſita. Quia ergo in actibus animæ ille actus, qui eſt eſſentialiter vnius potentiæ vel habitus, recipit formam & ſpeciem à ſuperiori potentia vel habitu, tanquam ab ordinante, ſicut inferius ordinatur à ſuperiori, & ratio quodammodo præcedit voluntatem, & actum eius ordinat: Ideo actus electionis, quo homo vnum alteri præponit, eſſentialiter & materialiter eſt voluntatis, formaliter autem rationis. Quia enim electio in motu quodam animæ ad bonum, quod eligitur, perficitur: Dicendum, electionem actum voluntatis eſſe, nec ad bruta, quæ ad vnum inſtinctu naturali ordinantur, pertinere. Voluntas autem reſpectu particularium bonorum non eſt ad vnum determinata, ſed reſpectu cõmunis boni, quod eſt vltimus finis. Vnde patet, quòd electio ſit tantùm eorum, quæ ſunt ad finem, cùm ſit plurium. Cùm igitur id, quod eſt ad finem hominis, ſit vel actio eius, vel aliquid, quod per eius actionem fit, vel quo vtitur, neceſſe eſt, electionem ſemper eſſe humanorum actuum.

Sed

Sed ea, quæ per nos aguntur, ſunt nobis poßibilia: Electio ergo non eſt, niſi poßibilium. Poßibilia autem nobis, quæ ſunt ad finem, ſunt bona particularia, quæ rationem mali habere poſſunt: Ideo ex neceßitate homo non eligit, ſed vnum liberè alteri præponit.

19. Conſilium eſt inquiſitio certitudinis de ijs, quæ per nos agenda ſunt.

Quia electio iudicium rationis de rebus agendis conſequitur, in quibus multa incertitudo inuenitur, eò quòd actiones circa ſingularia contingentia ſunt: in rebus autem dubijs & incertis ratio non poteſt certum iudicium abſq; inquiſitione præcedente proferre, quæ nihil aliud eſt, quàm conſilium, quod nullo modo eſſe de fine poteſt: Is enim in agibilibus eſt principium, & principia non cadunt ſub quæſtionem, ſed concluſiones: ſingularium etiam cognitio non habet aliquid magnum per ſe: Ideo conſilium & inquiſitio de eis non eſt, niſi propter operationem noſtram, hoc eſt, de ijs, quæ à nobis aguntur. Nec tamen eſt de omnibus, quæ à nobis aguntur: Quia non eſt de minimis, quæ pro nihilo reputantur. Nec de ijs, quæ ſunt determinata, qualiter fieri debeant, vel per artem, vel per legem. Conſilium enim eſt de incertis: Vnde procedit conſilium modo reſolutorio, ſcilicet ab eo, quod eſt poſterius in eſſe, & prius in intentione, quaſi ab effectu ad cauſſam. Ideo non procedit in infinitum, eò quòd incipit à fine inquiſitio, & ad illud, quod ſtatim eſt in poteſtate noſtra, vt facia-

faciamus, terminatur. Aliter quiſpiam ad impoſſibile moueretur, vel de impoſſibili ſciſcitaretur, quia tranſiri infinitum nequit.

20. Conſenſus eſt appetitus ad aliquid agendum applicatio.

Conſenſus enim applicationem ſenſus ad aliquid importat. Eſt autem proprium ſenſus, vt rerum præſentium cognoſcitiuus ſit. Ex hoc ergo tractum eſt nomen conſenſus, quòd ad appetitiuam virtutem, ſecundum quandam ſimilitudinem pertineat. Eſt enim conſenſus applicatio appetitiuæ virtutis ad rem, ſecundum quod ei inhæret, quaſi experientiam quandam de ea ſumens, in quantum ſibi in ea complacet. Quia ergo bruta animalia non habent appetitum in propria poteſtate, eorum non eſt applicare appetitum ad aliquid. Ideo propriè in eis non eſt conſenſus. Eadem ratione nec conſenſus eſt de fine, ad quem naturaliter tendit voluntas. Vnde conſenſus ſequitur id, quod per conſilium iudicatum eſt. Primò enim apprehendimus & deſideramus finem: Deinde conſultamus de ijs, quæ ſunt ad ipſum: Tandem conſentimus ei, quod per conſilium fuerit iudicatum. Et quia finalis ſententia pertinet ad eum, qui ſuperior eſt, ad quem de alijs iudicium ferre ſpectat: Ideo ad rationem ſuperiorem conſenſus ad agendum ſemper pertinet. Nunquam enim aliquid agere conſentimus, niſi priùs finali conſilij prolatæ ſententia, quæ non feretur, ſi ei ſecundum rationem ſuperiorem reſiſtatur. Oportet ergo quod ratio ſuperior

perior aſſentiat vel diſſentiat, vel ſaltem diſsimulet: Et ſic ipſi bonum vel malum, quod euenit, imputatur. Intellige autem per rationem ſuperiorem ipſam rationem, ſecundum quod etiam voluntas in ea includitur.

21. Vti eſt aliquod principium actionis ad actum applicare.

Cùm enim applicamus rem ad aliquam operationem, dicimur re illa vti, & vſus illius rei eſt eius operatio, ſicut equitare eſt vſus equi. Quia autem applicamus tam potentias inferiores ad actus proprios, quàm etiam res exteriores per potentias interiores, & voluntas mouet omnes potentias ad ſuos actus: ideo vti primò & principaliter eſt voluntatis, tanquam mouentis: Eſt autem intellectus, tanquam dirigentis: Aliarum verò virium, vel membrorum, ſeu rerum, tanquam exequentium. Vnde, brutis non conuenire, cùm applicare ipſis non competat, patet. Ex quo etiam conſtat, non vltimi finis eſſe, niſi fortè pro vltimo fine res, vt pecunia, accipiatur, & ordinetur ad vltimum, id eſt, ad poſſeſsionem vel ad fruitionem. Si ergo vſus accipiatur ſecundum quod executiua potentia vtitur, ſequitur conſilium & electionem. Non enim tendit voluntas ad conſequendam rem volitam, niſi conſilium & electio præceſſerit. Verùm quia voluntas etiam quodam modo rationem mouet, & vtitur ea, poteſt intelligi vſus eius, quod eſt ad finem, ſecundum quod eſt in conſideratione rationis referentis ipſum in finem.

finem. Et hoc modo vſus electionem praecedit.

22. Imperare eſt actus rationis ordinantis quadam motione aliquid ad agendum.

Actus enim voluntatis, & actus rationis ſupra ſe inuicem ferri poſſunt. Virtus autem prioris actus in actu ſequenti remanet. Contingit ergo eſſe aliquem actum voluntatis, in quo manet virtus actus rationis: Et econuerſo aliquem eſſe actũ rationis, in quo manet virtus actus voluntatis. Actus enim, qui ſunt vti & eligere, ſunt actus voluntatis, vt dictum eſt, ſecundum quod in eis aliquid rationis manet. Quia igitur imperans ordinat eum, cui imperat ad aliquid agendum per modum cuiuſdam intimationis, ſcilicet vel denunciando, vel etiam monendo, dum dicitur: Hoc à te debet fieri, vel fac hoc. Ideo imperare eſt actus rationis, cuius eſt ordinare, praeſuppoſito tamen actu voluntatis, cuius eſt mouere. In actu ergo imperij manet virtus actus voluntatis. Patet ergo, quòd non inuenitur iſte actus in brutis, quae ſunt abſq; ratione, & quòd imperium praecedit vſum naturaliter, & etiam aliquando tempore. Eſt enim prius imperium, quàm quòd imperio obediatur. Actus autem imperatus & imperium ſunt actus vnus, ex formali & materiali compoſitus: Vnde in duos, quemadmodum homo in animam & corpus, diuiditur. Et quia tam actus voluntatis, quàm etiam rationis

cum

cum imperio ordinatur, ſicut cùm dicimus: Hanc rem dilige, hanc rem contemplare: Ideo actus voluntatis & rationis poſſunt eſſe imperati. Vnde actus intellectus exercitus, ſemper poteſt eſſe imperatus, non tamen ſemper actus ſpecificatus. Non enim imperamus ea, quæ non ſunt in poteſtate noſtra. Non eſt autem in poteſtate noſtra quamlibet veritatem cognoſcere, nec primis principijs diſſentire: Ideo actus ſpecificatus non ſemper eſt imperatus. Actus autem ſenſitiuæ partis, quantum ad illud, quod eſt ex parte animæ, quia ſequitur apprehenſionem particularem, quæ ſubditur vniuerſali, obediunt rationi, & ſic poſſunt eſſe imperati: Sed non quantum ad illud, quod eſt ex parte corporis, quia qualitas & diſpoſitio corporis non obedit rationi, imò ſenſitiuus appetitus rationi ſecundum dominium, quod eſt domini ad ſeruum, non obtemperat, ſed ſecundum regale vel politicum, quod eſt ad liberos. Actus autem animæ vegetabilis, quia nullius ſunt apprehenſionis ſuſceptiui, non obediunt rationi: Ideo membra, quæ mouentur à potentijs ſenſitiuis, morem gerunt rationi, non autem ea, quæ à potentijs vegetatiuis mouentur, vel quæ ſequuntur vires naturales. Vnde motus cordis, qui naturaliter ſequitur formam, quam habet, vt dictum eſt in phyſicis, non obedit rationi. Et ſimiliter nec motus membri pudendi, quia ad huiuſmodi motus requiritur aliqua alteratio naturalis, ſcilicet caliditatis vel frigiditatis,

quæ

quæ non ſubiacet imperio rationis. Hoc autem accidit ſpecialiter in his duobus membris, quia vtrunque eſt quaſi quoddam animal ſeparatum, in quantum vtrunq; eſt quoddam vitæ principium. Cor enim eſt principium ſenſuum: Ex membro verò genitali virtus ſeminalis predit, quæ virtute totum animal eſt. Et idcirco motus naturaliter habent proprios. Nam principia oportet eſſe naturalia.

23. Non omnis actio hominis bona eſt.

In rebus enim vnumquodq; tantum habet de bono, quantum habet de eſſe. Ens enim & bonum conuertuntur. Illud ergo, quod non habet plenitudinem eſſendi, quæ debetur ei, non poteſt dici ſimpliciter bonum: Quia plenitudo eſſendi eſt de ratione boni, cùm vnumquodq; in tantum dicatur bonum, in quantum eſt perfectum. Si ergo aliquid deficit à plenitudine eſſendi, quæ ei debetur, non dicitur bonum ſimpliciter. Non omnis autem actio hominis habet plenitudinem eſſendi, quæ ei debetur, imò ferè nulla. Ergo non omnis actio hominis eſt ſimpliciter bona: Sed tamen omnis, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid, bona eſt, ſi eſt actio, alioquin nihil futura.

24. Ex obiecto & fine bonum & malum in actibus humanis eſt.

Actus anim humani habent ſpeciem ab obiecto, ſicut res aliæ à forma. Sicut ergo illud, quod habet formam ſibi conuenientem, bonum dicitur, illud verò, quod non habet formam ſibi conueni-

entem, malum: Ita etiam actus bonus eſt, qui obiectum ſibi conueniens habet: Si tamen poſtea cætera, quæ ad bonitatem requiruntur, concurrant: Et malus, qui non habet obiectum ſibi conueniens. Similiter etiam finis præſtat bonitatem actibus humanis, quia actus humani ab alio, tanquam a cauſa, dependent. Vnde ab alio habent bonitatem, vt ab agente, quod agit propter finem. Bonitas ergo & malitia eorum etiam ex fine eſt.

25. Actio humana bona vel mala ex circumſtantia eſt.

Nomen circumſtantiæ ab iis, quæ in loco ſunt & localiter mouentur, eſt deriuatum ad actus humanos, qui ſunt quidam motus. Dicitur autem aliquid circumſtantia localiter, quod eſt à re extruſum, & tamen eam tangit, vel ei ſecundum locum appropinquat: Vnde etiam conditiones, quæ extra ſubſtantiam actus ſunt, aliquo modo tamen ipſum attingunt, dicuntur circumſtantiæ: Vnde circumſtantiæ ſunt quædam actus accidentia: Quia quod eſt extra ſubſtantiam rei, ad rem aliquo modo pertinens, accidens eius dicitur. Tale autem accidens ad actum pertinere, tripliciter contingit. Vno modo, quia ipſum attingit, vel per modum menſuræ, vt tempus & locus, vel per modum qualitatis, velut eſt modus agendi. Alio modo, in quantum attingit effectum eius, & ſic conſideratur, quid aliquis fecerit, id eſt, quid ex actu ſequitur. Tertio modo, in quantum attingit eius cauſſam, ſc. vel finalem, & ſic conſideratur pro-

propter quid ſit, vel agentem principalem, & conſideratur, quis egerit: vel inſtrumentalem, & conſideratur, quibus auxilijs fecerit. Ideo conuenienter circumſtantiæ hoc verſu enumerãtur: Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando. Ita tamen, vt per Quid etiam Circa quid intelligatur. Quia autem actus humani propriè, prout ſunt, voluntarij appellantur: voluntatis autem obiectum & motiuum eſt finis: Ideo principaliſſima omnium circumſtantiarum eſt illa, quæ actum ex parte finis attingit, quæ eſt aliquis finis proprio fini ipſius actus adiunctus. Nã proprius finis, cùm det ſpeciem actui, circumſtantia non eſt. Hanc illa, quæ ſubſtantiam actus attingit, ſequitur, ſcil. quid faciat, puta, ſecundum effectum. Aliæ verò magis vel minùs principales, prout magis vel minùs ad has accedunt, exiſtunt. Quemadmodum igitur in rebus naturalibus tota plenitudo perfectionis ex forma ſubſtantiali non reperitur, ſed multum rei ex aduenientibus accidentibus ſuperadditur: Ita etiam in actibus humanis non tota bonitas eſt ex obiecto & fine, ſed etiam ex circumſtantijs. Vnde ſi actui debitæ circumſtantiæ deficiant, non ſimpliciter bonus dicetur.

26. In actibus humanis quadruplex bonitas conſiderari poteſt.

Prima eſt ſecundum genus, prout ſcil. eſt actio, quia quantũ habet de actione & eſſentia, tantum de bonitate obtinet. Altera ſecundum ſpeciem, hoc eſt, ſecundum obiectum conueniens, quæ

quoque dicitur bonitas. Tertia ſecundum finem, quaſi ſecundum ad cauſſam bonitatis habitudinem. Quarta ſecundum circumſtantias, quaſi ſecundum accidentia. Et idem dicendum de malitia.

27. Bonum & malum ſpeciem in actibus moralibus variant.

In actibus enim humanis bonum & malum per comparationem ad rationem dicitur. Bonum enim hominis ſecundum rationem: Malum autem præter rationem eſt. Ergo patet, differentiam boni & mali circa obiectum conſideratam, per ſe ad rationem, ſecundum ſcil. quod obiectum ei conueniens vel non conueniens eſt, comparari. Omnis verò talis differentia, ſcil. quæ per ſe ad potentiam refertur, differentiam ſpecificam in actibus efficit. Bonum ergo & malum ſpeciem in actibus humanis mutant. Et quia finis eſt obiectum voluntatis, quæ omnes alias potentias mouet, idcirco etſi actus exteriores ſpeciem à proprio obiecto habent: tamen formaliter ſpeciem à fine, materialiter autem à proprio obiecto habent. Id enim, quod eſt ex parte voluntatis, ſe habet vt formale ad id, quod ex parte exterioris actus eſt. Verùm quando obiectum exterioris actus per accidens ad finem voluntatis ordinatur: tunc actus exterior in duabus ſpeciebus quaſi diſparatis exiſtit, quarum vna non continetur ſub alia, id eſt, in illa, quam ex proprio obiecto, & in ea, quam ex fine obtinet. Quando verò per ſe ad finem voluntatis ordinatur,

tunc

tunc vna ſub alia continetur, ſcilicet, quæ eſt ex obiecto, ſub illa, quæ eſt ex fine. Nam finis magis generalis eſt.

28. Circumſtantia in actibus humanis ſpeciem boni & mali conſtituere poteſt.

Quia enim proceſſus rationis non ad aliquod vnum determinatus eſt, ſed quolibet dato vlterius procedere valet: Hinc eſt, quòd id, quod in vno actu vt circumſtantia obiecti accipitur, rurſum à ratione, vt principalis conditio, accipi poteſt. Nam locus vel tempus ad rationem furti, in quantum eſt furtum, ſe habet vt circumſtantia. Sed quia contingit, talem circumſtantiam circa obiectum contrariam ordini rationis eſſe, vt quia ratio ordinârit, in loco ſacro non faciendā iniuriam: Euenire inde poteſt, vt tanquam principalis conditio obiecti, rationi repugnans, accipiatur. Et per hunc modum quandocunq; circumſtantia aliqua ſpecialem ordinem rationis vel pro, vel contrà reſpicit, eam dare ſpeciē actui morali bono vel malo oportet. Sin autem actui humano aliqua adiungatur circumſtantia, quæ bonitati vel malitiæ aliquid addat, non tamen, quantum ex ſe eſt, ſpecialem ordinem rationis reſpiciat, niſi alia præſuppoſita circumſtantia hæc ſpeciem actui non datura eſt: Vt ſi furto addatur, quòd quiſpiam alienum magna quantitate ſuſtulerit. Magna enim quantitas ſpecialem ordinem rationis, niſi præſuppoſito furto, non reſpicit. Unde quoque ſpeciem furti non variat, ſed peccatum aggrauat, & ſi bona cir-

cumſtantia ſit, bonitatem actus moralis auget & amplificat.

29. Aliquis actus humanus ſecundum ſuam ſpeciem; nullus tamen ſecundum indiuiduum indifferens eſt.

Actus enim humani ſpeciem, ab obiecto relato ad ordinem, rationis habent. Si enim ſunt ſecundum ordinem rationis, boni: Si autem ſunt contra ordinem rationis, mali ſecundum ſpeciem exiſtunt. Contingit autem, aliquem actum humanum, ſecundum ſuam ſpeciem, non aliquid ad ordinem rationis pertinens includere, vt feſtucam de terra leuare. Quia etiam aliquid indiuiduo ſecundum accidentia, quod nequaquam ſpeciei conuenit, imò aliquem actum ſecundum ſpeciem, non tamen ſecundum indiuiduum indifferentem eſſe, contingit. Neceſſe eſt enim, quemlibet actum humanum aliquam circumſtantiam ad minus ex parte intentionis habere: Quia quilibet actus humanus ad aliquem finem ordinatus eſt, alioquin actus humanus non foret. Si ergo ad finem, qui eſt ſecundum ordinem rationis, ordinatus fuerit, bonus: Sin autem ad finem, qui ordini rationis contrarius, ſic malus futurus eſt. Atq; hoc modo ſemper bonus vel malus exiſtit.

30. Voluntas diſcordans à ratione errante[m]ala eſt.

Bonitas enim voluntatis ex obiecto dependet ſeu ex fine. Quia bonum & malum per ſe differentiæ actus voluntatis, ſicut verum & fal-

falſum differentiæ actus intellectus ſunt. Cùm igitur obiectum voluntatis proponatur ei à ratione, (Bonum enim intellectum eſt obiectum proportionatum voluntati) inde eſt, quòd bonitas voluntatis etiam à ratione dependeat. Et quia ratio humana à ratione diuina, & à prima cauſſa plùs dependet effectus, quam à ſecunda in cauſis ordinatis: Hinc eſt, quòd multò magis bonitas voluntatis humanæ à lege æterna, quàm à ratione humana, dependeat. Quando ergo voluntas fertur in id, quod repræſentatur ei ſub ratione mali, hoc eſt, ſub hac ratione, quòd ſit contra rationem vel contra legem æternam, fertur in malum: dato etiam, quòd ſecundum ſe non ſit malum. Nam certum eſt tunc, quòd vult rationem mali: Et per cõſequens vult id, quod eſt malum per accidens, id eſt, ex apprehenſione rationis. Non enim voluntas, niſi in illud, quod à ratione proponitur, fertur. Et ſimiliter voluntas, rationi erranti concordans, bona eſt, dummodo error ex ignorantia cauſſante inuoluntarium totaliter, id eſt, ex ignorantia alicuius circumſtantiæ abſque omni negligentia proueniat: Quia directè in bonum fertur. Si autẽ ignorantia non excuſaretur, tunc foret mala, quia in malum, licet indirectè, ferretur.

31. Voluntas hominis concordare ſiue conformari voluntati diuinæ obligatur.

Illud enim, quod eſt primum in quolibet genere, eſt menſura omniũ, quæ ſunt illius generis. Quia ergo bonitas voluntatis humanæ ex inten-

tione finis dependet, eò quòd ordo ad finem conſideratur, vt ratio quædam ipſius obiecti voliti. Et cùm Deus ſit vltimus finis voluntatis, quia eſt ſummum bonum, quod primò & principaliter cõparatur ad voluntatem diuinam, vt obiectum proprium eius: dicendum, bonitatem voluntatis humanæ ex conformitate voluntatis diuinæ dependere. Quia autem Deus, cùm ſit vniuerſi factor & gubernator, omnia ſub ratione boni communis vult, & creatura ſub ratione boni particularis ſibi proportionati apprehendit & vult: Hinc eſt, quòd aliquando voluntas Dei & voluntas humana in volito materialiter diſcordare poſſunt, & tamen voluntas humana non futura mala. Poteſt enim quiſpiam aliquid velle eſſe, ſecundum quod habet rationem boni; Et aliquis velle, idem non eſſe, in quantum habet rationem mali, ita vt vtraque voluntas ſit bona. Quia ergo aliquid bonum eſſe ſecundum rationem vniuerſalem, quod non ſit bonum ſecundum rationem particularem, contingit, & econuerſo: Poterit voluntas, quæ tendit in bonum particulare, eſſe bona, præſertim ſi, quid expediat bono vniuerſali, ignoret. Et ſimiliter voluntas, quæ vult oppoſitum ſecundum rationem vniuerſalem, poterit eſſe bona, vt ſi coniunx latronis nollet maritum ſuſpendi, conſiderans bonum proprium, vel familiæ ſuæ, non eſſet voluntas eius mala. Et tamen voluntas iudicis propter bonum vniuerſale vult ipſum ſuſpendi, quæ nihilominus eſt bona. Vnde homo,

quia

quia neſcit, quæ Deo in omnibus velitis placeant: ideo conformari voluntati diuinæ in volito non materialiter, ſed tantùm formaliter tenetur, ita vt in omni volito iuſtitiam diuinam, & bonum diuinum & commune, voluntatemq́ Dei velit fieri.

32. Actus exterior bonitatis vel malitiæ actui interiori, & ſimiliter ſequens per ſe euentus aliquid addit.

Actus enim exterior bonus vel malus dupliciter dici poteſt. Vno modo ex ordine ad finem: Et ſic bonitatem vel malitiam totam à voluntate habet, cuius finis eſt proprium obiectum, vnde in ea primò hæc bonitas vel malitia reperitur. Alio modo ſecundum genus ſuum & circumſtantias: Et ſic bonitatem vel malitiam à ratione obtinet, vnde non totam bonitatem vel malitiam à voluntate habet. Si enim nullam aliam haberet malitiam vel bonitatem, niſi ex ordine ad finem, tunc eadem eſſet bonitas vel malitia actus exterioris & interioris, quæ à tota voluntate dependet. Vnde actus exterior nihil bonitatis vel malitiæ actui interiori adderet. Verùm quando bonitatem vel malitiam ex genere & circumſtantijs capit, aliquid addit, quia voluntati velut terminus comparatur, & inclinatio ſeu motus per hoc, quod conſequitur finem vel attingit terminum, perficitur. Non eſt ergo perfecta voluntas, quæ opportunitate

Pp 5 data

data non operatur. Sin autem opportunitas deſit & operetur, ſimpliciter futurum inuoluntarium, & ſic nihil præmij vel pœnæ demendum. Euentum quoq; conſequentem, ſi præuiſus fuerit, addere, clarum eſt: Nam quantò quis ex ſuo opere plura bona, vel plura mala ſecutura nouit & facit: Tantò plus voluntas eius ordinata vel inordinata eſt. Idem, ſi ex opere per ſe ſequatur, dicendum. Melior enim eſt actus vel peior, ex quo plura bona vel plura mala ſequuntur. Sin autem aliquid per accidens conſequatur, nil addit. Eorum enim, quæ per accidens fiunt, nullum iudicium.

33. Vnus actus in genere naturæ bonus: in genere verò moris malus eſſe poteſt.

Nihil enim illud, quod eſt vnum in vno genere, plura eſſe, ſecundum quod ad aliud genus refertur, prohibet. Sic ſuperficies in genere quantitatis eſt vna: in genere autem qualitatis, ſi ſit partim alba & partim nigra, pluralis. Vnde ſi quis eccleſiam adeundo, primò bonam voluntatem, & poſtea malam habeat: illa ambulatio vna in genere naturæ, & pluralis in genere moris eſt. Actum tamen vnum in genere moris bonum & malum eſſe, impoßibile eſt.

34. Actus humanus, in quantum bonus vel malus, rationem rectitudinis vel peccati, laudis vel culpæ etiam apud Deum habet.

Pecca-

Peccatum enim propriè in iÿs, quæ propter finem agunt, euenit, cùm debito ordine ad finem deſtituuntur. Ordo hic eſt ſecundum aliquam regulam, quæ in naturalibus inclinatio naturalis, in moralibus autem ordo rationis & lex æterna exiſtit. Si igitur debitum ordinem ſecundum regulam obtinent, rectitudinem habere dicuntur. Laudabile autem vel culpabile, quod agenti imputatur, dicitur. Non imputatur autem alicui, niſi quod in poteſtate eius eſt, ſed id in voluntarijs reperitur. Nam homo dominium ſui actus tenet. Quia ergo omnis actus humanus vel eſt ſecundum rationem & legem æternam, vel contrà, & liberè à voluntate proficiſcitur, & ſemper in vſum vel noxam alterius cedit. Ad Deum quoq; qui vniuerſi curam gerit, referri, neceſſe eſt. Et tantum de actibus humanis.

DE PRINCIPIIS INTERIORIBVS Actuum humanorum in genere, hoc eſt, de habitibus.

LIBER TERTIVS.

Summa & diſpoſitio libri III.

Poſt

POſt conſiderationem actuum humanorum in genere, ſequitur conſideratio de habitibus, qui ſunt principia intrinſeca huiſmodi actuum. Diſponunt enim et habilitant potentias animæ ad agendū: Vnde de illis agitur in hoc libro, in genere tamen hoc ordine. Primò quidem autor de ſubſtantia eorum: Secundò de cauſſis tam generationis, quàm augmenti et corruptionis ipſorum: Et tertiò de diſtinctione eorundem pertractat. Circa primum quia ſubſtantia habitus cognoſcitur per eius definitionem, & ſubiectum, à quo dependet: ideo primò in 1 cōncluſione habitum definit, ex quo deducit eius neceſſitatem in 2. Secundò verò ſubiectū eius oſtendit, tam principale, quàm ſecundarium, in 3. Circa ſecundum primò declarat cauſſas generationis eius, quoad naturam quidem, in 4. quoad actus verò noſtros, in 5 & 6. Nam partim à natura, partim autem ex actibus generatur. Secundò cauſſam augmenti & diminutionis illius manifeſtat. Augmenti quidem ſeorſim, in 7 & 8. vtriuſque verò in 9. Tertiò cauſſam corruptionis eiuſdem declarat, quoad cauſſam per ſe, in 10. quoad cauſſam autem per accidens, in 11. Quoad tertium, primò habitus ex parte potentiæ diſtinguit in 12. Secundò ex parte obiecti

obiecti,in 13. Tertiò ex parte ipſorum habituum,in 14.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Habitus eſt perfecti ad optimum diſpoſitio.

Habitus enim ab habere dicitur,ſecundum quod res aliqua quodam modo ſe habere in ſemetipſa vel ad aliud bene vel malè ſumitur. Et quia modus rei, qui denotat rei determinationem ſecundum aliquam menſuram,eſt qualitas (Importat enim qualitas modum ſubſtantiæ) hinc eſt,quòd habitus hoc modo acceptus ſit qualitas, ſed non qualibet qualitas, ſed ea, quæ diſpoſitio dicitur, prout diſpoſitio pro genere ad diſpoſitionem accipitur. Hæc eſt qualitas facilè mobilis ad diſpoſitionem difficilè mobilem, quæ ſpeciali nomine habitus vocatur.Et ſic in definitione vtramq; diſpoſitionem comprehendimus. Nam & diſpoſitio, quæ facilè mobilis, eſt quodammodo habitus quidam imperfectus. Perfectum autem, quod iam ſecundum ſuam naturam conſtitutum in eſſe, id eſt, quod ad finem generationis peruenerit, nominamus. Vnde habitus habitudinem quandam ad naturam rei, iam in eſſe perfectam,importat,ſecundum quod per ipſum bene vel malè diſponitur,hoc eſt,ſecundum quod illi natura conuenit vel non conuenit. Et quia vlterius natura rei ad aliquem finem, vt ad opus vel ad operatum, ordinatur: ideo habitus diſpoſitio perfecti ad optimum definitur.

ſinitur. Nam habitus non ſolùm ordinem ad naturam rei, ſed etiam ex conſequenti ad operationem, in quantum eſt finis naturæ vel perducens ad finem, importat. Maximè autem & principaliter ordinem ad operationem infert, quando talis eſt naturæ diſpoſitio, quæ ſecundum ſe ordinem ad operationem habeat, vt cùm eſt potentiæ alicuius diſpoſitio, de cuius ratione eſt, vt principium actus ſit.

2. Habitus ſunt neceſſarij.

Cùm enim habitus diſpoſitionem quandam in ordine ad naturam rei & eius operationem vel finem denotet, ſecundum quem aliquid bene vel malè ad hoc diſponitur, tria ad ipſum requiruntur. Primò quidem, vt id, quod diſponitur, alterum ab eo, ad quod diſponitur, ſit, & ſe ad ipſum, vt potentia ad actum, habeat. Secundò vt id, quod eſt in potentia ad alterum, pluribus modis determinari & ad diuerſa poſſit. Tertiò vt plura ad diſponendum concurrant ſubiectum, ad vnum eorum, ad quæ eſt in potentia, quæ poſſunt diuerſimodè commenſurari, vt ſic bene vel malè ad formam & ad operationem diſponatur. Ex his ergo patet, in eo, quod nullo modo poteſt eſſe compoſitum, non quoq; exiſtere habitus, vt in Deo, nec in ijs, quæ ſunt ad vnum determinata, quia in illis fruſtra forent, cùm ſecundum ſuam naturam ſufficienter diſpoſita ſint. Eſt ergo in ijs, quæ non ſunt determinata ad vnum: Quæ ſi debent determinari ad

ad aliquod eorum, vt plura concurrant, requiritur, quæ diuerſimodè ad inuicem commenſurari poßint, vt dictum eſt, vt ſic ad illud bene vel malè, ſeu etiam meliùs vel peiùs diſponatur, vt eſt ſanitas, pulchritudo, & alia huiuſmodi. Ex quo ſequitur, ſimplices qualitates elementorum non eſſe habitus. Nam ſecundum vnum modum determinatum elementis conueniunt. Quia igitur plurima entia ſunt, ad quorum naturas & operationes plura concurrere, neceſſe, quæ diuerſis modis commenſurari poſſunt. Ideo, habitus eſſe, neceſſe eſt.

3. In anima principaliter, in corpore verò ſecundariò exiſtunt habitus.

Quia ad operationem corporis naturalem non requiritur habitus, ſed qualitas vel virtus naturalis ad vnum determinata: Sed operatio, quæ eſt ab anima per corpus, & eſt principaliter ipſius animæ, requirit aliquem habitum. In quantum enim corpus diſponitur & habilitatur ad promtè deſeruiendum animæ, ſic in eo dicitur eſſe habitus, vel etiam in quantum diſponitur, tanquã ſubiectum ad formam. Et hoc modo pulchritudo & ſanitas dicuntur habitus, licet non ita propriè, quia non habent corporis habitus difficilem tranſmutationem, imò faciliter propter mutabilitatem corporis tranſmutantur. In anima autem ſunt habitus non ſecundum eſſentiam, quaſi eſſentia diſponatur in ordine ad aliquam naturam, niſi fortè ad naturã ſuperiorem, vt infrà dicendum, ordinetur: Quia

ipſa

ipſa anima eſt forma humanæ naturæ perfectiua: Sed ſunt in potentijs animæ habitus in ordine ad operationem, non quidem in vegetatiua potentia, quia eſt determinata ad vnum, & non obedit rationi, ſed in ſenſitiuis appetitiuis præſertim, in quantum ex imperio rationis operantur, quia ſic bene vel malè diſponi poſſunt. In ſenſitiuis autem apprehenſiuis interioribus ſunt etiam habitus, prout rationi deſeruiunt, per quos homo bene memoratiuus, vel imaginatiuus, vel cogitatiuus appellari poteſt. Non ſunt tamen in apprehenſiuis habitus ita propriè, ſicut in appetitiuis, quia ratio accipit à ſenſu. Sed appetitus ſenſitiuus moueri ab appetitu rationis aptus eſt. In brutis quoq; ſecundum quod ab hominibus reguntur, poni quidam habitus ſolent, prout à ratione hominis quaſdam habent conſuetudines. In intellectu & voluntate nulli dubium eſt eſſe habitus, cùm diuerſimodè poßint ad agendum ordinari. In Intelligentijs autem infra Deum ſunt habitus aliquo modo, quia ſpeciebus ad intelligendum indigent, licet nunquam in pura ad illas exiſtant potentia, ſed in eis maximè habitus ad pertingendum ipſum Deum conſtituuntur. Sed de his aliàs dicetur. Itaq; quid ſit habitus, quale ſubiectum eius, qui finis, & cur habitus neceſſarij ſint, dictum.

4. Aliquis habitus naturalis eſt.

Aliquid naturale dicitur dupliciter, vel ſecundum naturam ſpeciei, vt homini eſſe riſibile, vel ſecundum naturam indiuidui, vt Socrati eſſe

ægrotabilem, ſanabilem. Et vtrunque poteſt eſſe naturale, dupliciter ſcilicet, vel totum a natura, vel partim à natura, & partim ab exteriori principio, vt cùm ſanatur aliquis virtute naturæ ſolum, vel etiam beneficio artis medicæ. Habitus ergo, qui eſt diſpoſitio in ordine ad naturam vel formam, eſt naturalis modis omnibus. Eſt enim quædam diſpoſitio corporalis, quæ ad humanam naturam, & quædam, quæ ad Socratis formam requiritur. Et eſt à principio intrinſeco & extrinſeco. Similiter in intelligentijs habitus ſunt totaliter à natura, ſed in hominibus ſunt partim à natura, partim ab extrinſeco principio. In apprehenſiuis enim potentijs eſt naturalis habitus principiorum ſecundum inchoationem, quantum ad intellectum, qui pertinet ad totam ſpeciem. Et quia cognitio primorum principiorum ex ſenſu procedit, contingit etiam, quòd ſecundum naturam indiuidui habitus ſit naturalis, in quantum vnus homo ex diſpoſitione organorum eſt magis aptus ad bene intelligendum, quàm alius. In appetitiuis verò non eſt aliquis habitus naturalis ſecundum inchoationem ex parte ipſius animæ, quantum ad ſubſtantiam habitus, ſed ſolùm quantum ad principia quædam ipſius, ſicut principia iuris communis dicuntur eſſe ſeminaria virtutum, quia inclinatio ad obiecta propria, quæ videtur eſſe inchoatio habitus, non pertinet ad habitum, ſed ad ipſam rationem potentiarum, ſed bene ex parte corporis, prout ratione temperamenti corporis,

quidam ad hanc, alij ad illam virtutem, ſecundum indiuidui naturam inclinati ſunt.

5\. Ex actibus habitus cauſſatur.

Omne enim, quod patitur & mouetur, ab alio diſponitur per actionem agentis. Vnde ex multiplicatis actibus generatur quædam qualitas in potentia paſſiua, & mota, quæ habitus nominatur. In agente ergo, in quo eſt ſolum principium agendi, id eſt, quod eſt ſolum principium actiuum ſui actus, non poteſt habitus generari ex multiplicatis actibus, velut de igne patet. Vnde res naturales alicui aſſueſcere & deſueſcere nequeunt. In quo autem principium actiuum & paſſiuum ſui actus fuerit, in eo ex multiplicatis actibus habitus generari poterit. Hoc autem habet anima intellectiua. Nam in ea vis appetitiua ab apprehenſiua mouetur: Et intellectus, in quantum de concluſionibus ratiocinatur, à ſeipſo, ſecundum quod in ſe principia per ſe nota habet, mouetur. Vnde habitus virtutum moralium in appetitiuis potentijs, prout à ratione impelluntur, & habitus ſcientiarum in intellectu, ſecundum quod à primis propoſitionibus mouentur, cauſſantur.

6\. Per vnum actum ſolum habitus communiter non generatur.

Vt enim aliqua qualitas per agens paſſo ingeneretur, agens totaliter vincat paſſum oportet. Appetitiua autem virtus non poteſt totaliter per vnum actum rationis vinci, ita vt determinatè per modum naturæ ad idem feratur, vt experientia docet.

docet. Similiter nec quantum ad vires inferiores apprehenſiuas, id eſt, quantum ad intellectum paſſiuum, qui eſt ratio particularis, vis ſc. cogitatiua, memoratiua, & imaginatiua, ratio non poteſt per vnum actum imprimere habitum. Neceſſarium eſt enim plures actus iterari, vt aliquid memoria retineatur. Habitus quoq; opinionis non ex vna propoſitione vel ratione probabili generatur, ſed quoque pluries actum repetere oportet. Verùm habitus ſcientiæ ex vna demonſtratione cauſſari poteſt, quia a demonſtratione vna poteſt intellectus totaliter conuinci. Similiter habitus corporales quandoq; ex vno actu, ſi actiuum magnæ virtutis ſit, cauſſantur. Valida enim medicina quandoq; ſtatim ſanitatem inducit.

7. Augmentum habituum diuerſimodè fit.

Augmentum enim habituum, ſicut & aliarum formarum, ab augmento quantitatum tractum eſt. Quod verò in quantitatibus ſecundum magnitudinem materialem, id in qualitate ſecundū perfectionem intelligitur. Augmentum igitur formarum poteſt conſiderari vel ex parte formæ, vel ex parte ſubiecti, id eſt, quia forma ſecundum ſe poteſt augeri vel minui, vel quia ſubiectum eam magis vel minùs participare poteſt. Sciendum igitur, illud, ſecundum quod aliquid ſortitur ſpeciem, eſſe fixum, conſiſtens, & quaſi indiuiſibile oportere: Et quicquid illud attingat, ſub ſpecie contineri: Quicquid verò ab illo recedat, ad illam ſpeciem non pertinere, ſiue plus ſiue minus ab

illo recedat. Nam ſpecies velut numeri ſunt. Formæ ergo, quæ non recipiunt ſpeciem in ordine ad aliquid, ſed ſecundum ſe, vel ſecundum aliquid ſui, habent ſecundum ſe determinatam rationem, quæ nec plus nec minus excedere poteſt. Harum ergo quædam ſunt tales, vt ſecundum eas, ipſas participans ſuam ſpeciem habeat: Et hæ formæ ſubſtantiales ſunt. Quædam verò ſunt, de quarum ratione eſt indiuiſibilitas: Unde participans illas, eas ſecundum rationem indiuiſibilitatis participet, oportet, vt ſunt ſpecies numeri & figurarum. Et tales formæ magis & minùs, nec ſecundum ſe, nec ſecundum participationem ſubiecti, ſuſcipiunt: In indiuiſibili enim conſiſtunt. Quædam autem ſunt, quæ non ſpeciem in ordine ad aliud recipiunt: ſed tamen quia à ſubſtantia & quantitate elongantur, etſi ſecundum ſe in indiuiſibili conſiſtunt, non tamen ſpeciem ſubiecto tribuunt, nec de ratione earum eſt indiuiſibilitas. Vnde tales quamuis non poſſint in ſe ſuſcipere magis & minùs: tamen ſecundum participationem ſubiecti ſuſcipiunt: Quia poſſunt participari ſecundum magis vel minùs à ſubiecto, ſecundum quod magis vel minùs in ſubiecto radicantur, vel accipiunt magis vel minùs dominium ſupra ſubiectum. Formæ verò, quæ ſpeciem in ordine ad aliud recipiunt, ſecundum ſe diuerſificari in plùs & minùs poſſunt, & nihilominus eadem ſpecie propter vnitatem eius, ad quod ordinantur, ex quo recipiunt ſpeciem, exiſtunt. Sic motus ſecundum

ſe

ſe eſt intenſior & remiſsior, & tamen eiuſdem ſpeciei propter vnitatem termini, ex quo ſpeciem capit, eſt. Idem quoq; in ſanitate conſiderari poteſt, ad cuius rationem pertingit corpus, ſecundum quod illa habet diſpoſitionem conuenientem naturæ animalis, cuius diuerſæ diſpoſitiones eſſe queunt. Vnde ſanitas in plus & minus, remanente ratione ſanitatis, variari poteſt. Non enim eſt eadem in omnibus commenſuratio, nec etiam in eodem ſemper, niſi quis fortè nomen ſanitatis perfectiſsimæ commenſurationi impoſitum eſſe, diceret. Itaq; cùm habitus & diſpoſitiones ſecundum ordinem ad aliquid dicantur, dupliciter in eis intenſio & remiſsio eſſe poteſt. Vno modo ſecundum ſe, vt dictum eſt in ſanitate. & patet etiam in ſcientia, quæ maior vel minor, ſecundum quod ad plura vel pauciora ſe extendit, dicitur. Alio modo ſecundum participationem ſubiecti, prout æqualis ſcientia magis in vno, quam in alio, ſecundum diuerſam aptitudinem, vel ex conſuetudine, vel ex natura incipitur. Non enim habitus & diſpoſitio ſubiecto ſpeciem largiuntur, nec in ſui ratione indiuiſibilitatem includunt.

8. Augmentum habituum per additionem & abſque additione fieri poteſt.

Quidam enim eorum per additionem augentur, non quidem quantum ad participationem ſubiecti, ſed magis ſecundum quandam extenſionem, vt cùm augetur ſcientia, quia ad plura extenditur: Sicut cùm augetur motus, quia ei aliquid de

via,per quam fit, additur; ſed quantum ad intenſionem & remiſsionem, ſecundum participationem ſubiecti augetur. Formæ verò, quæ ſecundum ſe non augentur, ſed tantùm per participationem ſubiecti, per additionem non augentur, quia hoc foret ex parte ſubiecti. (Non enim poteſt eſſe ex parte formæ, quia talis additio ſpeciem variat) Et dupliciter poteſt hoc contingere: Vel quia pars aliqua ſubiecti recipit formam, quam priùs non habebat, vel quia aliud ſubiectum additur priori, eandem formam participans. Sed ſecundum hos duos modos non fit magis aliquid tale, ſed maius. Nullo ergo modo per additionem tale augmentum exiſtit. Et ſimiliter in habitibus corporalibus, vt in ſanitate & pulchritudine non fit aliquid magis vel minùs tale per additionem: Quia nullum animal dicitur ſanum ſimpliciter vel pulchrū, niſi ſecundum omnes partes ſuas, ſed fit hæc intenſio per tranſmutationem ſimplicium qualitatum, quæ non niſi ſecundum intenſionem ex parte ſubiecti participantis augentur.

9. Aliqui actus correſpondentes habitui augent habitum, aliqui diminuunt, aliqui verò diſponunt.

Si enim intenſio actus proportionaliter intenſioni habitus reſpondeat, ita vt æquetur ei vel ipſum excedat: ita quilibet actus augebit habitum, vel ad ipſius augmentum diſponet. Sic enim paſsiuum fortiùs ab actiuo vincetur, & ei magis dominabitur actiuum. Si autem intenſio actus

actus ab intenſione habitus deficiat, talis actus non ſolùm non diſponet ad intenſionem habitus, ſed etiam diminuet, vel ad diminutionem diſponet, vt cum quis negligenter operatur. Eſt enim talis actus aliquo modo contrarius habitui, velut minus album contrariari magis albo dicitur.

10. Habitus generati poſſunt eſſe corrupti.

Dupliciter enim aliqua forma corrumpitur: Vno modo per ſe, id eſt, à ſuo contrario. Alio modo per accidens, id eſt, ex corruptione ſubiecti. Habitus igitur corporales, vt eſt ſanitas & pulchritudo, vtroque modo poſſunt corrumpi, quia habent contrarium, & ſubiectum eorum eſt corruptibile. Habitus autem ſcientiæ, qui principaliter eſt in intellectu poßibili, ſecundariò verò in viribus apprehenſiuis ſenſitiuis, ex parte intellectus non poteſt corrumpi per accidens, ſed ſolùm ex parte virium apprehenſiuarum ſenſitiuarum. Si igitur habitus intellectus ſit in intellectu poßibili, immediatè ab intellectu agente cauſſato per abſtractionem ſpecierum intelligibilium, talis habitus eſt incorruptibilis per ſe, & etiam per accidens, quia ſpecies intelligibiles non habent contrarium, nec ſecundum ſe, nec ex parte cauſſa, ſc. intellectus agentis, & ſubiectum eſt incorruptibile. Et hic eſt habitus primorum principiorum, tàm in ſpeculatiuis, quàm in practicis ſcientijs: Nulla enim obliuione vel deceptione corrumpi poſſunt. Si autẽ ſit cauſſatus ex ratione procedente à principijs ad

poterit per ſe corrumpi, vel per contrarietatem propoſitionum, ex quibus cauſſatus eſt talis habitus, vel per ſophiſmaticum & contrarium proceſſum rationis. Et eadem eſt ratio de alijs virtutibus intellectualibus. Habitus autem, qui ſunt in parte appetitiua, ex eo cauſſantur, quòd ratio nata eſt partem appetitiuam mouere, vnde per iudicium rationis, in contrarium mouentis quocunq; modo, ſiue ex ignorantia, ſiue ex paßione, vel etiam ex electione habitus virtutis vel vitij, corrumpitur. Et ſicut ex eadem cauſſa augentur habitus, ex qua generantur: ita etiam ex eadem cauſſa diminuuntur, ex qua corrumpuntur. Vnde ſicut habitus corrumpi: ita quoq; diminui poſſunt.

11. Habitus corrumpi & diminui per ſolam ceſſationem ab opere poſſunt.

Ceſſatio enim ab opere eſt cauſſa corruptionis ipſius habitus per accidens, id eſt, in quantum remouet prohibens corruptionem, quod eſt ipſe actus, qui contraria remouet, quæ quidem ſubcreſcunt per temporis actum, dum actus remoueatur. Habitus enim hominem promtum ad operandum reddit. Cùm igitur ceſſatur ab opere, neceſſe eſt, vt multæ operationes & paßiones præter modum virtutis ex inclinatione appetitus ſenſitiui & aliorum, quæ exterius mouent, proueniant, & ſimiliter ex parte intellectus imaginationes extraneæ, & aliquando ad contrarios habitus ducentes, exurgunt. Vnde fit, vt homo minùs idoneus ad operandum & iudicandum exiſtat.

In

12. In vna potentia multi habitus eſſe poſſunt.

Habitus enim ſunt diſpoſitiones quadam alicuius exiſtentis in potentia ad aliquid ſiue ad naturam, ſiue ad operationem vel finem naturæ. De habitibus ergo, qui ſunt diſpoſitiones ad naturam, manifeſtum eſt, quòd poßint eſſe plures in eodem ſubiecto, eò quòd vnius ſubiecti poſſunt diuerſimodè partes accipi, ſecundum quarum diſpoſitiones habitus dicuntur. Similiter etiam ſi loquamur de habitibus, qui ſunt diſpoſitiones ad operationem, quia pertinent ad potentias paßiuas tantùm: In vna autem potentia paßiua poſſunt eſſe plures habitus. Sicut enim materia prima determinatur ad vnam formam per vnum agens: ita etiam potentia paßiua à ratione vnius obiecti actiui determinatur ad vnum actum ſecundum ſpeciem. Vnde ſicut plura obiecta poſſunt mouere vnam potentiam paßiuam: ita vna potentia paßiua poteſt eſſe ſubiectum diuerſorum actuum, vel perfectionum diuerſarum, ſecundum ſpeciem. Habitus autem ſunt qualitates ſeu potentiæ perfectiones, quibus determinatur potentia ad determinationem actus ſecundum ſpeciem. Vnde ſicut ad vnam potentiam poſſunt plures actus pertinere ſpecie differentes: ita & plures habitus.

13. Habitus diſtinguuntur multipliciter.

Cùm enim habitus ſit forma quædã, & diſtinctio formarum ſit ſecundum principia actiua diuerſa,

eò quòd omne agens faciat ſibi ſimile ſecundum ſpeciem: Iccirco habitus, in quantum ſunt formæ quædam, ſecundum principia actiua ipſorum diſtinguuntur. Habitus quoq. in quantũ eſt habitus, ad aliquid ordinatur, id eſt, vel ad naturam, vel ad corpus. Omnia autem, quæ dicuntur in ordine ad aliquid, ſecundum diſtinctionem eorum, ad quæ dicuntur, diſtinguuntur. Et ideo habitus etiam diſtinguuntur ſecundum ordinem ad naturam, vt ſcilicet ille habitus dicatur bonus, qui diſponit ad actum naturæ conuenientem: Malus verò ille, qui diſponit ad contrarium. Similiter quoq. ſecundum obiecti ſpecie differentia: Et pariter ſecundum diuerſam ad naturam conuenientiam diſtinguuntur. Nam habitus vnus ad naturam & actum naturæ inferiori conuenientem, & habitus alter ad actum naturæ ſuperiori conuenientem diſponit. Differt enim ab humana virtus diuina & heroica.

14. Habitus eſt ſimplex qualitas, non ex pluribus habitibus conſtituta.

Quia enim habitus eſt quædam perfectio potentiæ, & omnis perfectio proportionatur ſuo perfectibili: Hinc eſt, quòd ſicut vna potentia ad multa ſe extendit, ſecundum quod conueniunt in vna generali ratione obiecti: ita etiam vnus habitus ad multa ſe, ſecundum vnam rationem, vel vnam naturam, vel vnum principium, extendere poteſt. Quia ergo multiplicitas hæc ad vnum ordinata eſt, ad quod principaliter habitus reſpicit: Hinc dato, quòd licet habitus ad multa ſe exten-

extendat, vna tamen qualitas ſimplex habitus ſit. Ergo & virtutes propriè non ex aliquibus partibus integralibus componuntur, ſed bene ſub ſe habent partes ſubiectiuas et potentiales, vt infrà patebit. Vnde nõ generantur nec augentur habitus: ſed primò ſunt in ſubiecto imperfectè, et poſtea perficiuntur. Si quiſpiam habens ſcientiam vnius concluſionis acquirat ſcientiam alterius, non iam acquirit nouum habitum, ſed habitus, qui priùs inerat, fit perfectior, & ad plura ſe extendit. Et hæc de habitibus dicta ſint.

DE VIRTVTIBVS IN GENERE.

LIBER QVARTVS.

Summa & diſpoſitio libri IIII.

QVia ſpecialis conſideratio generalem ſequitur: ideo, poſt determinationem de habitibus in genere, autor de illis, agendo de virtutibus, in ſpecie tractat. Nam virtutes ſunt quidam habitus. Et quia ſemper à communioribus in vnaquaque materia incipiendum, in hoc libro de virtutibus in genere agit, de quibus quinque ordine determinat, ſcilicet naturam ſeu ſubſtantiam, ſubiectum, diſtinctionem, cauſſam, & earum proprietates. Primum horum in

in 1. concluſione, definitionem communem virtutis conſtituendo, declarat. Secundum oſtendit in 2 & 3. quoad potentias animæ in genere: In ſpecie verò, quoad intellectum, in 4. quoad appetitum ſenſitiuum in 5. quoad vires ſenſitiuas in 6. quoad voluntatem in 7. Omnes enim hæ potentiæ eſſe aliquo modo ſubiectum virtutis poſſunt. Circa tertium primò de diſtinctione virtutum intellectualium differit, & ratione illarum, quæ ſunt in intellectu ſpeculatiuo, in 8. quæ verò in practico, in 9. Sic enim inuicem diſtinguuntur. Secundò de diſtinctione virtutum moralium, circa quas quatuor docet, agit. Et primò quidem, quomodo ſe ad intellectuales habeant, quoad diſtinctionem ab illis, in 10. quoad partitionem virtutis humanæ, vnà cum illis, in 11. & quoad inſeparabilitatem ab vna illarum, ſc. prudentia, in 12. Secundò, quomodo ſe ad paſsiones, circa quas pro maiori parte verſantur, habeant, quoad diſtinctionem ab illis, in 13. quoad coniunctionem vel ſeparationem, in 14. ſubdens, non omnes eſſe circa illas, in 15. Tertiò pluralitas earum in 16 declaratur. Quartò inter eas principalitas, quæ in 17 ponitur, in qua, quatuor eſſe principales, quæ cardinales dicuntur, oſtenditur. Quartò cauſſam virtutis in 18 determinat. Quintò autem de tribus proprietatibus virtutum pertractat. Primò quidem de medio, in quo

quo virtus conſiſtat, in 19. 20. Secundò de earũ ad inuicem connexione in 21. Tertiò de æqualitate & inæqualitate ipſarum, comparando vnam alteri generaliter, in 22. comparando morales inter ſe in 23. morales intellectualibus conferendo in 24. & ſubiungendo, quæ ſit vtrarumque potiſsima, in vltima.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Virtus eſt habitus bonus mentis, quo rectè viuitur, & quo nullus malè vtitur, quem Deus in nobis operatur.

Virtus enim quandam potentiæ perfectionem denotat. Vniuſcuiuſq. verò perfectio in ordine ad finem ſuum conſideratur, et finis potentiæ eſt actus. Illæ ergo potentiæ, quæ naturaliter ad ſuos actus determinãtur, vt ſunt potentiæ naturales, virtutes vocantur. Rationalis verò ad ſuum actum per habitum refertur. Humanæ igitur virtutes habitus ſunt. Quia autem virtus eſt perfectio, virtus cuiuſlibet rei ad vltimum determinetur, oportet. Hoc autem eſſe bonum, neceſſe eſt, quia malum infert defectum, & non virtutem. Ideo virtus cuiuſlibet rei in ordine ad bonum dicitur: Unde, virtutem humanam habitum eſſe bonum, ſequitur. Et quia virtus humana, de qua loquimur, nec ad corpus pertinere, nec ad aliquas vires, quæ ſunt animæ & corpori communes, ſed ſolùm ad illud, quod eſt homini proprium, id eſt, ad rationem, poteſt: Iccirco cùm virtus perfectionem potentiæ inferat, virtus humana perfectionem potentiæ in ordine ad eſſe,

in quo homo cum aliꝭs communicat, inferre nequit. Ergo perfectionem potentiæ ad agere importabit. Unde habitum bonum operatiuum eſſe ſequitur. Quia autem virtus eſt accidens, non poteſt habere materiam ex qua, ſed bene materiam circa quam & in qua. Verùm quia materia circa quam eſt obiectum, quod habitum ad ſpeciem determinat: Hic autem virtus in genere definitur: in eius definitione poni hæc materia non potuit, ſed loco eius, cùm dicitur, quòd ſit habitus mentis, materia in qua ponitur. Cùm autem dicitur: Quo rectè viuitur: *Quòd ſit habitus operatiuus, oſtenditur, atq; habitus vitioſus, qui ſemper ad malum inclinat, excluditur. Et cum additur:* Quo nullus malè vtitur: *habitus opinionis, qui quandoque inclinat ad verum, quandoq; ad falſum, tollitur: Et aliꝭ habitus, ſi qui ſunt, qui quandoq; ad bonum, quandoq; ad malum inclinant, remouentur. Virtute autem nemo malè vti, tanquam principio vſus, ita vt malus ſit actus virtutis, ſed bene tanquam obiecto, poteſt: Vt cùm vel eam odit, vel de ea ſuperbit. Et quamuis ratio principium & cauſſa efficiens virtutis ſit: Tamen Deus prima cauſſa eius, & magis quàm nos exiſtit. Nam virtutes aliquando in nobis abſq; nobis operantur. Atq; ſic cauſſam formalem, cùm diximus,* habitus bonus, *tetigimus: Genus enim & differentiam poſuimus. Materialem per vocabulum mentis, finalem per operationem intellexímus: Efficientem verò Deũ ipſũ nominauimus. Et ſic perfectã virtutis definitionẽ abſoluimus. Vx-*

2. Virtus in potentia animæ, tanquam in ſubiecto, exiſtit.

Eſt enim perfectio potentiæ. & perfectio eſt in eo, cuius eſt perfectio. Eſt etiam habitus operatiuus. Anima autem per potentias operatur. Item eſt diſpoſitio perfecti ad optimũ, quod eſt operatio, vel aliquid per operationem, à potentia egredientem, conſecutum. Eſt igitur ſubiectiuè in potentia animæ.

3. Vna virtus in duabus potentijs æqualiter eſſe non poteſt.

Diuerſitas enim potentiarum ſecundum conditiones generales obiectorum: Diuerſitas autem habituum ſecundum ſpeciales attenditur. Iccirco vbicunq; eſt diuerſitas potentiarum, eſt diuerſitas habituum, ſed non econuerſo. Non ergo poteſt vna virtus eſſe in duabus potentijs æqualiter: Sed bene poteſt eſſe in vna principaliter, & in alijs per modum cuiuſdam diffuſionis vel diſpoſitionis, ſecundum quod vna potentia ab altera mouetur.

4. Intellectus ſubiectum virtutis eſſe poteſt.

Virtus enim eſt, quæ bonum reddit habentem, & opus eius bonum, vt ex dictis patet. Ergo virtutem ſimpliciter dictam non ſolùm facultatem bene agendi dare, ſed etiam rectè vtentem facultate efficere oportet. Quia ergo voluntas omnes potentias, quæ aliqualiter rationales ſunt, ad ſuos actus, vt ſupra dictum, mouet: ideo inde, quòd homo bonam habet voluntatem

tem, rectè eum agere, ſequitur. Virtus ergo omnis, quæ bonum facit habentem, & opus eius reddit bonum, aut eſt in voluntate, aut in aliqua potentia, prout eſt à voluntate mota. Intellectum autem moueri à voluntate contingit: Et ideo ſubiectum virtutis ſimpliciter dictæ eſſe poteſt, vt intellectus ſpeculatiuus fidei, cui per voluntatem aſſentit, de qua aliàs loquemur, & practicus prudentiæ, ad quam, vt homo rectè ſe habeat ad finem per rectitudinem voluntatis, requiritur. Alij verò habitus ſcientiarum & artium, quamuis facultatem rectè operandi præbeant: non tamen ſemper rectam operationem efficiunt, nec ordinem ad voluntatem habent, vnde ſecundum hos nemo ſimpliciter bonus dicitur, vnde nec ſimpliciter virtutes ſunt.

5. Iraſcibilis & concupiſcibilis ſunt ſubiecta virtutum.

Iraſcibilis enim & concupiſcibilis, prout à ratione mouentur, ſic rationem aliquo modo participant. Actus autem, qui progreditur ab humana potentia, ſecundum quod eſt ab alia mota, non poteſt eſſe perfectus, niſi vtraq; potentia ſit bene ad actum diſpoſita. Et ideo neceſſe eſt, in iraſcibili & concupiſcibili, vt à ratione mouentur, eſſe aliquam diſpoſitionem ſeu habitum ſecundum conformitatem ad rationem, vt perfectus ſit actus potentiarum iſtarum, prout à ratione mouentur. Et ideo virtus iſtarum potentiarum nihil aliud eſt, quàm

quædam

quædam habitualis ad rationem conformitas. Sunt ergo ſubiectum virtutis.

6. In viribus ſenſitiuis apprehenſiuis propriè virtus non eſt.

Quamuis enim in viribus interioribus apprehenſiuis aliquis habitus per modum cuiusdam conſuetudinis, vt maximè patet in memoria, eſſe videatur: Tamen huiusmodi conſuetudo non eſt habitus per ſe, ſed aliquid annexum partis intellectiuæ habitibus. Et poſito, in talibus viribus eſſe quoſdam habitus, hi tamen virtutes dici non poſſunt: Quia virtus ſemper eſt in illa potentia, quæ eſt conſummatiua boni operis, cùm ſit habitus perfectus, quo non niſi bonum operari contingit. Unde etiam in appetitu ſenſitiuo, prout à voluntate mouetur, bonum opus conſummatur, ſed in huiusmodi viribus cognitio veri vel falſi non impetratur, imò potiùs in intellectu. Nam huiusmodi vires magis intellectum mouent, quàm vt ab eo moueantur, ſuntq́ quaſi præparatoriæ ad cognitionem intellectiuam. In ſenſibus autem exterioribus, & in viribus animæ vegetatiuæ, cùm non ſint habitus, neq; virtutes eſſe, clarum eſt. Quia determinatæ ad vnum ſunt, & nequaquam imperio rationis ſubijciuntur.

7. Voluntas eſt ſubiectum virtutis.

Potentia enim ad bene agendum tunc habitu perficiente indiget, quando ad hoc propria ratio eius, quæ conſiſtit in ordine ad obiectum, non ſufficit. Cùm igitur obiectum voluntatis ſit bonum

rationis ſibi proportionatum, quantum ad hoc voluntas aliqua virtute non eget: Per naturam enim propriam in id, quod ſibi bonum eſt ſecundum rationem, tendit: Vnde ad moderandum paſſiones iraſcibilis & concupiſcibilis non aliquo habitu indiget, cùm ad id ipſa cum ratione ſufficiat. Vnuſquiſque enim hoc modo contendere in id, quod eſt bonum ſibi, abſque alio habitu in voluntate exiſtente, valet: Sed bene, aliquam virtutem perficientem, reſpectu boni proportionem volentis excedentem, in ea eſſe, neceſſe eſt, velut eſt bonum diuinum, vel bonum proximi. Et ideo virtutes, quæ affectum hominis in Deum & proximum ordinant, quemadmodum charitas & iuſtitia in voluntate, tanquam ſubiecto, exiſtunt.

8. Tres ſunt virtutes intellectus ſpeculatiui inuicem diſtinctæ.

Quia habitus intellectus ſpeculatiui facultatem ad bonum peragendum præbent, licet non vſum conferant, eò quòd vſus ad appetitiuam potentiam pertineat. Idcirco virtutes aliquo modo, licet non ſimpliciter ſint, dicuntur. Per has ergo virtutes intellectus ad cognoſcendum verum perficitur. Si ergo ad cognoſcendum verum tanquam per ſe notum: Tunc habitus ita perficiens intellectus dicitur: Hoc enim verum ſtatim ab intellectu percipitur. Si autem verum per aliud notum eſt: tunc vel eſt vltimum reſpectu cognitionis humanæ, quod ſecundum ſe eſt notiſſimum, ſed nobis per aliud notum: Et ſic habitus ſapien-

ſapientiæ, quæ verſatur circa altiſſimas cauſſas, perficit: Vel eſt vltimum in hoc vel illo genere cognoſcibilium, & ad id ſcientiæ habitus perducit. Vnde ſecundum diuerſa genera ſcibilium diuerſi habitus ſcientiarum exiſtunt, cùm tamen ſapientia non ſit, niſi vna. Si quis ergo rectè conſideret, hæ tres virtutes non ex æquo ab inuicem diſtinguuntur, ſed ordine quodam: Quia ſcientia ab intellectu, velut à principaliori, dependet, & vtrumq; à ſapientia, tanquam à principaliſſimo, quæ ſub ſe continet & intellectum & ſcientiam, de concluſionibus ſcientiarum & earundem principijs ſententiam dicens.

9. Prudentia eſt virtus intellectus practici, alia ab arte.

Ars enim eſt recta ratio aliquorum operum faciendorum, quorum tamen bonum non conſiſtit in eo, vt appetitus humanus aliquo modo ſe habeat: ſed in hoc, vt opus in ſeipſo bonum ſit. Vnde ars rationem virtutis, ſicut etiam habitus ſpeculatiui, habet, quia facultatem bene operandi confert, ſed non vſum, cùm non reſpiciat appetitum. Prudentia verò etiam vſum tribuit. Nam eſt recta ratio agibilium, id eſt, actuum humanorum, qui ſunt vſus potentiarum, quorum principia ſunt fines. Et ideo ad prudentiam requiritur, vt homo ſit bene circa fines diſpoſitus, quod non niſi per virtutes morales euenit. Ars ergo eſt circa factibilia, & in exteriorem materiam tranſit, nec appetitũ rectum requirit: Prudentia

verò circa agibilia verſatur, & rectitudinem appetitus poſtulat.

10. Virtus moralis ab intellectuali diſtinguitur.

Virtus enim moralis à more dicitur, prout mos quandam inclinationem naturalem, vel quaſi naturalem ad aliquid agendum ſignificat: Sicut dicimus, aliqua bruta aliquem morem habere, & homines more leonum in hoſtes irruere. Huic ſignificationi alia, qua mos conſuetudinem importat, vicina. Nam conſuetudo in naturam vertitur: Inclinatio autem ad appetitiuam virtutem pertinet, cuius eſt omnes potentias ad agendum mouere. Et ideo propriè virtus moralis ſolùm illa, quæ eſt in appetitiua potentia, dicitur. Quia ergo appetitus ſenſitiuus non obedit rationi abſq; contradictione: Neceſſe eſt, ad id, vt homo bene agat, ita, vt non ſolùm ratio ſit bene per habitum virtutis intellectualis, ſed etiam vt vis appetitiua per habitum virtutis moralis diſpoſita. Sicut ergo appetitus à ratione: ita & virtus moralis ab intellectuali diſtinguitur.

11. Virtus humana ſufficienter per moralem & intellectualem diuiditur.

Virtus enim humana hominem ad bene operandum perficit. Duo autem ſunt principia humanorum actuum in homine, ſc. ratio & appetitus. Omnem ergo virtutem humanam alicuius iſtorum principiorum perfectiuam eſſe oportet. Virtus autem perfectiua intellectus, intellectualis

lis; ipſius verò appetitus perfectiua moralis eſt. Ergo in moralem & intellectualem virtus humana ſufficienter diuiditur.

12. Virtus intellectualis, quæ eſt prudentia, non ſine morali, nec moralis abſque prudentia & intellectu eſſe poteſt.

Quòd enim virtus moralis eſſe ſine aliquibus intellectualibus, vtputa, ſine ſcientia, ſapientia & arte poßit, clarum eſt, & econuerſo. Sed ſine intellectu & prudentia eſſe non poteſt, eò quòd virtus eſt habitus electiuus, id eſt, faciens bonam electionem, ad quam primò debita intentio finis requiritur, quod fit per virtutem moralem, quæ vim appetitiuam ad bonum conueniens rationi, quod eſt finis debitus, inclinat. Secundò, vt homo rectè ea, quæ ſunt ad finem, accipiat, exigitur: quod non fit, niſi per rationem rectè conſulentem, iudicantem & præcipientem, quod pertinet ad prudentiam, vt infrà videbimus. Virtus ergo moralis ſine prudentia eſſe non poteſt. Prudentia autem cognitionem primorum principiorum in rebus agibilibus, quæ per intellectum cognoſcuntur, præſupponit. Vnde ad virtutem moralem etiam requiritur intellectus. Quia autem prudentia eſt recta ratio agibilium, non in vniuerſali ſolùm, ſed etiam in particulari, eò quòd actiones ſunt in particularibus: non ſufficit, hominem rectè circa vniuerſalia diſponi, quia vniuerſale principium in particulari per aliquam paßionem corrumpi poteſt. Et ideo ipſum diſponi quoq; circa particula-

ria principia agibilium, quæ ſunt fines, oportet, vt rectè iudicare de fine ſciat. Vnde per aliquos habitus, ſecundum quos homini de fine rectè iudicare quodammodo fiat naturale, perficiatur, neceſſe. Nam qualiter vnuſquiſque diſpoſitus, taliter etiam de fine iudicat, taliſq; ſibi finis videtur. Et ideò prudentia abſque morali virtute, per quam homo ad rectè iudicandum de fine inclinatur, eſſe nequit.

13. Virtus moralis non eſt paſsio.

Non enim eſt motus, ſed habitus. Deinde paßiones indifferenter ſe habent ad bonum & malum: ſed virtus ſolùm ad bonum ſe habet. Non eſt igitur paßio.

14. Virtus moralis cum paſsione eſſe poteſt.

Si enim paßiones dicuntur inordinatæ affectiones, eſſe cum virtute nequeunt, ita vt poſt deliberationem eis conſentiatur, quia hæ ordinem rationis deſtruunt. Si verò dicantur affectiones à ratione regulatæ, ſic exiſtere in virtuoſo poſſunt. Vnde virtuoſus rationabiliter & laudabiliter ob ſua peccata præſentia vel præterita, vel etiam ob peccata aliorum contriſtatur & dolet. De ijs tamen, quæ virtuti conueniunt, triſtitia eſſe nequit.

15. Non omnis virtus moralis eſt circa paſsiones.

Virtus enim moralis partem appetitiuam perficit, ipſam in bonum rationis ordinando, vt ſc. ſit ſecundum rationem ordinata.

Ratio autem non ſolùm paßiones appetitus ſenſitiui, ſed etiam voluntatem, in qua non ſunt paſſiones, ſed operationes quædam, ordinat. Ergo virtus moralis etiã circa operationes eſt, & ſic abſq; paßione, velut iuſtitia, exiſtit. Sed virtutes morales, quæ ſunt circa paßiones, abſq; paßione eſſe nequeunt: aliter appetitũ omnino otioſum redderent. Verùm virtutis nõ eſt, vt ea, quæ ſunt rationi ſubiecta, à proprijs actibus vacent, ſed vt potiùs imperiũ rationis, proprios actus peragendo, exequantur.

16. Plures virtutes morales eſſe, neceſſe eſt.

Oportet enim alias eſſe virtutes circa operationes, & alias circa paßiones, eò quòd bonum in operationibus quibuſdam ſecundum ſe attenditur, hoc eſt, ſecundum rationem commenſurationis ad alterum, qualitercunque homo ad eas afficiatur: Et ideo aliquam virtutem talium operationum ſecundum ſeipſas, vt emtionis & venditionis, directricem eſſe oportet. In quibusdam verò operationibus, quæ ſunt interiores paßiones, bonum, ſecundum commenſurationem ad operantem, prout bene vel malè afficitur, attenditur. Et ſic rurſum, alias eſſe virtutes harum directrices, neceſſe eſt. Et quia in operationibus exterioribus ordo rationis, ſecundum conuenientiam rei in ſeipſa, inſtituitur, ſecundum quam ratio debiti accipitur, quod non eſt vnius in omnibus rationis, eò quòd aliquid aliter æquali, aliter verò ſuperiori, aliter autem inferiori

debetur. Hinc eſt, quòd ſecundum hanc diuerſitatem diuerſæ virtutes, vt religio, pietas, gratia, &c. ſumantur. Similiter quia appetibilia ſecundum rationis motum diuerſimodè ad eam ſe habent: Etiam circa paßiones & appetitum diuerſas virtutes, vt circa delectabilia venereorum & ciborum temperantiam, circa timores & audacias fortitudinem, circa iram manſuetudinem &c. eſſe oportet.

17. Quatuor ſunt virtutes cardinales.

Virtutes enim morales ſolæ dicuntur cardinales, quia ſunt perfectæ virtutes, eò quòd non dant ſolùm facultatem bene operandi, ſed etiam vſum, vt ſuprà dictum eſt. Cùm igitur principium formale virtutis ſit bonum rationis, hoc bonum ſecundum quod in ipſa rationis conſideratione conſiſtit, reſpicitur à prudentia, quæ eſt aliquo modo virtus moralis ſecundum materiam, quemadmodum ex dictis patet. Si autem hoc bonum circa operationes ponatur, iuſtitiam: Si verò ad reprimendam paßionem impellentem hominem ad aliquid contrarium rationi, temperantiam: Sin ad perſiſtendum in eo, à quo paßiones retrahunt, fortitudinem habebimus. Vnde prudentia eſt in ratione, iuſtitia in voluntate, temperantia in concupiſcibili, & fortitudo in iraſcibili. Et hæ principales dicuntur, tum quia omnes aliæ ad iſtarum generalem rationem reducuntur, tum quia circa principales materias verſantur. Prudentia enim eſt præceptiua. Bonum autem rationis inuenitur

maximè

maximè & principaliter in imperio,non autem in conſilio & iudicio. Iuſtitia eſt circa actiones debitas inter æquales: Temperantia circa delectationes tactus: Fortitudo verò contra pericula mortis obfirmat. Dicuntur etiam exemplares,eò quòd exemplariter inſint Deo, in quo prudentia eſt mens eius: Temperantia intentionis diuinæ ad ſeipſum conuerſio: Fortitudo immutabilitas: Iuſtitia, legis æternæ in ſuis operibus obſeruatio. Purgatoriæ quoq; nominantur in ijs,qui ad diuinam ſimilitudinem aſcendunt,dirigendo cogitationem ad ſolum Deum per prudentiam, & relinquendo vſus corporales,in quantum natura patitur per temperantiam, & nil timendo propter aſcenſum ad ſuperna per fortitudinem, & aſſentiendo huic propoſito ſuo per iuſtitiam. Purgati verò animi dicuntur in perfectiſsimis, vel beatis, qui per prudentiam ſola diuina intuentur, per temperantiam neſciunt delectationes corporales, per fortitudinem ignorant paſsiones, & per iuſtitiam diuinæ menti perpetuo fœdere ſociantur, Deum imitando. Item eo modo, quo priùs fuerunt diſtinctæ,ciuiles appellantur.

18. Virtus humana partim à natura, partim verò ex aſſuetudine operum prouenit.

A natura quidem ſecundum quandam inchoationem,& ſecundum naturam ſpeciei, in quantum in ratione hominis inſunt naturaliter quædam principia, naturaliter cognita tam ſcibi-

lium, quàm agendorum, quæ ſunt quædam ſeminaria intellectualium virtutum & moralium, & in quantum voluntati ineſt quidam naturalis appetitus boni, quod eſt ſecundum rationem, & ſecundum naturam indiuidui, in quantum ex corporis diſpoſitione, aliqui vel meliùs vel peiùs ad quaſdam virtutes diſpoſiti ſunt, prout ſc. vires ſenſitiuæ actus ſunt quarundam partium corporis, ex quarum diſpoſitione adiuuantur vel impediuntur huiuſmodi vires in ſuis actibus, & per conſequens vires rationales, quibus huiuſmodi vires ſenſitiuæ deſeruiunt: Et ex hac cauſſa alius ad hanc, ad aliam virtutem alter inclinatus. Ex conſuetudine autem operum, quoad conſummationem, virtutes proueniunt. Hæc enim non poteſt eſſe à natura, quia non eſt ſecundum vnum modum rationis, ſed diuerſimodè ſecundum diuerſas materias, in quibus virtutes operantur. Natura autem eſt determinata ad vnum. Fit ergo ex actibus, in quantum huiuſmodi actus à ratione procedunt, ſub cuius poteſtate & regula bonum conſiſtit, id quod virtus humana ordinata; Virtus autem hominum ad bonum ordinans, prout lege diuina, & non ratione humana regitur, per actus humanos, quorum principium eſt ratio, cauſſari nequit: ſed ſolùm in nobis per operationem diuinam præſtatur.

19. Virtus moralis conſiſtit in medio.

Moralis enim virtus propriè eſt appetitiua

tiuæ partis perfectiuæ, cuius menſura circa appetibilia eſt ratio. Bonum autem menſurati eſt, vt ſuæ regulæ conformetur. Contingit autem ei non conformari, vel quia excedat, vel quia deficiat. Inter exceſſum autem & defectum medium eſt æqualitas ſeu conformitas. Virtus ergo moralis, quæ hominem ad bonum rationis ordinat, in conformitate ad rationem, hoc eſt, in medio exceſſus & defectus conſiſtit. At virtus intellectualis alia ratione in medio ſubſiſtit. Circa verum enim, quod menſuratur à re, verſatur. Medium ergo eius eſt per conformitatem ad rem, vt ſc. dicat, eſſe, quod eſt: & non eſſe, quod non eſt. Exceſſus autem eſt, ſi dicat eſſe, quod non eſt: Defectus verò, ſi dicat non eſſe, quod eſt. Et hoc ita ſe tam in practicis, quàm ſpeculatiuis habet. Verum tamen eſt, quòd in prudentia ipſa veritas rationem menſuræ reſpectu appetitus habeat. Unde idem medium prudentiæ & virtutis moralis exiſtit, quod tamen eſt prudentiæ, vt regulantis, & virtutum moralium, vt earum, quæ regulantur.

20. Medium virtutis moralis eſt medium rationis.

Medium enim eius eſt per conformitatem ad rationem rectam. Contingit autem in quibuſdam, vt in operationibus exterioribus, quæ ſunt ad alterum, rectum rationis inſtitui ſimpliciter, & ſecun-

ſecundum ſe, vt in venditione & emtione. Et ſic medium in huiuſmodi non ſolùm eſt rationis, ſed etiam medium rei. Iuſtitia enim vnicuiq; quod debet, neq; plus, neq; minus, reddit. In quibuſdam verò, vt in paßionibus interioribus non poteſt rectum inſtitui ſecundum medium rei, quia non omnes eodem modo ſe habent ad paßiones. Rectitudo ergo in iſtis eſt reſpectu noſtri, qui paßionibus afficimur. Vnde medium in his medium rationis eſſe oportet. Aliquid enim eſt medium in vno, quod, ſi alteri æqualiter tribuatur, excedit. Virtus autèm quando id, quod oportet, vbi oportet, ſecundum quod oportet, item quando oportet, & reliqua obſeruat, medium inuenire dicitur.

21. Virtutes morales omnes ſibi cohærent.

Cùm enim diſcretio ad prudentiam pertineat, & moderatio ad temperantiam, & rectitudo ad iuſtitiam, & firmitas animi ad fortitudinem: Et cùm diſcretio abſq; moderatione, rectitudine & fortitudine animi eſſe nequeat: Nec firmitatem ſine diſcretione, rectitudine & moderatione, & rectitudinem ſine illis: Similiter nec moderationem, inuicem connexas eſſe, apparet. Item cùm propria virtutis moralis ſit recta electio, eò quòd eſt habitus electiuus, ad quam non ſolùm inclinatio ad finem requiritur, ſed etiam recta eorum, quæ ſunt ad finem, electio, quæ fit per prudentiam: Sequitur, ſine prudentia nullam virtutem moralem exiſtere poſſe, niſi fortè imperfectè virtutem

tutem pro inclinatione quadam accipiamus. Ita enim videmus multos inclinari ad liberalitatem, qui tamen, ſi corruptam æſtimationem prudentiæ circa alia vitia habeant, virtutem liberalitatis perfectè non habebunt. Prudentia quoq; ſine virtutibus moralibus ſubſiſtere nequit, cùm ſit recta ratio agibilium, quæ ex finibus agibilium, tanquam ex principijs, ad quos rectè ſe habet per virtutes morales, procedit. Intellectuales hoc modo, vt vna ſine altera haberi non poſsit, non concatenatæ: Quia circa materias, ad inuicem non ordinatas, verſantur.

22. Vna virtus maior & intenſior altera eſt.

Cauſſa enim & radix humani boni eſt ratio. Quia ergo cauſſa eſt potior effectu: oportet vt prudentia, quæ rationem perficit, in bonitate cæteris virtutibus moralibus præferatur, in quibus tantò eſt vna altera maior, quantò magis ad rationem accedit. Vnde iuſtitia eſt maior fortitudine, quæ eſt maior temperantia, quæ eſt in concupiſcibili, quæ minus de ratione participat, quàm iraſcibilis. Si autem comparemus virtutes eiuſdem ſpeciei ad inuicem: vna erit maior & intenſior altera ex parte ſubiecti, prout ſcilicet hic meliùs eſt diſpoſitus, quàm ille, ad virtutem, vel propter maiorem aſſuetudinem, vel meliorem diſpoſitionem naturæ, vel propter maius iudicium rationis, vel maius donum Dei. Non enim, vt aliquis virtutem habeat, exquiſitiſsimum medium attin-

gat neceſſe eſt, ſed propè conſiſtat ſufficit. Si tamen virtus ſecundum ſe conſideretur, tunc magis & minùs non recipit: Quia magnitudo vel paruitas eius ſecundum ea, ad quæ ſe extendit, attenditur. Quicunq; autem habet aliquam virtutem, vtputa temperantiam, ipſam, quantum ad omnia, ad quæ ſe temperantia extendit, obtinet: Quod de ſcientia & arte dici prorſus nequit. Non enim quicunq; eſt Grammaticus, omnia, quæ ad Grammaticam pertinent, nouit.

23. Omnes virtutes morales in eodem aliquo modo æqualiter intenſæ ſunt.

Si enim reſpiciamus omnes conditiones virtutum, quæ ſunt diſcretio, rectitudo, firmitas, & moderatio: Sic ſunt æqualiter intenſæ, intelligendo tamen ſemper de æqualitate proportionis, ſicut dicimus, digitos manus æqualiter augeri & diminui, cùm tamen non ſint æquales. Nam ſi minus eſſet intenſa prudentia, quàm fortitudo, cum ſint connexæ, vt dictum eſt: Sequeretur, illam fortitudinem habere minus de prudentia, & ſic etiam minùs eſſe intenſam, quæ par & de alijs foret ratio. Sed, æqualiter intendi & remitti, hinc quoq; patet, quòd omnes per ipſam prudentiam connectantur. Quia, quantum ad formale virtutis, quod eſt recta ratio, æqualiter ſecundum proportionem intenduntur: Quia exiſtente ratione æqualiter in vno & eodem perfecta: Proportionabiliter ſecundum rationem rectam medium in qualibet materia virtutum conſtituere, neceſſe eſt.

Verum

Verùm quantum ad materiale, id eſt, quantum ad inclinationem et actum virtutis, vel ex conſuetudine, vel ex dono Dei, quidam ad vnius magis, quàm alterius virtutis actus promtus eſſe poteſt.

24. Virtutes morales intellectualibus ſecundum ordinem ad actum, non autem ſimpliciter digniores.

Simpliciter vnumquodq., quando conſideratur ſecundum propriam rationem ſpeciei, dicitur. Habet autem virtus ſpeciem ab obiecto: Ideo illa eſt nobilior ſimpliciter, quæ habet nobilius obiectum. Hæc autem eſt intellectualis, quæ habet obiectum vniuerſale. Sed quia appetitus eſt mouere alias potentias ad actum: Virtus moralis, quantum ad hoc, eſt nobilior. Et ideo ratio virtutis magis competit moralibus, quàm intellectualibus: Quia propriè virtus ex eo, quod eſt principium actus, dicitur, cùm ſit perfectio potentiæ.

25. Iuſtitia inter virtutes morales, quemadmodum ſapientia inter intellectuales, præclariſſima.

Nam cùm ſapientia conſideret altiſsimam cauſſam, quæ eſt Deus, per quam de omnibus inferioribus iudicare poteſt: Hinc eſt, vt ſapientia de omnibus ſcientijs iudicium iuſtiſsimè ſibi ſumat, ferat, eas ordinet, & inter eas, quaſi heſperus lucidiſsimus, fulgeat. Vnde prudentia eius miniſtra, & quaſi regis oſtiarius: Et ipſa omnibus purè moralibus ſupereminet. Iuſtitia quoque cùm plus de ratione, quàm cæteræ virtutes

virtutes morales, participet, & hominem non ſolùm ad ſemetipſum, ſed vt rectè ſe quoq; erga alterum gerat, ordinet: Inter omnes virtutes morales, quaſi ſol quidam ſplendet. Hanc fortitudo ſequitur, quia inter virtutes morales, quæ circa paßiones exiſtunt, tantò in vnaquaq; relucet rationis bonum, quantò circa maiora appetitus motus rationi ſubditur. Maximum autem in ijs, quæ ad hominem pertinent, vita eſt, à qua omnia alia dependent. Et ideo fortitudo, quæ motū appetitiuum rationi in ijs, quæ ad mortem & vitam pertinent, ſubdit, primum locum inter virtutes, quæ ſunt circa paßiones, tenet. Vltimo ergo loco temperantia collocanda. Et hæc de virtutibus in genere: Mox de ſingulis in ſpecie dicturi.

DE PRVDENTIA.

LIBER QVINTVS.

Summa & diſpoſitio libri V.

OMiſsis virtutibus intellectualibus, quæ non niſi ad Ethicum ſpectant, quatenus in libro ſuperiori dictũ: Autor de moralibus in ſpecie tractatum orditur. Incipit autem à prudentia, quæ eſt partim intellectualis, prout eſt in intellectu, & partim moralis, prout circa agibilia verſatur: Eſt

enim

enim quaſi regula, & aliarum moralium directrix. Primò agit de illa ſecundum ſe. Secundò de partibus integralibus eius. Tertiò de partibus ſubiectiuis. Quartò & vltimò de partibus potentialibus. Quoad ipſam ſecundum ſe, primò in concluſione 1 definitur, vt eius natura cognoſcatur. Et quia ex illa definitione habetur, quòd ſit virtus cognitiua, in 2. declaratur, quorum ſit cognitiua, & qualis virtus, in 3. Secundò eius officiũ oſtenditur, quod duplex eſt, ſc. diſponere de ijs, quæ ſunt ad finem, quod in 4. & inuenire medium in virtutibus moralibus, quod in 5 declaratur. Tertiò de actu eius in 6 tractat. Nam per actum cognoſcitur habitus. Et quia propter talem actum ſibi conuenit ſolicitudo, id in 7 demonſtratur. Quoniam verò omnis virtus aliquod bonum reſpicit, quartò in 8. quod bonum reſpiciat prudentia, declarat, ſc. proprium & commune: Et an ſit eadem prudentia, quæ reſpicit vtrumque, in 9. Quintò, in quibus ſit prudentia, in 10 ſubjicit: Et in quibus non ſit, in 11. Sextò cauſſam generationis eius in 12 diſcutit, inquirendo, an inſit à natura, & cauſſam corruptionis in 13 per quæ omnia eius natura nobis innoteſcit. Quoad partes integrales, octo ad illam ſiue ad actum eius pertinentes illuſtrantur. Primò quoad experimentum planè neceſſarium prudentiæ memoria inſeruit, de

qua in 14. Secundò, tanquam principium diſcurſus eius, intellectus, de quo in 15. Tertiò ratione inſtitutionis docilitas, de qua in 16. Quartò quoad propriam inuentionem ſolertia, de qua in 17. Quintò ad bene diſcurrendum ratio, de qua in 18. Sextò ad præuidenda futura Prouidentia, de qua in 19. Septimò ratione circumſtantiæ circumſpectio, de qua in 20. Pro euitandis malis cautio, de qua in 21. Quoad partes verò ſubiectiuas, vltra prudentiam, qua quis ſeipſum regit, de qua hactenus dictum eſt, autor de quatuor ſpeciebus eius, quæ ſecundum diuerſam rationem regiminis diſtinguuntur, agit. Et quia rectrix inter illas præcipua, priùs de hac in 22 tractat. Secundò de politica, quæ rectricem ſequitur in 23. Tertiò de œconomica, quæ familiã, ſicut politica ciuitatem, dirigit, in 24. Vltimò de militari, quæ alias ſequitur, in 25. Quoad partes demum potentiales, quæ ſunt virtutes, tanquam principali ſecundariæ, annexæ, de tribus pertractat: De Eubulia ſc. propter actum conſilij requiſiti ad prudentiam in 26. De ſyneſi ob actum iudicij, vbi id, ſecundum communes regulas inſtituendum, in 27. Et de Gnome propter actum eundem, quando præter communes regulas de aliquo caſu peculiare ferendum iudicium, in 28.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Prudentia eſt recta ratio agibiliũ. *Agi-*

Agibilia enim ſunt contingentia, quæ in ipſo operante conſiſtunt, & ad exteriorem materiam non egrediuntur. Factibilia verò ſunt, quæ in exteriori materia conſiſtunt, ſicut domus & cultellus. Prudentia ergo eſt virtus, operationes hominis erga ſeipſum & alios regulans. Regula autem ordinandorum in finem à fine ſumitur, vnde cognoſcat finem oportet, & ordinem eorum, quæ ſunt ad finē. Prudens enim quaſi porrò videns dicitur, quòd ſit ad videndum incertorum caſus perſpicax, omniaq; rectè & ſine errore dirigat. Prudentia ergo agibilium recta ratio definitur.

2. Ad prudentiam non ſolùm cognoſcere ſingularia, ſed etiam vniuerſalia pertinet.

Cum enim prudentia ſit ratio eorum, quæ ſunt agentia propter finem, in ratione practica conſiſtat oportet. Vnde ad prudentiam non ſolùm conſideratio rationis, ſed applicatio ad opus pertinet. Neceſſe eſt ergo, vt prudentia principia, quæ operi applicat, ipſumq; opus cognoſcat. Cùm igitur illa rationis principia vniuerſalia ſint, & operationes verſentur circa ſingularia, ipſam tàm vniuerſalia principia agendorum, quàm ipſa particularia agenda, cognoſcere, neceſſe eſt.

3. Prudentia eſt ſpecialis virtus.

Eſt enim virtus intellectualis aliqualiter & moralis. Differt ergo ab intellectualibus ſecundum materialem diuerſitatem obiectorū, quia ſapientia, ſcientia, & intellectus ſunt circa neceſſaria: Ars autē et prudentia ſunt circa cōtingentia. Sed ars circa

ſactibilia, & prudentia circa agibilia. A virtutibus autem moralibus differt, quia ipſa eſt in ratione, ipſa verò in parte appetitiua. Eſt ergo virtus ſpecialis.

4. Ad prudentiam, non præſtituere finem moralibus virtutibus, ſed ſolùm diſponere de ijs, quæ ſunt ad finem, pertinet.

Finis enim virtutum moralium eſt bonum humanum. Bonum autem humanum animæ eſt ſecundum rationem eſſe. Sicut autem in ratione ſpeculatiua ſunt quædam principia naturaliter nota: Ita etiam in ratione practica quædam naturaliter cognoſcuntur; Hæc autem ſunt fines. Nam ita ſe habent fines in practicis, quemadmodum prima principia in ſpeculatiuis. Vnde fines in practicis ſunt quaſi principia, & ea, quæ ſunt ad finem, velut concluſiones. Et ideo ratio naturalis eſt illa, quæ præſtituit finem virtutibus moralibus, quæ dicitur ſyntereſis. Prudentia verò diſponit ea, quæ ſunt ad finem, quia ad eam pertinet applicare vniuerſalia principia agibilium ad particulares concluſiones, quæ ſunt agenda particularia.

5. Ad prudentiam inuenire medium in virtutibus moralibus pertinet.

Nam finis virtutis moralis eſt conformatio ad rationem rectam. Temperantia enim hoc intendit, ne propter concupiſcentias homo à ratione diuertat. Hic autem finis præſtitus eſt homini ſecundum rationem, quæ dictat vnicuique, vt ſecundum

ſecundum naturalem rationem operetur. Sed qualiter, & per quæ homo medium rationis attingat, cùm non eodem modo hæc ſe habeant in omnibus, ſed diuerſimodè in diuerſis, & per rectam diſpoſitionem eorum, quæ ſunt ad finem, inueniatur medium: id ad diſpoſitionem prudentiæ pertinet.

6. Præcipere eſt principalis actus prudentiæ.

Ad hoc enim vt agibilia ſecundum rectam rationē diſponantur, requiritur primò conſilium, quod eſt inquiſitio. Deinde iudicium de conſultis: Et hic ratio ſpeculatiua ſubſiſtit. Sed practica ratio, quæ ordinatur ad opus, procedit vlteriùs: Et ideo ad rectè diſponendum agibilia tertius actus, qui eſt præcipere, requiritur. Conſiſtit hic in applicatione conſultorum & iudicatorum ad operandum. Quia ergo iſte actus eſt propinquior fini rationis practicæ: Hinc principalis actus eius eſt: Et ſic principalis actus prudentiæ, quæ eſt ratio practica, exiſtit. Vnde perfectionem artis potiùs in iudicando conſiſtere videmus. Ille enim perfectior artifex, qui volens, quàm ille, qui nolens peccat, iudicatur, quaſi ille habeat iudicium artis, quo iſte carere videtur. Perfectio verò prudentiæ eſt econuerſo. Imprudentior enim is, qui volens, quàm qui nolens peccat, cenſetur.

7. Solicitudo ad prudentiam pertinet.

Solicitus enim dicitur quaſi ſolers, in quantum ſc. aliquis ex quadam ſolertia animi velox eſt

ad proſequendum ea, quæ ſunt agenda; Hoc autem pertinet ad prudentiam, cuius præcipuus actus eſt circa agenda præcipere de præconſultis & iudicatis. Velociter enim operari conſulta: Conſultare verò tardè oportet. Ergo ſolicitudo ad prudentiam pertinet.

8. Prudentia ad bonum commune ſe extendit.

Bonum enim commune melius eſt, quàm bonum vnius. Quia ergo ad prudentiam pertinet cõſulere & iudicare, & præcipere circa ea, per quæ ad debitum finem peruenitur: Prudentiam reſpicere bonum commune, patet. Nam & bonum proprium non poteſt eſſe ſine communi: Quia cùm homo pars ſit communitatis, & bonum & diſpoſitio partis accipiatur, ſecundum habitudinem ad totum: Hominem non poſſe quærere bonum proprium, niſi aliquo modo & commune reſpiciat, clarum eſt.

9. Prudentia, quæ reſpicit bonum proprium, non eſt eadem cum illa, quæ commune reſpicit.

Species enim habituum ſecundum diuerſam rationem formalem obiecti variantur. Ratio autẽ formalis omnium, quæ ſunt ad finem, ex parte finis attenditur: Et ideo habitus ex relatione ad diuerſos fines variant. Diuerſi autem fines ſunt bonum proprium, & bonum commune familiæ, ciuitatis, & regni. Ideo & prudentiam ſimpliciter dictam, quæ bonum proprium & aliam

am œconomicam, quæ bonum familiæ, aliam verò politicam ſeu regularem, quæ bonum ciuitatis ſiue regni reſpiciat, oportet ſtatuere.

10. Non ſolùm ad principes, ſed etiam ad ſubditos prudentia pertinet.

Prudentia enim in ratione eſt, ad quam pertinet regere & gubernare. Subditi autem, in quantum ſubditus, & ſerui, in quantum ſeruus, non eſt regere & gubernare, ſed regi & gubernari: Et ideo eis, in quantum huiuſmodi prudentia non conuenit, ſed tantùm, vt ſunt ratione præditi. Nam quilibet homo, quatenus rationalis eſt, aliquid de regimine ſecundum arbitrium rationis participat, & iuxta hoc cuilibet quoque homini prudentia conuenit. Præterea in principibus eſt prudentia legis poſitiua: in ſubditis autem legis executiua. In has duas diuiditur prudentia politica. Vnde in principibus prudentia ad artis architectonicæ: in ſubditis verò ad artis manualis modum exiſtit.

11. Prudentia perfecta nequaquam eſt in peccatoribus.

Prudentiam perfectam illam voco, quæ ad bonum finem totius vitæ rectè conſultat, iudicat, & præcipit: Quæ ſola dicitur prudentia ſimpliciter. Imperfecta verò illa eſt, quæ vel bonum accipit pro fine, quod non eſt communis finis humanæ vitæ, ſed alicuius ſpecialis negotij, vt ſi aliquis commodas nauigandi vias inueniat: Vel quæ in principali actu deficit, vt ſi quis bene

quidem conſulere & iudicare, ſed non efficaciter præcipere ſciat. Eſt etiam quædam prudentia falſa, qua aliquis ea, quæ congruunt malo fini, bene diſponit, vt cùm dicimus, aliquem eſſe prudentem latronem. Ex his ergo patet, prudentiam ſimpliciter dictam non poſſe in peccatoribus exiſtere, ſed bene prudentiam imperfectam: Ipſisq́; ſolis prudentia falſa, quæ carnis dicitur, conuenit.

12. Prudentia non ineſt nobis à natura.

Prudentis enim eſt vniuerſalia principia particularibus agendis applicare. Quantum ergo ad principia vniuerſalia, nobis naturalis eſt, quia illa ſunt naturaliter nobis nota, & magis nobis naturalia, quàm principia ſpeculabilium. Circa agibilia verò, ſi conſideremus fines, quia fines humanæ vitæ ſunt determinati, poteſt eſſe etiam naturalis quædam inclinatio ad fines aliquarum virtutum. Quidam enim ex naturali diſpoſitione ad rectos fines inclinantur. Sed ea, quæ ſunt ad fines, non ſunt determinata à natura, ſed ſecundum diuerſitatem perſonarum & negotiorum variantur. Et ideo talis cognitio non poteſt ineſſe homini naturaliter, quia natura ad vnum eſt determinata. Verùm ex naturali diſpoſitione vnus fit aptior altero ad huiuſmodi diſcernenda. Quia ergo prudentia non eſt circa fines, ſed circa ea, quæ ſunt ad finem: Prudentiam homini à natura non ineſſe, conſtat.

Pru-

13. Prudentia directè per obliuionem non amittitur.

Prudentia enim non in ſola cognitione conſiſtit, ſed etiam in appetitu: Quia principalis actus eius eſt præcipere, quod eſt applicare cognitionem habitam ad rectè appetendum & operandum. Et ideo directè corrumpitur per paſſiones, per quas eius actus principaliter tollitur. Obliuio tamen impedire poteſt, in quantum cognitionem, ex qua prouenit præceptum, tollit.

14. Memoria eſt pars integralis prudentiæ.

Partes integrales prudentiæ, & cuiuſcunque alterius virtutis ſunt illæ, quæ ad perfectionem actus illius concurrunt. Cùm autem prudentia ſit circa contingentia, non poteſt in his homo dirigi per ea, quæ ſunt ex neceſſitate vera, ſed vt in pluribus: Oportet enim principia eſſe concluſionibus proportionata. Quod autem ſit vt in pluribus verum, oportet per experimentum conſiderare. Experimentum autem ex pluribus memorijs fit, & ideo ad prudentiam requiritur plurima memoria, vt ex præteritis experimentis argumentum de futuris peti poſſit.

15. Intellectus eſt pars prudentiæ integralis.

Accipimus autem hîc intellectum, prout quandam rectam æſtimationem alicuius extremi principij importat, quod accipitur, vt per ſe notum: Et hoc eſt aliquod principium contingens

operabile, quod nihil aliud eſt, niſi aliquis ſingularis finis. Quia ergo omnis proceſſus rationis ab aliquibus primis procedit: apparet, totum proceſſum rationis ab aliquo intellectu procedere, hoc eſt, ab aliqua recta æſtimatione alicuius finis particularis, quæ, vt minor propoſitio in ſyllogiſmo, accipitur. Et ſic intellectus ad rectum prudentiæ proceſſum requiritur.

16. Docilitas pars prudentiæ integralis eſt.

In particularibus enim operabilibus infinitæ veluti diuerſitates ſunt, quæ ab vno homine ſufficienter in pauco tempore conſiderari nequeunt. Et idcirco inſtitutione expertorum ſenum egemus. Cum reuerentia ergo animos noſtros eorum documentis tradamus, idq́ per ignauiam non negligamus, per ſuperbiam non contemnamus: Sed omnia attentè excipiamus, quæ docilitatis præcepta ſunt. Ad prudentiam ergo docilitas requiritur.

17. Solertia ſeu euſtochia eſt pars integralis prudentiæ.

Euſtochia enim eſt bona de quibuſcunq; diuinatio: Solertia verò facilis & promta circa inuentionem medij coniectura. Nunc autem ambas pro eodem accipimus. Quia ergo recta æſtimatio aliquando diſcendo ab alio, & aliquando per ſe inueniendo acquiritur, quemadmodum docilitas ad prudentiam pertinet, vt homo per eam in acquirendo rectam æſtimationem ab alio, et euſtochia, vt in acquirendo æſtimationem rectã per ſeipſum, bene ſe habeat.

18. Ratio eſt pars integralis prudentiæ.

Cùm enim opus prudentiæ ſit bene conſultare, & conſilium ſit ex quibuſdam ad alia procedens inquiſitio, quæ opus rationis eſt; Hinc ad prudentiam, vt homo bene ratiocinetur, neceſſarium: Idcirco ratio inter partes prudentiæ connumeratur. Atq; hic ratio non pro potentia, ſed pro vſu eius accipitur.

19. Prouidẽtia eſt pars integralis prudentiæ.

Prouidentia enim reſpectum quendam alicuius diſtantis importat, ad quod ea, quæ in præſenti occurrunt, ordinata ſunt. Prudentia autem circa ea eſt, quæ ad finem ſunt, quæ contingentia ſunt. Cùm igitur præterita in quandam neceſſitatem tranſierint, & præſentia, in quantum huiuſmodi, quandam neceſſitatem habeant: Conſequens eſt, vt contingentia futura ſecundum quod ſunt per hominem in finem humanæ vitæ ordinabilia, ad prudentiam pertineant. Sed vtrunq; eorum importatur nomine prouidentiæ, vnde & nomen ipſius ſumitur. A prouidentia enim, tanquam à principaliori parte, ad quam cæteræ ordinantur, prudentia denominatur.

20. Circumſpectio eſt pars integralis prudentiæ.

Contingit enim aliquando aliquid ſecundum ſe conſideratum bonum & conueniens fini eſſe, quod tamen ex aliquibus concurrentibus vel malum vel non opportunum redditur. Et ideo neceſſaria eſt circumſpectio, vt ſcilicet ea, quæ ordinantur

ad finem, comparentur iјs, quæ circumſtant, vt, num bona & opportuna ſint, appareat. Eſt igitur pars prudentiæ,

21. Cautio eſt pars prudentiæ integralis.

Nam propter varietatem operabilium mala pleraq; miſcentur bonis, & ea impediunt, & aliquando habent ſpeciem boni. Vnde ad vitanda mala, ea ſcilicet, quæ vt in pluribus accidunt, cautione opus. Nam illa, quæ rariùs & caſu accidunt, ratione comprehendi nequeunt. Hæc ergo quoq; ad prudentiam pertinet.

22. Rectrix eſt pars ſubiectiua prudentiæ.

Ad prudentiam enim regere & præcipere pertinet. Et ideo vbi eſt ſpecialis ratio regiminis & præcepti in humanis actibus, ibi & ſpecialis ratio prudentiæ inuenitur. In regno autem ſpecialis & perfecta ratio regiminis reperitur: Quia tantò regimen eſt perfectius, quantò eſt vniuerſalius & ad plura ſe extendens, & altiorem finem attingens. Ideo & regi prudentia ſecundum ſpecialem & perfectiſſimam ſui rationem competit. Rectrix autem eſt ſpecies prudentiæ, quia ad regem pertinet dirigere. Non autem ponitur ſpecies iuſtitiæ, quia iuſtitia eſt executiua, quamuis prudentia & iuſtitia ſint maximè regi propriæ. Sub rectrice tamen & alia comprehenduntur iuſta regimina: à regno tamen, tanquam nobiliori imperio, denominata.

23. Politica eſt pars ſubiectiua prudentiæ.

Vt enim ſubditi ita à dominis regantur, vt etiam ſeipſos agant & per liberum arbitrium regant: quædam in eis rectitudo regiminis requiritur, per quam ſeipſos regant in obediendo principalibus. Huc verò ſpecies prudentiæ, quæ politica dicitur, pertinet. Differt hæc à rectrice, quia hæc agenda ſub ratione magis vniuerſali, quàm illa reſpicit, item à prudentia communiter dicta: Quia hæc hominem in ordine ad proprium bonum: Politica autem in ordine ad bonum commune regit.

24. Oeconomica eſt ſpecies prudentiæ.

Ratio enim obiecti diuerſa ſecundum vniuerſale & particulare, vel ſecundum totum & partem artes & virtutes variat, ſecundum quam diuerſitatem vna reſpectu alterius principalis eſt. Cùm ergo domus inter ſingularem perſonam & ciuitatem vel regnum media ſit: prudentiam œconomicam, quæ regina domus eſt, eſſe ſpeciem, à prudentia ſupradictis ſpeciebus diſtinctam, oportet.

25. Militaris eſt ſpecies prudentiæ.

Ea enim, quæ ſunt ſecundum rationem, conformia ijs, quæ aguntur ſecundum naturam, & à ratione diuina inſtituta ſunt, eſſe oportet. Natura autem non ſolùm vnamquamq; rem in ſeipſa regere, ſed etiam impugnationibus intendit reſiſtere. Qua de cauſſa animalibus concupiſcibilem & iraſcibilem tribuit. Quare ciuitatibus & regnis non ſolùm prudentia politica, qua conuenienter

ea, quæ ad bonum commune ordinantur, diſponuntur: Sed etiam militaris, per quam hoſtium inſultus repellitur, cõuenit. Et quamuis aliquando ars, prout quaſdam regulas rectè vtendi exterioribus rebus, vtputa armis, habet, dicatur: Tamen ſecundum quod ad defendendum bonum commune ordinata, pars ſubiectiua prudentiæ eſt.

26. Eubulia eſt virtus adiuncta prudentiæ.

Eubulia enim bonitatem & rectitudinem conſilij importat. Cùm igitur de ratione virtutis humanæ ſit, actum hominis bonum reddere: ideo eubolia virtus humana eſt. Et quia bene conſultare, bene iudicare & bene præcipere diuerſi actus ſunt, diuerſã habentes bonitatis rationem, beneq; præcipere ad prudentiam pertineat, ad quod conſultare ordinatur: Hinc eſt, quòd eubulia ad prudentiam, tanquam ad principaliorem virtutem, ordinata ſit. Unde & pars potentialis eius, id eſt, virtus ſecundaria illi adiuncta dicitur.

27. Syneſis eſt virtus annexa prudentiæ.

Syneſis iudicium rectum circa particularia operabilia infert, ſecundum quam homines ſenſati dicuntur. Et quia bonitas iudicij & conſilij non in eandem cauſſam reducuntur: ideo prudentiæ adiungatur alia, præter eubuliam, quæ ſit bene iudicatrix virtus, neceſſè eſt. Nam quidam benè conſultant, qui non rectè iudicant: Sicut etiam in ſpeculatiuis quidam bene prompti ad diſcurrendum, ex diſpoſitione imaginatiuæ virtutis, inquirunt, qui tamen non bene propter

propter defectum intellectus, & ex mala diſpoſitione ſenſus communis, iudicare poſſunt. Ad rectum enim iudiciũ recta diſpoſitio virtutis apprehenſiuæ requiritur. Syneſis igitur prudentiæ adiungitur.

28. Gnome eſt à ſyneſi diſtincta virtus, quæ ſimpliciter prudentiæ annectitur.

In agendis enim aliquando, vt præter communes regulas aliquid faciendum ſit, contingit. Si quis enim impugnator ciuitatis ſit, huic depoſitum non reddendum eſſet. De huiuſmodi ergo ſecundum aliqua principia ſublimiora, quam ſint regulæ communes, per quas ſyneſis iudicat, ſententia ferenda foret. Et ſic ſecundum illa altiora principia altior virtus iudex, quæ eſt gnome, exigitur, quæ quandam iudicij perſpicuitatem importat. Cùm igitur habitus cognoſcentes ſecundum altiora & communiora principia diſtinguantur, & gnome à ſyneſi diſtinguatur, neceſſe eſt. Et ſic gnome ad prudentiam, ad quam & omnia agenda per rectum conſilium & iudicium regulantur, pertinet. Et hactenus de prudentia.

DE IVSTITIA.

LIBER SEXTVS.

Summa & diſpoſitio libri VI.

PRudentiam iuſtitia, tanquã inter alias morales virtus præcipua, ſequitur, de qua autor in hoc libro tractat. Primò quidem de obiecto eius. Secundò de ipſa virtute iuſtitiæ. Tertiò de partibus eius. Quoad obie-

obiectum, primò, qualiter jus ſit obiectum eius, declarat, & quid ſit, in concluſione *1*. Secundò diuerſa iura diſtinguuntur, ac ſimul ius naturale & poſitiuum in 2 explicatur. Ius gentium contra naturale in 3. Ius paternum & dominicum contra politicum in 4. Commune enim priùs, ſi licet, definitur, & poſtea diuiditur. Quoad ipſam virtutem iuſtitiæ, à definitione exorſus, eam in 5 ponit: Et quòd ſit virtus alterum reſpiciens in *6* oſtendit. Secundò obiectum eius in *7*: Et qualis virtus ſit, ſc. generalis, in 8: Quodq; præter illam particularis detur alia, in *9*. Demum actum eius, per quem etiam cognoſcitur, in *10* declarat. Quoad partes eius, priùs agit de partibus ſubiectiuis ſimul in *11*. Poſtea de partibus potentialibus hoc ordine. Primò de religione, quæ Deum reſpicit. Eſt enim prima inter alias, de qua plura docet, ſcilicet quomodo ſit virtus & pars iuſtitiæ, id eſt, illi annexa, in *12*. qualis virtus ſit, in 13. quàm excellens in *14*, quomodo ſe ad ſanctitatem, quæ & ipſa Deum reſpicit, habeat, in *15*: Et qui ſint actus eius, in *16* tractat. Secundò de pietate, quæ parentes & patriam reſpicit, agit: (Nam debitum paternum debitum diuinum ſequitur) Et quomodo ſit virtus & pars iuſtitiæ in *17*. & qualis virtus, in *18* declarat. Tertiò de obſeruantia & obedientia, quæ ſuperiores & in dignitate conſtitutos reſpicit, quibus

poſt

poſt parentes & patriam honorem debemus, quem obſeruantia exhibet, de qua in 19. & ſubiectionem, quam obedientia reddit, de qua in 20 tractat. Quartò de gratia, qua poſt prædictos debitum benefactoribus reddimus, in 21. Et quia iuſtitia non ſolùm in bonis, ad quod prædictæ virtutes: ſed etiam in malis, ad quod vindicatio ordinatur, retribuit: Conſequenter agit de hac in 22. Poſt dictas virtutes de quibuſdam alijs, quæ minus debitum, ſc. honeſtatis potiùs, quàm legis reſpiciunt, agit: Quarum prima eſt veritas, de qua in 23. Secunda amicitia, de qua priùs, vt quædam dilectio eſt, multa docet, ſc. naturam eius in 24. neceſsitatem in 25. conditiones ſeu proprietates eius in 26. 27. 28. 29. Inter quos reperiatur, in 30: Actum eius proprium in 31. qualitatem talis actus in 32. rectitudinem ipſius in 33. fundamentum in 34. principium in 35. comparationem inter amicos diuerſarum rationum, id eſt, inter benefactorem & beneficiarium, in 36. & qualitatem amicorum vſque ad 40. Sed quia amicabilia ad alterum ex amore ſui deriuantur: præmittit in 37. quis propriè ſit amator ſui. Poſtea de amicitia, vt eſt idem quod affabilitas, in 41. agit. Tertia eſt liberalitas, de qua, quomodo ſit pars iuſtitiæ, in 42. oſtendit: Circa quid verſetur, in 43. an ſit virtus, in 44. & quis actus eius, in 45. Demum

pro colophone huius libri autor de quadam iuſtitiæ parte, quæ ἐπιείκεια dicitur, in 46 tractat.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Ius eſt obiectum, ad quod actus iuſtitiæ terminatur.

Proprium enim iuſtitiæ inter alias virtutes eſt, hominem in ijs, quæ ſunt ad alterum ordinare. Inſert enim æqualitatem quandam, quod & ipſum nomen ſonat. Rectum igitur in opere iuſtitiæ non eſt per comparationem ad agentem, ſed ad alium, quia ſcilicet alteri ſecundum aliquam æqualitatem reſpondet, puta, per mercedem famulitij compenſatio. Sic ergo iuſtum aliquid, quaſi habens rectitudinem iuſtitiæ, dicitur, ad quod actus iuſtitiæ terminatur: Atque hoc ius, quod obiectum iuſtitiæ eſt, vocatur.

2. Ius naturale aliud eſt à poſitiuo.

Cùm enim ius aliquod opus adæquatum alteri ſecundum aliquem æqualitatis modum ſit: hoc eſſe adæquatum, ſi ex natura rei, vt ſi aliquis tantum det, vt tantundem recipiat, ius naturale vocatur. Si ex condito communiq; placito, aut etiam priuato, & tum pactum eſt: Aut ex publico, quia ſcilicet populus vel princeps ordinet, vt hoc huic commenſuratum ſit, ius poſitiuum dicitur, quod locum in ijs obtinet, quæ non aliquam repugnantiam ad naturalem iuſtitiam habent. Vnde à principio nihil differt. Si autem ius natu- rale

tale aliquando mutatur, vt cùm non depoſitum furioſo reſtituitur, non mirandum, quia natura hominis mutabilis eſt: Idcirco quod eſt naturale homini, aliquando poteſt deficere. Si enim natura hominis perpetuò recta eſſet: ſemper depoſitum reddendum poſcenti foret.

3. Ius gentium à iure naturali differt.

Quòd enim aliquid ex ſua natura ſit alteri adæquatum, id vel ſecundum ſui abſolutam conſiderationem, vt cùm maſculus ex ſua ratione adæquatur fœminæ, vt ex ea generet, & parens ad filium, vt eum nutriat: vel ſecundum aliquid, quod ex ipſo conſequitur, vt proprietas poſſeſſionum euenire poteſt. Si enim iſte ager abſolutè conſideretur, non habet, vnde magis iſtius, quàm illius ſit. Sed ſi quantum ad opportunitatem colendi & ad pacificum vſum agri conſideretur: Sic quandam commenſurationem, vt ſit vnius & non alterius, habet. Primo ergo modo ius naturale etiam commune brutis eſt, à quo ius gentium, quod ſolùm hominibus commune, recedit. Nam comparare vnum alteri ſecundum illud, quod ex ipſo ſequitur, eſt proprium rationis. Vnde ius gentium ius naturale homini, quia ratio naturalis hoc dictet, dicitur. Ius autem gentium, quia id apud omnes gentes, tanquam omnibus naturale, cuſtodiatur, appellatur.

4. A iure politico ius paternum, dominicum & œconomicum diſtinguitur.

Ius enim commenſurationem ad alterum importat. Alterum verò dupliciter dicitur: Vno modo ſimpliciter, ſc. quod omnino diſtinctum eſt, vt duo homines, quorum vnus non ſub altero, ſed ambo ſub principe ſunt, & inter hos iuſtum ſimpliciter exiſtit. Alio modo alterum ſecundum aliquid, & non ſimpliciter, quando aliquid eius eſt, à quo eſt alterum, appellatur: Vt filius reſpectu patris, qui quaſi pars eius: Et ſeruus reſpectu domini, qui inſtrumentum ipſius eſt. Et ſic inter hos non ſimpliciter iuſtum, quod politicum nominatur, eſt: ſed quoddam iuſtum, ſc. paternum vel dominicum. Quicquid *enim filij vel ſerui, id & patris vel domini eſt. Ad vxorem verò iuſtum ſecundum potiorem rationem iuſti, quàm ad patrem vel filium eſt. Quia quamuis ſit aliquid viri: aſſumitur tamen in quandam vitæ domeſticamq́; ſocietatem. Vnde inter virum & vxorem ius viget œconomicum:* Quod *item non ſimpliciter iuſtum ſeu politicum eſt.*

5. Iuſtitia eſt habitus, ſecundum quem aliquis conſtanti & perpetua voluntate ius ſuum vnicuique tribuit.

Cùm enim virtus ſit habitus, qui eſt principium boni actus: neceſſe eſt, vt virtus per actum bonum circa propriam materiam virtutis definiatur. Vt autem actus virtuoſus circa quamcunq; materiam ſit, hæc requiruntur. Primò, vt qui operatur, ſciens operetur. Secundò, vt eligat, & propter debitum finem operetur. Tertiò, vt immobi-

mobiliter operetur. Cùm igitur dicitur: Ius ſuum vnicuique tribuit: Obiectum iuſtitiæ & actus: Cùm verò additur, voluntate: Conditio boni actus, ſc. prima & ſecunda: Tertia autem per hæc: Conſtanti & perpetua, tangitur. Iureconſulti autem cùm iuſtitiam conſtantem & perpetuam voluntatem, ius ſuum vnicuique tribuentem, finiunt, actum pro habitu ſubſtituunt.

6\. Iuſtitia ſemper eſt ad alterum.

Iuſtitia enim æqualitatem infert, quæ eſt ad alterum: Quia nihil eſt ſibiipſi æquale. Et cùm ad ipſam actus humanos regere pertineat, actiones verò ſuppoſitorum ſint: propriè iuſtitia diuerſitatem ſuppoſitorum requirit, & idcirco propriè iuſtitia non vnius hominis ad ſeipſum eſt, niſi ratione ſimilitudinis, ſecundum quam ratio iraſcibili, concupiſcibili, & partibus hominis imperat.

7\. Iuſtitia in voluntate tanquam in ſubiecto eſt.

Illa potentia ſubiectum virtutis dicitur, ad cuius potentiæ actum regendum virtus ordinatur. Iuſtitia autem non ad regendum aliquem cognoſcitiuum actum ordinatur. Iuſti enim non, quia cognoſcimus rectè, ſed quia rectè operamur, dicimur. Principium autem proximum actus eſt virtus appetitiua, quæ apprehenſiuam ſequitur. Quia autem ſenſus non apprehendit proportionem vnius ad alterum: ideo iuſtitia non eſt in appetitu ſenſitiuo, ſed in voluntate, quæ rationem ſequitur. Unde per actum voluntatis à Philoſopho definitur.

operabile, quod nihil aliud eſt, niſi aliquis ſingularis finis. Quia ergo omnis proceſſus rationis ab aliquibus primis procedit: apparet, totum proceſſum rationis ab aliquo intellectu procedere, hoc eſt, ab aliqua recta æſtimatione alicuius finis particularis, quæ, vt minor propoſitio in ſyllogiſmo, accipitur. Et ſic intellectus ad rectum prudentiæ proceſſum requiritur.

16. Docilitas pars prudentiæ integralis eſt.

In particularibus enim operabilibus infinitæ veluti diuerſitates ſunt, quæ ab vno homine ſufficienter in pauco tempore conſiderari nequeunt. Et idcirco inſtitutione expertorum ſenum egemus. Cum reuerentia ergo animos noſtros eorum documentis tradamus, idq; per ignauiam non negligamus, per ſuperbiam non contemnamus: Sed omnia attentè excipiamus, quæ docilitatis præcepta ſunt. Ad prudentiam ergo docilitas requiritur.

17. Solertia ſeu euſtochia eſt pars integralis prudentiæ.

Euſtochia enim eſt bona de quibuſcunq; diuinatio: Solertia verò facilis & promta circa inuentionem medij coniéctura. Nunc autem ambas pro eodem accipimus. Quia ergo recta æſtimatio aliquando diſcendo ab alio, & aliquando per ſe inueniendo acquiritur, quemadmodum docilitas ad prudentiam pertinet, vt homo per eam in acquirendo rectam æſtimationem ab alio, et euſtochia, vt in acquirendo æſtimationem rectã per ſeipſum, bene ſe habeat.

Ratio

18. Ratio eſt pars integralis prudentiæ.

Cùm enim opus prudentiæ ſit bene conſultare, & conſilium ſit ex quibuſdam ad alia procedens inquiſitio, quæ opus rationis eſt: Hinc ad prudentiam, vt homo bene ratiocinetur, neceſſarium: Idcirco ratio inter partes prudentiæ connumeratur. Atq; hic ratio non pro potentia, ſed pro vſu eius accipitur.

19. Prouidétia eſt pars integralis prudentiæ.

Prouidentia enim reſpectum quendam alicuius diſtantis importat, ad quod ea, quæ in præſenti occurrunt, ordinata ſunt. Prudentia autem circa ea eſt, quæ ad finem ſunt, quæ contingentia ſunt. Cùm igitur præterita in quandam neceßitatem tranſierint, & præſentia, in quantum huiuſmodi, quandam neceßitatem habeant: Conſequens eſt, vt contingentia futura ſecundum quod ſunt per hominem in finem humanæ vitæ ordinabilia, ad prudentiam pertineant. Sed vtrunq; eorum importatur nomine prouidentiæ, vnde & nomen ipſius ſumitur. A prouidentia enim, tanquam à principaliori parte, ad quam cæteræ ordinantur, prudentia denominatur.

20. Circumſpectio eſt pars integralis prudentiæ.

Contingit enim aliquando aliquid ſecundum ſe conſideratum bonum & conueniens fini eſſe, quod tamen ex aliquibus concurrentibus vel malum vel non opportunum redditur. Et ideo neceſſaria eſt circumſpectio, vt ſcilicet ea, quæ ordinantur

ad finem, comparentur iis, quæ circumſtant, vt, num bona & opportuna ſint, appareat. Eſt igitur pars prudentiæ,

21. Cautio eſt pars prudentiæ integralis.

Nam propter varietatem operabilium mala pleraq; miſcentur bonis, & ea impediunt, & aliquando habent ſpeciem boni. Vnde ad vitanda mala, ea ſcilicet, quæ vt in pluribus accidunt, cautione opus. Nam illa, quæ rariùs & caſu accidunt, ratione comprehendi nequeunt. Hæc ergo quoq; ad prudentiam pertinet.

22. Rectrix eſt pars ſubiectiua prudentiæ.

Ad prudentiam enim regere & præcipere pertinet. Et ideo vbi eſt ſpecialis ratio regiminis & præcepti in humanis actibus, ibi & ſpecialis ratio prudentiæ inuenitur. In regno autem ſpecialis & perfecta ratio regiminis reperitur. Quia tantò regimen eſt perfectius, quantò eſt vniuerſalius & ad plura ſe extendens, & altiorem finem attingens. Ideo & regi prudentia ſecundum ſpecialem & perfectiſsimam ſui rationem competit. Rectrix autem eſt ſpecies prudentiæ, quia ad regem pertinet dirigere. Non autem ponitur ſpecies iuſtitiæ, quia iuſtitia eſt executiua, quamuis prudentia & iuſtitia ſint maximè regi propriæ. Sub rectrice tamen & alia comprehenduntur iuſta regimina: à regno tamen, tanquam nobiliori imperio, denominata.

Politica

23. Politica eſt pars ſubiectiua prudentiæ.

Vt enim ſubditi ita à dominis regantur, vt etiam ſeipſos agant & per liberum arbitrium regant: quædam in eis rectitudo regiminis requiritur, per quam ſeipſos regant in obediendo principatibus. Huc verò ſpecies prudentiæ, quæ politica dicitur, pertinet. Differt hæc à rectrice, quia hæc agenda ſub ratione magis vniuerſali, quàm illa reſpicit, item à prudentia communiter dicta: Quia hæc hominem in ordine ad proprium bonum: Politica autem in ordine ad bonum commune regit.

24. Oeconomica eſt ſpecies prudentiæ.

Ratio enim obiecti diuerſa ſecundum vniuerſale & particulare, vel ſecundum totum & partem artes & virtutes variat, ſecundum quam diuerſitatem vna reſpectu alterius principalis eſt. Cùm ergo domus inter ſingularem perſonam & ciuitatem vel regnum media ſit; prudentiam œconomicam, quæ regina domus eſt, eſſe ſpeciem, à prudentiæ ſupradictis ſpeciebus diſtinctam, oportet.

25. Militaris eſt ſpecies prudentiæ.

Ea enim, quæ ſunt ſecundum rationem, conformia ijs, quæ aguntur ſecundum naturam, & à ratione diuina inſtituta ſunt, eſſe oportet. Natura autem non ſolùm vnamquamq; rem in ſeipſa regere, ſed etiam impugnationibus intendit reſiſtere: Qua de cauſſa animalibus concupiſcibilem & iraſcibilem tribuit. Quare ciuitatibus & regnis non ſolùm prudentia politica, qua conuenienter

ea,

ea,quæ ad bonum commune ordinantur, diſponuntur: Sed etiam militaris, per quam hoſtium inſultus repellitur,cõuenit. Et quamuis aliquando ars, prout quaſdam regulas rectè vtendi exterioribus rebus, vtputa armis, habet, dicatur: Tamen ſecundum quod ad defendendum bonum commune ordinata, pars ſubiectiua prudentiæ eſt.

26. Eubulia eſt virtus adiuncta prudentiæ.

Eubulia enim bonitatem & rectitudinem conſilij importat. Cùm igitur de ratione virtutis humanæ ſit, actum hominis bonum reddere: ideo eubolia virtus humana eſt. Et quia bene conſultare, bene iudicare & bene præcipere diuerſi actus ſunt, diuerſá habentes bonitatis rationem, beneq́ præcipere ad prudentiam pertineat, ad quod conſultare ordinatur: Hinc eſt, quòd eubulia ad prudentiam, tanquam ad principaliorem virtutem, ordinata ſit. Vnde & pars potentialis eius, id eſt, virtus ſecundaria illi adiuncta dicitur.

27. Syneſis eſt virtus annexa prudentiæ.

Syneſis iudicium rectum circa particularia operabilia infert, ſecundum quam homines ſenſati dicuntur. Et quia bonitas iudicij & conſilij non in eandem cauſſam reducuntur: ideo prudentiæ adiungatur alia, præter eubuliam, quæ ſit bene iudicatrix virtus, neceſſè eſt. Nam quidam bene conſultant, qui non rectè iudicant: Sicut etiam in ſpeculatiuis quidam bene prompti ad diſcurrendum, ex diſpoſitione imaginatiuæ virtutis, inquirunt, qui tamen non bene

propter

propter defectum intellectus, & ex mala diſpoſitione ſenſus communis, iudicare poſſunt. Ad rectum enim iudiciũ recta diſpoſitio virtutis apprehenſiuæ requiritur. Syneſis igitur prudentiæ adiungitur.

28. Gnome eſt à ſyneſi diſtincta virtus, quæ ſimpliciter prudentiæ annectitur.

In agendis enim aliquando, vt præter communes regulas aliquid faciendum ſit, contingit. Si quis enim impugnator ciuitatis ſit, huic depoſitum non reddendum eſſet. De huiuſmodi ergo ſecundum aliqua principia ſublimiora, quam ſint regulæ communes, per quas ſyneſis iudicat, ſententia ferenda foret. Et ſic ſecundum illa altiora principia altior virtus iudex, quæ eſt gnome, exigitur, quæ quandam iudicij perſpicuitatem importat. Cùm igitur habitus cognoſcentes ſecundum altiora & communiora principia diſtinguantur, & gnome à ſyneſi diſtinguatur, neceſſe eſt. Et ſic gnome ad prudentiam, ad quam & omnia agenda per rectum conſilium & iudicium regulantur, pertinet. Et hactenus de prudentia.

DE IVSTITIA.

LIBER SEXTVS.

Summa & diſpoſitio libri VI.

PRudentiam iuſtitia, tanquã inter alias morales virtus præcipua, ſequitur, de qua autor in hoc libro tractat. Primò quidem de obiecto eius. Secundò de ipſa virtute iuſtitiæ. Tertiò de partibus eius. Quoad obie-

obiectum, primò, qualiter jus ſit obiectum eius, declarat, & quid ſit, in concluſione 1. Secundò diuerſa iura diſtinguuntur, ac ſimul ius naturale & poſitiuum in 2 explicatur Ius gentium contra naturale in 3. Ius paternum & dominicum contra politicum in 4. Commune enim priùs, ſi licet, definitur, & poſtea diuiditur. Quoad ipſam virtutem iuſtitiæ, à definitione exorſus, eam in 5 ponit: Et quòd ſit virtus alterum reſpiciens in 6 oſtendit. Secundò obiectum eius in 7: Et qualis virtus ſit, ſc. generalis, in 8: Quodq́; præter illam particularis detur alia, in 9. Demum actum eius, per quem etiam cognoſcitur, in 10 declarat. Quoad partes eius, priùs agit de partibus ſubiectiuis ſimul in 11. Poſtea de partibus potentialibus hoc ordine. Primò de religione, quæ Deum reſpicit. Eſt enim prima inter alias, de qua plura docet, ſcilicet quomodo ſit virtus & pars iuſtitiæ, id eſt, illi annexa, in 12. qualis virtus ſit, in 13. quàm excellens in 14, quomodo ſe ad ſanctitatem, quæ & ipſa Deum reſpicit, habeat, in 15: Et qui ſint actus eius, in 16 tractat. Secundò de pietate, quæ parentes & patriam reſpicit, agit: (Nam debitum paternum debitum diuinum ſequitur) Et quomodo ſit virtus & pars iuſtitiæ in 17. & qualis virtus, in 18 declarat. Tertiò de obſeruantia & obedientia, quæ ſuperiores & in dignitate conſtitutos reſpicit, quibus
poſt

poſt parentes & patriam honorem debemus, quem obſeruantia exhibet, de qua in 19. & ſubiectionem, quam obedientia reddit, de qua in 20 tractat. Quartò de gratia, qua poſt prædictos debitum benefactoribus reddimus, in 21. Et quia iuſtitia non ſolùm in bonis, ad quod prædictæ virtutes: ſed etiam in malis, ad quod vindicatio ordinatur, retribuit: Conſequenter agit de hac in 22. Poſt dictas virtutes de quibuſdam alijs, quæ minus debitum, ſc. honeſtatis potiùs, quàm legis reſpiciunt, agit: Quarum prima eſt veritas, de qua in 23. Secunda amicitia, de qua priùs, vt quædam dilectio eſt, multa docet, ſc. naturam eius in 24. neceſsitatem in 25. conditiones ſeu proprietates eius in 26. 27. 28. 29. Inter quos reperiatur, in 30: Actum eius proprium in 31. qualitatem talis actus in 32. rectitudinem ipſius in 33. fundamentum in 34. principium in 35. comparationem inter amicos diuerſarum rationum, id eſt, inter benefactorem & beneficiarium, in 36. & qualitatem amicorum vſque ad 40. Sed quia amicabilia ad alterum ex amore ſui deriuantur: præmittit in 37. quis propriè ſit amator ſui. Poſtea de amicitia, vt eſt idem quod affabilitas, in 41. agit. Tertia eſt liberalitas, de qua, quomodo ſit pars iuſtitiæ, in 42. oſtendit: Circa quid verſetur, in 43. an ſit virtus, in 44. & quis actus eius, in 45. Demum

pro colophone huius libri autor de quadam iuſtitiæ parte, quæ ἐπιείκεια dicitur, in 46 tractat.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Ius eſt obiectum, ad quod actus iuſtitiæ terminatur.

Proprium enim iuſtitiæ inter alias virtutes eſt, hominem in ijs, quæ ſunt ad alterum ordinare. Infert enim æqualitatem quandam, quod & ipſum nomen ſonat. Rectum igitur in opere iuſtitiæ non eſt per comparationem ad agentem, ſed ad alium, quia ſcilicet alteri ſecundum aliquam æqualitatem reſpondet, puta, per mercedem famulitij compenſatio. Sic ergo iuſtum aliquid, quaſi habens rectitudinem iuſtitiæ, dicitur, ad quod actus iuſtitiæ terminatur: Atque hoc ius, quod obiectum iuſtitiæ eſt, vocatur.

2. Ius naturale aliud eſt à poſitiuo.

Cùm enim ius aliquod opus adæquatum alteri ſecundum aliquem æqualitatis modum ſit: hoc eſſe adæquatum, ſi ex natura rei, vt ſi aliquis tantum det, vt tantundem recipiat, ius naturale vocatur. Si ex condito communiq́ placito, aut etiam priuato, & tum pactum eſt: Aut ex publico, quia ſcilicet populus vel princeps ordinet, vt hoc huic commenſuratum ſit, ius poſitiuum dicitur, quod locum in ijs obtinet, quæ non aliquam repugnantiam ad naturalem iuſtitiam habent. Vnde à principio nihil differt. Si autem ius natu-
rale

tale aliquando mutatur, vt cùm non depoſitum furioſo reſtituitur, non mirandum, quia natura hominis mutabilis eſt: Idcirco quod eſt naturale homini, aliquando poteſt deficere. Si enim natura hominis perpetuò recta eſſet: ſemper depoſitum reddendum poſcenti foret.

3. Ius gentium à iure naturali differt.

Quòd enim aliquid ex ſua natura ſit alteri adæquatum, id vel ſecundum ſui abſolutam conſiderationem, vt cùm maſculus ex ſua ratione adæquatur fœminæ, vt ex ea generet, & parens ad filium, vt eum nutriat: vel ſecundum aliquid, quod ex ipſo conſequitur, vt proprietas poſſeſſionum euenire poteſt. Si enim iſte ager abſolutè conſideretur, non habet, vnde magis iſtius, quàm illius ſit. Sed ſi quantum ad opportunitatem colendi & ad pacificum vſum agri conſideretur: Sic quandam commenſurationem, vt ſit vnius & non alterius, habet. Primo ergo modo ius naturale etiam commune brutis eſt, à quo ius gentium, quod ſolùm hominibus commune, recedit. Nam comparare vnum alteri ſecundum illud, quod ex ipſo ſequitur, eſt proprium rationis. Unde ius gentium ius naturale homini, quia ratio naturalis hoc dictet, dicitur. Ius autem gentium, quia id apud omnes gentes, tanquam omnibus naturale, cuſtodiatur, appellatur.

4. A iure politico ius paternum, dominicum & œconomicum diſtinguitur.

mobiliter operetur. Cùm igitur dicitur: Ius ſuum vnicuique tribuit: Obiectum iuſtitiæ & actus: Cùm verò additur, voluntate: Conditio boni actus, ſc. prima & ſecunda: Tertia autem per hæc: Conſtanti & perpetua, tangitur. Iureconſulti autem cùm iuſtitiam conſtantem & perpetuam voluntatem, ius ſuum vnicuique tribuentem, finiunt, actum pro habitu ſubſtituunt.

6. Iuſtitia ſemper eſt ad alterum.

Iuſtitia enim æqualitatem inſert, quæ eſt ad alterum: Quia nihil eſt ſibiipſi æquale. Et cùm ad ipſam actus humanos regere pertineat, actiones verò ſuppoſitorum ſint: propriè iuſtitia diuerſitatem ſuppoſitorum requirit, & idcirco propriè iuſtitia non vnius hominis ad ſeipſum eſt, niſi ratione ſimilitudinis, ſecundum quam ratio iraſcibili, concupiſcibili, & partibus hominis imperat.

7. Iuſtitia in voluntate tanquam in ſubiecto eſt.

Illa potentia ſubiectum virtutis dicitur, ad cuius potentiæ actum regendum virtus ordinatur. Iuſtitia autem non ad regendum aliquem cognoſcitiuum actum ordinatur. Iuſti enim non, quia cognoſcimus rectè, ſed quia rectè operamur, dicimur. Principium autem proximum actus eſt virtus appetitiua, quæ apprehenſiuam ſequitur. Quia autem ſenſus non apprehendit proportionem vnius ad alterum: ideo iuſtitia non eſt in appetitu ſenſitiuo, ſed in voluntate, quæ rationem ſequitur. Vnde per actum voluntatis à Philoſopho definitur.

8. Iuſtitia licet ab alijs diſtinguatur virtutibus: virtus tamen generalis eſt.

Cùm enim iuſtitia actus humanos ſecundum regulam rationis dirigat, & virtutis proprium ſit habentem illam, & ſimiliter opus eius bonum reddere: Iuſtitiam virtutem eſſe oportet. Quia autem actûs humanos gubernando, hominem ad alterum ordinat, & quilibet homo particularis pars communitatis exiſtit, & quodlibet bonum partis ordinabile ad totum eſt: Iuſtitia hominem ad bonum commune dirigit. Hinc iuſtitia virtus generalis dicitur, quòd actus omnium virtutum ad eam, in quantum ad bonum commune ordinabiles pertinent. Et quia lex ad bonum commune ducit, ideo hæc iuſtitia iuſtitia legalis, quia per eam homo legi concordat, appellatur. Generalis ergo non per prædicationem, ſed per cauſſalitatem exiſtit. Vnde ſecundum ſuam eſſentiam & ſuum obiectum ſpecialis virtus, principaliter in principe, ſecundariò verò in ſubditis eſt. Quemadmodum autem omnis virtus, in quantum à iuſtitia ad bonum commune ordinatur, iuſtitia dicitur: ita rurſum iuſtitia eſſentiâ cum omni virtute idem eſt, ratione tamen differt.

9. Præter iuſtitiam generalem aliqua etiam particularis eſt.

Iuſtitia enim generalis ſufficienter quidem hominem in ijs, quæ ſunt ad alterum, quantum ad commune bonum immediatè, mediatè verò

rò, quantum ad bonum vnius ſingularis perſonæ, regit, Sicut ergo præter iuſtitiam generalem eſſe alias virtutes, quæ immediatè hominem ad bona particularia in ſeipſo ordinent, vt fortitudinem & temperantiam, oportet: ita etiam iuſtitiam particularem eſſe, quæ immediatè hominem ad bonum alterius ſingularis perſonæ deducit, neceſſe eſt. Et hæc non totam materiam virtutis moralis reſpicit, ſed ſolùm exteriores actiones & res, ſecundum quandam ſpecialem rationem, prout ſc. ſecundum eas hic homo alteri coordinatur. Vnde non circa paſſiones ſecundum quas homo in ſeipſo, non verò ad alterum immediatè regulatur, verſatur. Hinc eſt, vt medium iuſtitiæ, medium rei, & non rationis, quemadmodum in aliјs virtutibus moralibus, ſit: Quia in quadam æqualitate proportionis rei exterioris ad perſonam exteriorem, quam iuſtitia reſpicit, conſiſtit.

10. Iudicium eſt actus iuſtitiæ.

Iudicium enim propriè actum iudicis, in quantum eſt iudex, denotat. Iudex autem, quaſi ius dicens, quod obiectum iuſtitiæ eſt, dicitur. Et ideo iudicium ſecundum primam nominis impoſitionem determinationem iuſti infert, quæ ex virtute iuſtitiæ, tanquam ab ea, quæ inclinat, procedit. Ad rectam enim determinationem virtus iudicium proferens, & iudicis diſpoſitio, per quam inclinetur vel idoneus efficiatur ad iudicandum, requiritur. Ideo iudicium eſt actus iuſtitiæ. Vnde adire iudicem eſt iuſtitiam animatam, vt in-

quit Philoſophus, conuenire: quòd ſcilicet eius anima poßideri à iuſtitia tota debeat.

11. Diſtributiua & commutatiua bonæ iuſtitiæ ſpecies ſunt.

Iuſtitia enim particularis ad aliquam perſonam priuatam, quæ communitati, tanquam pars toti comparatur, refertur. Ordinem ergo vnius priuatæ perſonæ ad alteram commutatiua iuſtitia dirigit. Ordinem verò totius ad partes, hoc eſt, communitatis ad perſonas ſingulares diſtributiua iuſtitia, in quantum id, quod totius partis quoq; eſt, dirigit. Quod quidem tantò maius eſſe debet, quantò magis pars maiorem principalitatem in toto obtinet. In diſtributiua ergo iuſtitia mediū non ſecundum æqualitatem rei ad rem, ſed ſecundum proportionem rerum ad perſonas, accipitur. Sicut enim vnus excedit alterum: ita & res data vni excedit rem datam alteri. Ideo medium eius ſecundum Geometricam proportionem eſſe dicitur. In commutatione verò aliquid alicui ſingulari perſonæ propter rem, quæ accepta eſt, redditur: Et ideo rem ibi rei adæquare oportet. Vnde in commutatiua iuſtitia medium ſecundum Arithmeticam proportionem iuxta parem exceſſum attenditur. Non tamen talis omnino in operationibus ſeruanda æqualitas, vt ſc. paßio recompenſata æqualis actioni ſecundum ſpeciem ſit: Quia iuſtum ſimpliciter non eſt contra paſſum. Nam ſi quis principem pugno percutiat, multò grauiùs ipſe puniri debet. Et ideo etiam in commu-

mutationibus actionem paſsioni ſecundum quandam commenſurationem proportionatam adæquare oportet, vt contra paſſum eſſe commutatiuum iuſtum intelligatur.

12. Religio eſt virtus annexa iuſtitiæ.

Religio propriè hominem eiusq́; actus ad Deum, tanquam ad primum principium & vltimum finem, ordinat. Vnde à reeligendo, quòd ea, quæ ad diuinum cultum pertinent, frequenter religenda, & mente retractanda ſint, vel quia Deum, quem amiſeramus, reeligere debeamus: Vel à religando, quia Deo firmiter & principaliter religari debemus, dicitur. Quia ergo religio habentem bonum vnà cum opere eius efficit, eò quòd Deo conuenienter debitum reddere inſtituit; Ideo religio pertinens ad iuſtitiam virtus eſt. Sed quia ratio iuſtitiæ in eo, vt alteri, quod ſecundum æqualitatem debetur, reddatur: Homo autem reddere Deo debitum ſecundum æqualitatem non poſſit: Ideo religio non ſpecies iuſtitiæ, ſed virtus ei annexa eſt. Virtutes enim, alicui principali virtuti annexa, in aliquo cum ea communicant, & in aliquo à perfecta ipſius ratione deficiunt.

13. Religio eſt ſpecialis virtus, ab alijs virtutibus diſtincta.

Religionem enim vnam eſſe virtutem oportet, cùm vnam rationem formalem obiecti, id eſt, Deum, cui reuerentiam & ſubiectionem, in quantum eſt principium creationis & gubernationis

rerum, exhibet, reſpiciat. Quia ergo tali principio ſingularis excellentia competat, cùm omnia in infinitum tranſcendat: ideo etiam ipſi ſingularis reuerentia & miniſterium, per quàm ratio religionis ſpecificatur, debebitur, ita vt habeat rationem diſtinctam ab alijs virtutibus, ad quam ſolùm illa, quæ ſecundum rationem ſuæ ſpeciei reuerentiam Dei ſpectant, pertinent. Cætera verò ad ipſam, vt ſunt aliarum virtutum actus, tanquam ad imperantem & generalem virtutem, referri poſſunt.

14. Religio alijs virtutibus moralibus præferenda eſt.

Quantò enim ea, quæ ad finem ordinantur, ſunt fini propinquiora, tantò ſunt meliora. Deus autem finis eſt omnium virtutum, quia felicitas dicitur virtutis præmium, quæ quidem eſt Dei contemplatio. Religio autem propinquiùs, quàm cæteræ virtutes, ad Deum, in quantum operatur ea, quæ directè & immediatè ordinantur in honorem diuinum, accedit: Ideo alijs virtutibus moralibus præſtantior.

15. Religio à ſanctitate non, niſi ſecundum rationem, differt.

Sanctitas enim mundiciem infert: Vnde Græcis ſanctus ἅγιος, quaſi ἄγιος, hoc eſt, ſine terra dicitur. Denotat etiam firmitatem: Vnde dicimus, aliquid eſſe ſanctum, quia ſit lege firmatū. Vel etiam ſecundum Latinos Sanctus, quaſi ſangui-

ne

ne tinctus, id eſt, purificatus, dici poteſt. Quia antiquitus illi, qui purificari volebant, ſanguine hoſtiæ intingebantur, & ſic ſanctitas ijs, quæ diuino cultui applicantur, attribuitur, ad quam applicationem mundicia, maximè in hominibus ſecundum mentem, requiritur, vt ſcilicet mens, relictis inferioribus, ad ſuperiora ſe transferat, & ibi tanquam in vltimo fine, cui immobiliter inhærere oportet, firmetur. Et ſic ſanctitas, per quam mens hominis ſeipſam & ſuos actus Deo applicat, dicitur. Vnde, non à religione ſecundum eſſentiam, ſed ſolùm ſecundum rationem differre, patet. Nam religio propriè Deo famulitium in ijs, quæ ſpecialiter ad cultum diuinum pertinent, exhibet: Sed ſanctitas quoque ſecundum quod aliarum virtutum opera in Deum refert. Quemadmodum & religio virtus generalis: prout autem ſanctitas ſpecialis virtus eſt, à religione, quæ ſecundum eſſentiam virtus ſpecialis, non differt.

16. Religio actus exteriores & interiores habet.

Cùm enim Deo reuerentiam & ſubiectionem exhibeat, id non propter vtilitatem Dei, qui talibus minimè indiget, agit: Sed propter ſuam perfectionem facit. Nam ſuperiori ſubijci inferioris perfectio eſt. Deo ergo homo ſe ſubijcit, vt ipſi coniungatur. Sed quia homo per ſenſibilia ad ſpiritualia manu ducitur: in diuino cultu aliquibus corporalibus, quaſi quibuſdam ſignis, vt

bis

bis mens ad ſpirituales actus, quibus Deo coniungimur, excitetur, opus habet. Et ideo religio habet interiores actus quaſi principales, & per ſe ad religionem pertinentes, vt ſunt deuotio & oratio: Et exteriores quaſi ſecundarios, & ad interiores ordinatos, vt ſunt adoratio, & ſacramentorum vſurpatio, de quibus omnibus loco conuenientiori in Theologia pertractabimus.

17. Pietas eſt virtus annexa iuſtitiæ.

Pietas enim eſt virtus, per quam cultum patriæ & parentibus exhibemus, qua homo vnà cum opere bonus efficitur. Cùm autem parentibus & patriæ reddere æquiualens non poßimus: ideò pietas non ſpecies iuſtitiæ, ſed virtus tantùm ipſi annexa eſt. Nam Deo, qui eſt primum principium eſſendi & gubernationis, excellentißimus debetur cultus, ſecundariò verò noſtri eſſe & gubernationis principium parentes & patria exiſtunt, parentum nomine omnes conſanguineos, patriæ omnes ciues & amicos comprehendentes. Cùm ergo homo parentum & patriæ debitor ſit: cultum poſt Deum his exhibere tenetur.

18. Pietas eſt ſpecialis virtus ab alijs diſtincta.

Specialem enim rationem obiecti reſpicit, id eſt, ſpecialem rationem debiti alicuius perſonæ, hoc eſt, cultum rationalis principij in eſſe perducentis & gubernantis, quod ſunt ipſi parentes & patria. Et hic cultus eſt quædam teſtatio charitatis, ſicut religio fidei & ſpei demonſtratio. Et

quam-

quamuis Deus principium eſſendi ſit : tamen ipſi non pietatis cultus,ſed alius excellentior debetur, qui ad religionem pertinet. Deus enim excellentiori modo eſſendi principium, quàm parentes & patria exiſtit. Vnde vera religione vt coli Deus poſſit, in parentes & patriam poſthabenda pietas.

19. Obſeruantia eſt ſpecialis virtus annexa iuſtitiæ.

Neceſſe eſt enim, vt per quendam ordinatum deſcenſum, pro perſonarum, quibus aliquid reddendum, excellentia, virtutes diſtinguantur. Nam quemadmodum pater principium generationis, gubernationis, diſciplinæ, & omnium, quæ ad perfectionem vitæ humanæ pertinent, exiſtit : ita perſona in dignitate conſtituta principium gubernationis reſpectu aliquarum rerum eſt,vt princeps in ciuitate, & dux in exercitu, & magiſter in diſciplinis, & ſic de alijs. Sicut ergo parentibus cultum pietatis exhibemus, ita & huiuſmodi hominibus aliquem cultum infra pietatem exhibere debemus, cùm aliquo modo patres noſtri ſint, id quod per obſeruantiam fit : Vnde eis ratione excellentiæ reuerentia, & ratione officij gubernationis cultus debetur, qui in quodam obſequio, eorum obediendo imperio, & vicem pro beneficijs ſuo modo rependendo, conſiſtit. In cultu enim non ſolùm honor,ſed etiam quidquid ad decentes actus pertinet,intelligitur. Reuerentia autem, quæ ratione excellentiæ illis,qui ſcientiam vel virtutem,

non tamen officium gubernandi habent, præſtatur, item ad virtutem obſeruantiæ reducitur. Quia verò æquale hominibus virtuoſis & in ſublimitate conſtitutis, velut & Deo ac parentibus reddi nequit: Ideo obſeruantia non ſpecies iuſtitiæ, ſed ipſi tantùm annexa eſt.

20. Obedientia eſt ſpecialis virtus ad iuſtitiam pertinens.

Ad omnia enim opera bona, quæ ſpecialem rationem laudis habent, ſpecialis determinatur virtus. Obedire autem ſuperiori debitum eſt ſecundum diuinum ordinem rebus inditum, qua videmus inferiora ſecundum motionem inferioribus ſubdi. Unde obedientia ſpecialis virtus eſt, quæ motum ſuperiorum reſpicit. Vnde eius formale obiectum præceptum tacitum vel expreſſum eſt. Cùm ergo habeat debitum & non æqualitatem, quòd ſuperioribus reddi non poßit æquiualens: patet, obedientiam iuſtitiæ annexam eſſe.

21. Gratia eſt ſpecialis virtus ab alijs diſtincta, ad iuſtitiam pertinens.

Secundum enim diuerſas cauſſas, ex quibus aliquid debetur, debiti reddendi rationem variari, neceſſe eſt: ita tamen, vt ſemper in maiori id, quod minus eſt, contineatur. Igitur prædictas iuſtitiæ annexas virtutes gratia ſequitur, quæ recompenſationē particularis beneficij ab aliquo benefactore recepti reſpicit: Hoc enim debitum eſt. Nam in naturalibus videmus, cauſſam ad ſe effectū

con-

conuertere. Benefactor autem, in quantum huiuſmodi, eſt cauſſa beneficiarij. Hæc tamen recompenſatio per honorem, laudes, vel reuerentiam, vel alicuius collationem beneficij fit, quæ tamen magis ſecundum affectum, quàm ſecundum effectum attenditur. Et quia benefactor confert beneficium gratis, ex debito honeſtatis ad beneficiarium, ſimiliter vt gratis aliquid impendat, pertinet; Quod non videtur facere, ſi quantitatem accepti beneficij non excederet: Et ideo excedere ſaltem quantum ad affectum debet. Cùm igitur hic cadat debiti reddendi ratio, & non reddatur æquale ſecundum res, ſed ſolùm ſecundum voluntates: patet, gratiam perfectam iuſtitiæ rationem non habere, & ideo nec ſpeciem eius, ſed virtutem illi tantùm annexam eſſe.

22. Vindicatio eſt ſpecialis virtus annexa iuſtitiæ.

Aptitudo enim ad virtutem ineſt nobis à natura. Vnde virtutes ad proſequendum debito modo inclinationes naturales nos perficiunt, quæ ad ius naturale pertinent. Eſt autem quædam ſpecialis inclinatio naturalis tam in brutis, quàm in hominibus, & in cæteris quoq; rebus ad remouendum noxia. Repellit autem homo talia, quia vel ſe contra iniurias, ne inferantur, defendit, vel iam illatas vlciſcitur, non tamen nocendi propoſito, quia ſic animus in malum,

quod

quod à virtute alienum, ferretur: Sed potiùs remouendi noxiæ intentione. Nocumentum autem dico, vel honoris Dei, vel ſui, vel proximorum. Vnde mens principaliter ad aliquod bonum, vt ad punitionem vel emendationem peccantis, vel quietem propriam & pacem publicam ferri debet: ita tamen, vt nec per crudelitatem excedat, nec per remiſsionem deficiat. Punitio ergo peccatorum, prout ad publicam iuſtitiam pertinet, actus commutatiuæ iuſtitiæ eſt: Vt autem immunitatem alicuius perſonæ ſingularis, à qua iniuria propulſatur, ſpectat, ad vindicationem pertinet. Et quia rationem debiti habet, nec tamen ſemper æquale reddi debet, ſed prout ipſa immunitas vindicandæ perſonæ, vel etiam emendatio iniuriantis id exigit: Idcirco virtus annexa iuſtitiæ eſt.

23. Veritas ſeu veracitas eſt virtus annexa iuſtitiæ.

Per veritatem autem habitum quendam, ſecundum quem aliquis in dictis & factis talem ſe demonſtrat, qualis eſt, ita vt nec de ſe maiora nec minora oſtendat: Quanquam hic in defectu minùs peccatur. Quia ergo virtus habentem & opus eius bonum efficit, facere autem & dicere veritatem, actus bonus eſt: Ideo virtus ſpecialis eſt, obiectum ſpeciale reſpiciens, hoc eſt, ſpecialem ordinem, ſecundum quem exteriora dicta vel facta debitè ad aliquid ordinantur.

ordinantur. Et quia ad alterum, prout homo ea, quæ intra vel circa ſe ſunt, alteri manifeſtat, refertur, & æqualitatem quandam adæquando ſigna rebus infert, ad iuſtitiam pertineat oportet. Quia verò non debitum legale, ſed morale, in quantum ſc. ex honeſtate vnus homo alteri veritatis manifeſtationem debet, habet: idcirco pars iuſtitiæ, quemadmodum virtus ei annexa, eſt.

24. Amicitia eſt virtus annexa iuſtitiæ.

Amicitia eſt dilectio, qua aliqui ſibi inuicem ſcienter bene volunt. Non enim amicitia quilibet amor eſt, quo homo bonum alterius vult. Nam amare alterum propter ſeipſum ad amorem concupiſcentiæ, non amicitiæ, pertinet. Ergo vt amor beneuolentiæ ſit, requiritur, vt diligatur aliquis illius gratia. Sed hoc nedum ſufficit, niſi rurſum amatus bonum amanti eius gratia velit: Mutuus enim amor ſit oportet, vt ſc. amans ametur. Habet enim quandam amicitia amoris commutationem, ſecundum formam commutatiuæ iuſtitiæ: Ideo, quòd ſe inuicem diligant, amicos noſſe oportet. Ignoti enim nulla cupido. Hæc autem dilectio in communicatione aliqua, hoc eſt, vel in honeſto, vel vtili, vel delectabili fundatur. Et propter hos diuerſos fines triplex genus exiſtit amicitiæ. Sed amicitia, quæ honeſto conſtat, ſimpliciſsima, veriſsimaq́. Cæteræ autem, quæ aut iucunditatem, aut vtilitatem, aut quoduis aliud duntaxat apparens captant bonum, non veniunt

meritò amicitiæ nomine. Neque enim diuturnæ illæ ſunt, neq; in eis illa amoris reciprocatio ſemper reperitur. Amicitia igitur, ſimpliciter dicta, cùm non poſſit ſine virtute eſſe, & honeſtum reſpiciat, eam habentem & opus eius bonum efficit. Cùmq; ſit ad alterum, & non plenam rationem debiti habeat, prout ſc. aliquis alteri ex debito legali, ad quod lex cogit, vel ex aliquo proueniente beneficio obligatur, ſed ſolùm quoddam honeſtatis debitum, quod magis eſt ex parte virtuoſi, quàm alterius, attendit: Hinc eſt, vt amicitia ſit virtus, ad iuſtitiam, tanquam pars ei annexa, pertinens, non tamen ſpecies eius exiſtat.

25. Amicitia ad humanam vitam neceſſaria eſt.

Cùm enim homo ſit animal ciuile & ſociabile: amicitia ſit hominibus naturalis oportet, & per conſequens neceſſaria: Maximè autem ad communitatem ciuitatis inſtituendam atq; conſeruandam, quæ communitas vitæ humanæ, vt infrà dicetur, perneceſſaria.

26. Amicitia ſimpliciter & per ſe dicta non facilè: illa verò, quæ per accidens eſt, non difficulter diſſoluitur.

Amicitiam ſimpliciter & per ſe illam voco, quæ eſt propter honeſtum, qua illi, qui ſunt virtute ſimiles & amici, ſibi inuicem bona, in quantum ſunt boni, id eſt, ſecundum ſe, cupiunt. Amicitiam verò per accidens dico, quæ eſt propter vtile vel delectabile. Per hanc enim non

pro

propter ſeipſum, ſed gratia vtilitatis & delectationis amantis amatur quiſpiam: Vnde amor propter alterum eſt. Quia ergo idem non ſemper eſt vtile & delectabile, ſed multipliciter variatur: Hinc talis amicitia facilè ſoluitur. Verum amicitia propter honeſtum cum difficultate diſſoluitur, tum quia illud, quod eſt per ſe, eſt ſtabile, tum quia in virtute, quæ difficulter mobilis, fundatur, tum etiam quia in ſe omnia bona, eò quòd honeſtum etiam vtile & delectabile ſit, continet.

27. Amicitia per ſe aliquando propter defectum actus deficit.

Actus enim eius ſunt: conuiuere, colloqui, & ſimul commorari. Si ergo fuerint abſentes amici, diſſoluetur amicitia, ſicut etiam alij habitus per desuetudinem corrumpuntur. Et ideo in ſenibus & hominibus agreſtibus, qui non ſunt ad actus hos apti, nec fit, nec permanet amicitia: nec in illis etiam, qui nunquam conuiuunt, vel inuicem pauxillum nimis commorantur.

28. Amicitia vera rara eſt.

Quia rara eſt virtus, in qua fundatur, & opus eſt longo tempore, vt amici ſe inuicem poßint perfectè cognoſcere & explorare: Nec antè rata, firmáque inter ipſos amicitia. Ergo amicitia talis rara.

29. Amicitia perfecta non eſt erga multos.

Hæc enim habet rationem ſuperabundantiæ in amando ſecundum rectam rationem. Superabundans autẽ amor non eſt ad multos. Nõ enim eſt

facilè vel paucos inuenire, qui in omnibus placeant ſecundum rationem rectam: Et maximè difficile eſt de multis longo tempore experientiam ſufficientem ſumere.

30. Amicitia inter inæquales, non autem inter multùm diſtantes, eſſe poteſt.

Inter patrem enim & filium, & inter aliquem excedentem alium & illum exceſſum mutuus eſſe amor poteſt, ita vt ſibi inuicem propter honeſtum bonum velle poßint, quamuis non eadem virtus amicitiæ in ſuperiori, quæ in inferiori, ſit: Quia aliud requirit ſuperior ab inferiori, & aliud à ſuperiori inferior. Verùm quando nimiùm diſtant, cùm non poßint ſimul conuenire, nec inter eos, vt inter Deum & homines, reges & pauperes, ſapientißimos & rudes, amicitia eſſe poteſt. Ad amicitiam enim æqualitas quædam vel proportio, quæ non eſt inter multùm diſtantes, requiritur.

31. Amicitia magis in actione, quàm paſsione conſiſtit.

Velle enim magis amari, quàm amare, non eſt propriè amici, ſed amatoris honorum: Quia amari proximum eſſe ei, quod eſt honorari, videtur. Amare autem eſt bene operari, quod opus ab habitu amicitiæ procedit. Habitus enim ad operationem determinatur. Vnde etiam matres plùs delectantur filios amare, quàm ab eis amari, cuius rei ſignum, quòd etſi ab eis non amantur, amant tamen eos nihilominus.

Amare

31. Amare ſecundum proportionem vniuſcuiuſque conſeruat amicitiam.

Cùm enim virtus amatoris ſecundum amare, & non ſecundum amari attendatur, in quibuscunq; contingit, vt amicos ſecundũ proportionem dignitatis ament, tales amici permanent, & eorum perſeuerans eſt amicitia. Sic enim, dum ſe inuicem amant ſecundum ſuam dignitatem, etiam illi, qui ſunt inæqualis conditionis, eſſe amici poterunt: Quia per hoc, dum vnus eorum, quò magis deficiet in bonitate, aut in quacunq; excellentia, eò plùs amabit, æquabitur. Et ita abundantia amoris defectum conditionis compenſabit: Et ſic per quandam æqualitatem & ſimilitudinem, quæ propriè ad amicitiam pertinet, fient ac perſeuerabunt amici.

33. Amicitia vera nihil contra virtutem vult.

Hic enim amor eſt ſecundum rationem, quam amici quærunt. Non enim amicus amicum ſuum peccare, & præter rationem agere vult, nec ipſe propter amicum rationem tranſgredi, & præter virtutem agere cupit. Nam veri amici boni ſunt, & in virtute fundati. Et ideo nihil contra virtutem, nec in ſe, nec propter amicitiam in amico volunt.

34. Omnis amicitia in aliqua communicatione conſiſtit.

Nam cùm amicitia ſit iuſtitiæ annexa, aliquo modo circa eadem eſſe iuſtitiam & amicitiam, opor-

oportet. Iuſtitia autem eſt ad alterum per aliquam communicationem: Ideo etiam amicitia in aliqua communicatione fundatur, vt in communicatione vnius artis, vel ſcientiæ, vel virtutis, vel cognationis, vel alterius communicationis. Vnde quoſdam commilitones, quoſdam condiſcipulos, &c. vocamus. Omnes tamen hæ communitates ſub politica communitate, tanquam partes ſub toto, continentur.

35. Beneuolentia non eſt amicitia, ſed principium eius.

Beneuolentia enim multoties ad extraneos eſt, & ad eos, quibus noſter occultus amor eſt. Beneuolus enim ſolùm bene vult & cupit ei, cui eſt beneuolus, ſed de malis eius non triſtatur, nec pro eo quicquam agit. Eſt tamen amicitiæ principium, quia nullus ſine beneuolentia fieri amicus poteſt.

36. Benefactores magis amant beneficiarios, quàm econtra.

Tum quia naturale eſt vnicuiq; opus ſuum, quemadmodum & eſſe ſuum, quod per opus manifeſtatur, diligere. At operi non eſt ita naturale ſuum autorem diligere, quia vnusquiſq; plùs diligit ſeipſum, quàm alium, tum quia bonum proprium benefactoris & proprius actus eius eſt benefacere, maximè autem ab omnibus diligitur proprium bonum. Non eſt autem hoc proprium beneficiarij, cùm quia benefacere eſt bonum honeſtum, quod magis amatur, quàm bonum vtile, quale eſt beneficiarij: tum quia agere magis amatur, quàm pati

pati: tum etiam quia ea, quæ laborioſè fiunt, magis, quàm ea, quæ abſque labore prodeunt, diliguntur.

37. Amator ſui propriè eſt, qui ſibi bonum virtutis vult.

Amator enim ſui iuxta vulgarem conſuetudinem reprobatur: Quia ſibi bona ſenſibilia, quæ non ſunt verè bona, cupit. Et ideo alios propter ſeipſum amat. Sed qui ſibi bonum virtutis vult, ſibi verum & magnum bonum, & in parte principali, id eſt, in ratione vult. Amare autem eſt velle bonum. Hic ergo propriè amator ſui appellandus. Cæteri verò, quia ſe contra bonũ rationis amant, magis ſui vſores dicendi.

38. Non quærendi multi amici ſunt.

Tum quia difficilè inueniri poſſunt, tum quia pauci ſunt præditi virtutibus, tum quia experientia longa non poteſt de multis fieri. Tot ergo quærantur, quot ad vitam humanam ſufficiant.

39. In vtraque fortuna præſtò ſibi eſſe amici debent.

Proprium eſt enim amici benefacere, & amico cooperari, cùm quaſi vnum vterque ſit. Vnde ſponte in ſecundis congratulari, in aduerſis verò dolere, & in eorundem oppugnatione mutuam operam tradere debent.

40. Ab amico fortunato moderatè auxilium petendum.

Non enim nimiùm onerandi amici, nec apud eos nomen & cauſſa amicitiæ ſuſpecta reddenda.

41. Amicitia, quæ dicitur affabilitas, eſt virtus annexa iuſtitiæ.

Amicitia enim, de qua hactenus locuti ſumus, principaliter in affectu conſiſtit. Sed hæc, quæ affabilitas dicitur, in ſolis verbis & factis exterioribus, ſecundum quæ homo ſe decenter ad illos, cum quibus conuerſatur, habet. Hominem enim conuenienter ad alios homines in communi conuerſatione tàm in factis, quàm in dictis, ordinari oportet. Et in homine aliquam virtutem, quæ conuenientiam huius ordinis obſeruet, eſſe, neceſſe eſt. Vbi enim ſpecialis ratio boni occurrerit, ſpecialis ratio virtutis requiritur. Cùm ergo ad alterum ſit, ad iuſtitiam pertinet. Verùm quia non niſi debitum honeſtatis habet, non ſpecies eius, ſed virtus illi annexa eſt.

42. Liberalitas annectitur iuſtitiæ.

Liberalitas ſiquidem ad alterum & ad res exteriores eſt, cum iuſtitia conuenit. Quia verò iuſtitia alteri, quod eius eſt: Liberalitas autem id, quod ſuum eſt, exhibet, à iuſtitia differt. Res enim exteriores alia ratione, quàm iuſtitia, reſpicit: Et ideo ipſi, velut virtus ſecundaria, annectitur.

43. Liberalitas circa paſsiones & pecunias verſatur.

Liberalitas enim per ſe ad oſtendendam propriam affectionem circa pecuniarum & diuitiarum vſum tendit. Dicitur enim liberalis ab emittendo, ſiue elargiendo largus: Vnde liberalitas

litas alio nomine largitas appellatur. Nam quod largum eſt, non retinet, ſed potiùs emittit. Cùm igitur aliquis à ſe quippiam emittit, quodammodo ab eius cuſtodia ſe vindicat, & animum ſuum ab eius affectu liberum eſſe, oſtendit. Ea verò, quæ ab vno homine in alium emittenda, bona poſſeſſa ſunt, quæ omnia nomine pecuniæ ſignificantur. Et ideò immediatè materia liberalitatis interiores paſſiones ſunt: Pecunia autem materia exterior, & aliquo modo obiectum ipſarum paßionum exiſtit.

44. Liberalitas eſt virtus.

Nam bene vti ijs, quibus abuti poſſumus, ad virtutem pertinet. Poſſumus autem bene & malè vti non ſolùm ijs, quæ ſunt intra nos, id eſt, paſſionibus & potentijs animæ, ſed etiam ijs, quæ ſunt extra nos, id eſt, rebus nobis ad ſuſtentationē vitæ conceßis. Cùm ergo aliquando vti huiuſmodi rebus pertineat ad liberalitatem: Sequitur, quòd liberalitas ſit virtus, & eius actus ſit vti pecunijs, & quibuſcunq; rebus, quæ pecunia æſtimari poſſunt. Pecunia enim & huiuſmodi res ſub ratione bonorum vtilium cadunt. Ideo actus eius proportionatus vti eis, & ad vſum eas præparare & conſeruare, exiſtit.

45. Ad liberalem maximè pertinet dare.

Proprium enim liberalis eſt vti pecunia. Vſus autem pecuniæ in emiſſione ipſius conſiſtit. Acquiſitio enim generationi: Cuſtodia verò, quæ

Ordinatur ad vſum, habitui aſſimilatur. Emiſſio autem alicuius rei quantò ſit ad aliquid diſtantiùs, tantò à maiori virtute procedit, vt in his, quæ proijciuntur, patet. Ex maiori ergo virtute pecuniam emittere, dando eam alijs, quam eam circa ſeipſum expetere, proficiſcitur. Proprium autem virtutis eſt, vt præcipuè tendat in id, quod perfectius eſt. Nam virtus eſt perfectio quædam: Et idcirco liberalitas maximè ex datione, ſeruatis debitis circumſtantijs, ſcilicet ſi propter bonum finem, & rectè, id eſt, ſecundum regulam rationis fiat, laudatur.

46. ἐπιείκεια eſt virtus & pars ſubiectiua iuſtitiæ.

ἐπιείκεια enim quædam legum moderatio eſt, quæ apud nos dici æquitas poteſt. Cùm enim humani actus, de quibus leges feruntur, in ſingularibus conſiſtant, quæ infinitis modis variari poſſunt: non fuit poßibile, aliquam regulam legis inſtitui, quæ in nullo caſu deficeret. Vnde legiſlatores ad id ſolum, quod vt in pluribus euenit, ſpectárunt, & ſecundum hoc leges tulerunt, quas certò ſeruari in aliquibus caſibus, contra æqualitatem iuſtitiæ, & contra bonum commune, quod lex intendit, foret. Quare melius aliquando, prætermiſſa verborum legis conſideratione, id, quod iuſtitiæ ratio & communis vtilitas dictat, ſequi: quorſum ἐπιείκεια ordinata. Cùm ergo opus bonum reddat, virtus eſt et quædam iuſtitia: Et de ea iuſtitia, quæ ſimpliciter dicta, prius

quam

quam de iuſtitia legali, quæ legi ſecundum verba obtemperat, prædicatur. Nam hæc, quæ ipſi reſpectu humanorum actuum ſuperior ab ἐπιεικείᾳ regulatur. ἐπιείκεια igitur iuſtum, non ſimpliciter, ſed quod ex lege determinatum, deſerit: Nec tamen ſeueritati, quæ legem, in quibus oportet, ſequitur, opponitur. Et hæc de iuſtitia atq; partibus eius breuiter dixiſſe ſufficiat.

DE FORTITVDINE.

LIBER SEPTIMVS.

Summa & diſpoſitio libri VII.

IVſtitiam fortitudo ſequitur, de qua duo principaliter agit: Scilicet de ipſa fortitudine ſecundum ſe, & de partibus eius. Quoad primum, declarat naturam fortitudinis ex definitione eius in 1 concluſione, ex obiecto in 2. & ex actu in 3. Et vt meliùs eius actus innoteſcat, per quem ipſa maximè cognoſcitur, tria de illo ſubdit: Sc. qualitatē eius in 4. quando maximè manifeſtet fortitudinem in 5. & quomodo ſe habeat ad iram, in 6. Quoad ſecundū, primò de partibus integralibus ſimul in 7 tractat oſtendens, ſimul illā non habere partes ſubiectiuas.

Secun-

Secundò de partibus potentialibus, quarum prima eſt magnanimitas, cuius naturam declarat in 8. proprietates in 9. quæ ad ipſam pertineant in 10. & quæ ad illam conferant in 11. Secunda eſt magnificentia, de qua in 12. Tertia patientia, de qua in 13 & 14. Quarta longanimitas, de qua in 15. Quinta perſeuerantia, de qua in 16. vltima conſtantia, de qua in 17 agit.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Fortitudo eſt virtus, quæ circa pericula mortis timorem cohibet, & audaciam moderatur.

Cùm homo perſæpe ab eo, quod eſt ſecundum rationem, propter aliquid difficile, quod incumbit, repellatur: Aliquam eſſe virtutem in eo, quæ hoc impedimentum remoueat, oportet. Hæc autem fortitudo eſt, quæ, prout quandam firmitatem in illis, in quibus maximè difficile firmitatem habere, importat, virtus ſpecialis eſt, materiam determinatam habens: Et principaliter circa timores mortis verſatur. Quia ad fortitudinem impedimentum, quo voluntas à ſequela rationis retrahitur, remouere pertinet. Si autem quiſpiam ab aliquo difficili retrahatur, pertinebit id ad rationem timoris, qui receſſum à malo difficultatem habente infert. Sed quia non ſolùm difficilium rerum impulſum firmiter tolerare, ſed etiã modera-

moderatè aggredi oportet, quod ad audaciam pertinet: ideo fortitudo circa timores & audacias verſatur. Et quia nullum bonum corporale bono rationis æquiualet: Fortitudinem retinere voluntatem hominis in bono rationis firmiter, & contra maxima mala, neceſſe eſt. Virtus enim vltimum reſpicit. Maximum autem terribile inter omnia corporalia mala mors, quæ omnia corporalia bona aufert. Fortitudinem ergo circa pericula mortis verſari ſequitur.

2. Fortitudo propriè circa pericula mortis, quæ in bello obueniunt, verſatur.

Ad fortitudinem enim pertinet, vt non pericula mortis propter aliquod bonum proſequendum effugiat. Pericula autem mortis, quæ ſunt ex ægritudine, tempeſtate, vel ex incurſu latronum, & alijs huiuſmodi, non neceſſariò alicui directè, quemadmodum pericula in bellicis rebus, imminere videntur. Et ideo fortitudo propriè circa pericula mortis, quæ ſunt in bello iuſto, ſiue ſit bellum generale, ſiue particulare, obueniunt, verſatur.

3. Suſtinere, actus fortitudinis principalis eſt.

Difficilius enim eſt timorem reprimere, quàm audaciam moderari, eò quòd ipſum periculum, quod eſt obiectum audaciæ & timoris, de ſe confert aliquid ad audaciæ repreſſionem, & ad augmentum timoris. Vnde difficilius eſt ſuſtinere, quàm aggredi. Virtus autem eſt circa difficilius: Ideo principalis actus fortis eſt ſuſtinere.

In

4. In actu ſuo à forti non requiritur, vt delectetur, ſed ſufficit, vt non triſtetur.

Fortis enim in proximum finem, tanquam in ſimilitudinem ſui habitus tendit, vt ſc. ipſum actu exprimat, quod eſt fortiter agere. Intendit enim agere ſecundum conuenientiam ſui habitus. Finis autem remotus eſt beatitudo vel Deus. Ex vna ergo parte in actu ſuo, vt delectetur, ſc. ſecundum delectationem animalem de ipſo actu virtutis, & de fine eius, habet: Ex alia verò parte, vnde doleat, etiam animaliter, dum conſiderat amiſſionem propriæ vitæ, & corporaliter, dum vulnera ſuſtinet. Senſibilis ergo dolor corporis, vt non ſentiat animalem delectationem virtutis, efficit. Facit tamen virtus fortitudinis, vt non ratio corporalibus doloribus abſorbeatur. Triſtitiam autem animalem delectatio virtutis, in quantum homo præfert vonum virtutis corporali vitæ, & quibuſcunq; ad eã pertinentibus, ſuperat. Quare à forti non requiritur, vt delectetur, ſed ſufficit, ſi non triſtetur.

5. Fortitudo in repentinis maximè manifeſtatur.

Habitus enim modo naturæ agit. Unde ſi quiſpiam abſq; præmeditatione ea, quæ ſunt virtutis, cùm neceſſitas imminet propter repentina pericula, faciat: Hoc, maximè fortitudinem habitualiter eſſe in anima confirmatam, manifeſtat. Nam poteſt etiam aliquis, habitu fortitudinis carens, diuturna præmeditatione animum ſuum contra imminentia pericula præparare, qua præparatione

tione etiam fortis vtitur, vt, cùm tempus adeſt, poſſit reſiſtere, aut ſaltem faciliùs ferre.

6. Fortitudo in actu ſecũdario iram aſſumit.

Ad aggrediendum enim iram moderatam, quaſi auxilium ab ea accipiens, aſſumit. Nam virtus etiam appetitu ſenſitiuo, vt inſtrumento, velut & membris corporis, vtitur. Ad iram enim inſilire in inſultantem pertinet: Non autem ita directè ad alias paſſiones ſpectat. Vnde directè ira fortitudini in aggrediendo cooperatur. Ad ſuſtinendum autem iram non aſſumit, quia hunc actum ratio per ſe facit.

7. Fortitudo non partes ſubiectiuas, ſed integrales habet.

Cùm enim circa materiam valde ſpecialem verſetur, partes ſpecie differentes habere nequit. Partes verò integrales, quæ ſc. neceſſariò ad actus eius perficiendos concurrunt, obtinet. At actum enim aggrediendi primò, vt aliquis habeat promtum animum ad aggrediendum, requiritur. Et quantum ad hoc, pars eius integralis fiducia vel magnanimitas eſt. Secundò, ne in excutione illorũ, quæ cum fiducia inchoauit, deficiat, & ratione huius magnificentia ponitur. Hæc duo autem ad integrandum hunc actum fortitudinis, ſi ad propriam eius materiam, id eſt, ad pericula mortis coarctentur, concurrere, intellige. Nam circa alias materias minùs difficiles, virtutes ſpecie à fortitudine diſtinctæ exiſtunt, cui tamen, quemadmodum ſecundariæ principali, adiunguntur. Ad actum verò ſuſtinendi primò, ne difficultate imminentium

tium malorum animus per triſtitiam frangatur, & ſua magnitudine excidat, requiritur: Et ratione huius patientia conſtituitur. Secundò, ne ex diuturna difficilium perpeßione eò vſq;, vt deſinat, fatigetur, quorſum perſeuerantia pertinet. Has etiam duas, vbi ad propriam materiam coarctantur, fortitudinis partes integrales eſſe, intellige. Ad alias enim materias virtutes, ſpecie ab ea diſtinctæ, applicatæ: Ei tamen, ſicut ſecundariæ principali, coniunctæ.

8. Magnanimitas eſt ſpecialis virtus annexa fortitudini.

Magnanimitas enim quandam animi extenſionem ad magna, hoc eſt, ad magnos actus infert. Hi magni ſimpliciter dicuntur, quia in optimo vſu rei maximæ conſiſtunt. Huiuſmodi inter res, quæ in hominis vſum veniunt, honor eſt, eò quòd propinquior virtuti, quaſi teſtis eius, idem Deo exhibetur, & quòd propter hunc homines omnia alia poſtponunt: ideo magnanimitas circa honores verſatur. Et quia virtus eſt circa difficile, vel ſecundum rationem, quia difficile ſit inuenire medium, vt in actu iuſtitiæ: vel ſecundum repugnantiam, quia paſſiones pugnant contra rationem: Et quædam paßiones exiguam vim repugnandi habent: Ideo circa eas virtutes non conſtituimus, ſed potiùs circa illas, quæ magnam vim repugnandi rationi obtinent, quam quidem ex rebus exterioribus, quæ ſunt eorum obiecta, velut amor pecuniæ & honoris, habent. Circa

has

has autem paſſiones virtutes ponimus, non ſolùm ratione illius, quod in eis maximum eſt, ſed etiam circa mediocria & minora. Quia res exteriores etiamſi ſint paruæ, multùm tamen, vtpote neceſſariæ ad vitam hominis, appetibiles ſunt: Et ob id circa paruos & magnos honores virtutem ponimus. Magnanimitas ergo circa magnos honores, & alia virtus innominata circa mediocres verſatur: Quæ dici vel nominari ex extremis philotimia & aphilotimia, id eſt, amor honoris, & ſine amore honoris, poteſt. Vnde magnanimitas immediatè circa paſſionem ſpei, mediatè autem circa honorem, ſicut circa obiectum ſpei occupatur, & in aliquod magnum, tanquam in finem, tendit. Quia ergo modum rationis circa determinatam materiam ponit, ideo ſpecialis virtus eſt, & cum fortitudine, quatenus animum circa aliquid medium confirmat, conuenit: Ab ea verò, quòd animum circa aliquod faciliùs firmat, deficit. Ideo fortitudini, tanquam virtus ſecundaria principali, adiungitur.

9. Magnanimitas multas proprietates habet.

Habet enim quaſdam corporales proprietates. Nam quia corporales motus ſecundum diuerſas animæ apprehenſiones & affectiones variantur: magnanimus ſolùm ad magna, quæ pauca ſunt, magnaq; attentione indigent, intendit, nec ſe niſi magnis committit. Ideo magnanimus ille eſt, qui naturaliter ad magnanimitatem diſpoſi-

tus, incedit motu tardo, voce graui & locutione ſtabili vtitur: Pro præſtitis ſibi benefactis maiora rependit, pro ſuis nihil exigit, in otio degit, hoc eſt, alienis & leuibus præſertim ſe non ingerit: In multos ironicus eſt, ſolis amicis parcit, à ſimulatione & adulatione alieniſſimus eſt, bona honeſta vtilibus præponit, ad eáque, quæ excellentiam inferunt, contendit, quæ verò defectum afferunt, fugit: Contemtum contemnit, & riſum aliorum ridet, iniurijs non frangitur, honoribus non extollitur, apertè amat, odit, liberè iudicat, veritati, non hominum opinioni, ſtudet, ſenſui reſpondet oratio, mordentes catulos ſpernit, prouocantes moloſſos proſternit, & vbique victor abit: Et quod caput rei eſt, iniuriarum obliuiſcitur. Atque ſic omnium virtutum egregium promtuarium magnanimitas eſt.

10. Fiducia & ſecuritas ad magnanimitatem pertinent.

Fiducia enim quoddam robur ſpei, proueniens ex aliqua conſideratione potentiæ amici vel propriarum virium, importat, quæ fidem, id eſt, vehementem opinionem de bono aſſequendo efficit. Cùm ergo magnanimitas propriè circa ſpeciem alicuius ardui verſetur: patet, fiduciam ad magnanimitatem magis, quàm ad fortitudinem, quæ hominem contra mala firmat, ſpectare: Ad quam tamen, quatenus ſpes cauſſat audaciã, quæ ad ipſam ſpectat, pertinet. Et quamuis magnanimus nullo indigere dicatur: Illud tamen ſecundum modum huma-

humanum intelligendum eſt. Nullo enim indigere diuinum potiùs, quàm humanum eſt. Et ideo, cùm homo animal ciuile ſit: Habeat etiam in alio homine fiduciam, maximè tamen in Deo confidat. Verùm ſciendum, fiduciam propriè non virtutem, ſed conditionem virtutis deſignare: Quia fiducia eſt ſpes ex aliqua firma opinione roborata. Modus autem alicui affectioni adhibitus ad commendationem actus pertinet: Non tamen inde ſpecies virtutis fit. Eſt ergo pars integralis magnanimitatis. Securitas autem quandam quietem animi à timore infert: Et ideo directè ad fortitudinem pertinet. Sed quia ex timore cauſſatur deſperatio: ex conſequenti ad magnanimitatem referenda.

11. Bona fortunæ ad magnanimitatem conferunt.

Quatenus enim magnanimitas honorem reſpicit, qui virtuoſis non ſolùm à ſapientibus, ſed etiam à multitudine, quæ bona fortunæ maximi facit, exhibetur, bona fortunæ, vt honor eis exhiberi poßit, requirit. Hæc præterea ad actus exercendos, quatenus ſunt inſtrumenta quædam, ipſis deſeruiunt. Per diuitias enim potentiam & amicos operandi nobis facultas datur.

12. Magnificentia eſt virtus ſpecialis, fortitudini annexa.

Magnificus enim dicitur, qui aliquid magnum facit, prout factio operationem circa exteriorem materiam denotat. Vnde magnificus circa opus

factibile, quod ab arte producitur, verſatur, tale opus ſi eri magnum in quantitate, pretioſitate, & dignitate intendens, ad quod magni ſumtus & pecuniæ emiſſiones requiruntur. Et ideo materia magnificentiæ dici & ipſi ſumtus, quibus vtitur ad opus magnum faciendum, & ipſa pecunia, qua vtitur ad huiusmodi magnos ſumtus. & amoris pecuniarum, ne ſumtus magni impediantur, moderatio poſſunt. Et ideo vſus pecuniæ aliter ad liberalem, aliter ad magnificum pertinet. Ad liberalem enim omnis vſus debitus pecuniæ, cuius impedimentum moderatio amoris pecuniæ tollit, ſpectat: Ad magnificum autem in ordine ad aliquod magnũ opus, & per conſequens per comparationem ad ſpeciem. Unde magnificentia videtur eſſe in iraſcibili, & liberalitas in concupiſcibili: Licet etiam, qui liberalis eſt, actum magnifici in propinqua diſpoſitione habeat. Cum ergo virtus per comparationem ad vltimum dicatur: propriè magnificentia virtus ſpecialis eſt, id eſt, circa ſpeciem, materiam, quæ in extremo, conſiderata quantitate eius, quod facit, exiſtit. Sed tamen in medio, conſiderata regula rationis, à qua non deficit, nec eam excedit. Ordinat enim vſum artis ad aliquid magnum, & præcipuè ad honorem Dei in templis, & in repub. & in ijs, quæ ad ſeipſum pertinent, dum ea, quæ pro ſe facit, etiam magnificè exequitur. Dato ergo, quòd aliæ virtutes magna operentur: iſta tamen, quemadmodum & magnanimitas, intentionem
ſuam

ſuam ad rationem magni dirigit. Differunt autem ab inuicem, quia magnanimitas magnum in opere virtutis cuiuſlibet, etiam ipſius magnificentiæ, reſpicit: Magnificentia verò magnum in ipſo opere exteriori, per artem producto. Vnde ſi dona dat, non ſub ratione doni dat, ſed prout ad aliquod magnum ordinantur. Ideo pauper etſi poßit habere actum huius virtutis interiorem: non tamen exteriorem. Cum fortitudine ergo in eo, quòd in aliquod arduum & difficile, ſicut fortitudo, tendat, conuenit: Sed ab ea, quia arduum fortitudinis multò maiorem difficultatem habeat, deficit. Vnde virtus ipſi annexa eſt, ſicut ſecundaria principali. Quamuis enim ei non in materia: tamen in conditione materiæ conuenit, id quod ad talem connexionem requiritur: Quia magis annexio ſecundum modum, quàm ſecundum materiam attenditur.

13. Patientia eſt pars fortitudinis.

Cùm enim inter alias paßiones triſtitia ad impediendam rationem efficax ſit: aliquam virtutem, per quam bonum rationis contra triſtitiam, ne ratio ſuccumbat, conſeruetur, habere neceſſe eſt. Hæc autem virtus patientia eſt, qua æquo animo triſtitiæ tolerantur, præcipuè quæ ab alijs inferuntur, ita vt propter eas, quantæcunque ſint, bonum virtutis non deſeratur. Vnde eſt in concupiſcibili: Et ideo à fortitudine, quæ eſt in iraſcibili, & verſatur circa timores, differt.

Eſt tamen pars eius, & ipſi, tanquam ſecundaria principali, adiungitur. Et quia fortitudo circa diffi. cilima eſt, pars integralis eius, quantum ad ali. quid ſui, prout ſcilicet patiens etiam æquo animo mala, quæ ad pericula mortis pertinent, ſuſtinet, poni poteſt. Et quamuis temperantia quoque circa delectationes & triſtitias verſetur: non tamen patientia eius pars eſt: Quia ad temperantiam ſolùm refrenare & moderari triſtitias circa tactum, ſed ad patientiam, propter triſtitias, quæ ab alijs inferuntur, non recedere à bono virtutis, pertinet. Adiunctio enim virtutis ad virtutem non ſecundum ſubiectum, ſed ſecundum formam vel materiam attenditur.

14. Patientia non eſt potiſsima virtutum.

Siquidem virtus ad bonum rationis ordinat: illæ virtutes, quæ directiùs in bonum dirigunt, quales boni conſtitutiuæ, potiores illis, quæ hoc indirectiùs ordinant, cuiusmodi illa, quæ impeditiuæ eorum, quæ à bono abducunt, exiſtunt. Illæ autem, quæ maioris boni ſunt conſtitutiuæ, loquendo de ijs, quæ bonum conſtituunt, alijs potiores. Et ſimiliter inter illas, quæ malum impediunt, illæ, quæ impediunt id, quod magis à bono retrahit, qualia maximè periculum mortis, & tactus delectationes, præſtantiores ſunt. Ideo cùm patientia inter virtutes impedientes id, quod à bono retrahit, numeretur: non virtutum

tutum potiſſima. Imò non ſolùm deficit à iuſtitia & prudentia, quæ bonum conſtituunt: ſed etiam à fortitudine & temperantia, quæ malum impediunt. Dicitur autem perfectum opus habere, non quia perfectius habeat cæteris ſimpliciter, ſed ſecundum quid, in quantum remouet principia multorum magnorum malorum. Nam dum quis patienter tolerat aduerſa: triſtitiam, iram, odium, & iniuſtum nocumentum remouet.

15. Longanimitas à patientia differt.

Longanimitas enim dicitur, per quam aliquis habet animum tendendi ad aliquid, quod in longinquum diſtat. Vnde videtur habere conuenientiam cum magnanimitate, quæ magis ſpem, tendentem ad bonum reſpicit, quàm audaciam, timorem, vel triſtitiam, quæ malum reſpiciunt. Longanimitas enim bonum longinquum magis, quàm mali alicuius tolerantiam, id quod patientiæ eſt, ſpectare videtur. Conuenit tamen etiam cum patientia, in quantum ſub ratione mali contriſtantis comprehendi dilatio boni remoti & ſeparati poteſt: Quia ſpes, quæ differtur, affligit animam. Unde etiam ſub patientia comprehenditur conſtantia, qua homo laborem in continua executione boni operis ſuſtinet. Nam labor comprehendi ſub ratione mali contriſtantis poteſt.

16. Perſeuerantia eſt virtus annexa fortitudini.

Cùm virtus circa difficile verſetur, ſi ſpecialis difficultatis boni ratio occurrat, ibi ſpecialis virtus futura eſt. Difficultas autem in opere bono prouenire ex obiecto poteſt, vel quia difficile eſt inuenire medium rationis, vt in iuſtitia, vel propter repugnantiam rationis, vt in fortitudine & temperantia. Poteſt etiam talis difficultas ex diuturnitate temporis prouenire. Difficile eſt enim diu in aliquo bono vſq; ad conſummationem perſiſtere. Et ideo perſeuerantia, ad quam pertinet, in his vel illis virtuoſis operibus diuturnitatem ſuſtinere, eſt virtus ſpecialis. Quamuis autē virtuoſus cum minori difficultate in bono, quàm ille, qui paßionibus vehementer afficitur, perſiſtat: non tamen ob id ei virtus perſeuerantiæ deeſt, cùm in difficili bono diu perſiſtit: Quia perfectio virtutis magis ſecundum rationem boni, quàm ſecundum rationem difficultatis attenditur. Per ſe igitur ad perſeuerantiam pertinet, vſq; ad terminum virtuoſi operis perſeuerare. Cùm autem aliquæ virtutes ſint, quæ vſque ad vitæ terminum durare debent: ideo circa has ſemper conſeruare actum perſeuerantiæ oportet, vt ſc. in bono iſtarum vſque ad finem perſiſtatur. Quod ſi quis id non faciat, non quòd habitu perſeuerantiæ caruerit, ſed, quòd ſecundum habitum non operatus ſit, dicendum. Quia ergo ſuſtinere difficultatem, quæ ex diuturnitate boni operis prouenit, laudem perſeuerantiæ largitur: Hoc autem minus eſt, quàm ſuſtinere pericula mortis: Ideo per-

perſeuerentia fortitudini, tanquam principali ſecundaria, adiungitur. Et perſeuerantia eſt in iraſcibili, quemadmodum & fortitudo, atq; paßionem timoris, fatigationis, aut defectus propter diuturnitatem moderatur.

17. Conſtantia differt à perſeuerantia.

Perſeuerantia enim, vt dictum eſt, firmiter perſiſtere hominem in bono contra difficultatem, quæ ex diuturnitate actus prouenit, efficit. Conſtantia autem firmiter perſiſtere in bono contra difficultatem iubet, quæ ex quibuſcunq; aliis exterioribus impedimentis emergit, quæ præcipuè illa ſunt, quæ triſtitiam inferunt, circa quam patientia eſt. Et ideo conſtantia ſecundum ea, quæ difficultatem inferunt, cum patientia: Secundum autem finem, qui eſt perſiſtere in bono, conuenit cum perſeuerantia, quæ tamen principalior fortitudinis, quàm conſtantia, pars eſt. Quia difficultas *ex diuturnitate actus eſſentialior actui virtutis, quàm illa, quæ ex exterioribus impedimentis prouenit, exiſtit. De fortitudine igitur & eius partibus breuiter hæc diximus.*

DE TEMPERANTIA.

LIBER OCTAVVS.

Summa & diſpoſitio libri VIII.

VLtima virtutum cardinalium ſeu principaliũ eſt Temperantia: ideo de hac ſecundum ſe, & de partibus eius tam integralibus, quàm ſubiectiuis & potentialibus poſt alias agit. Quoad ipſam virtutem temperantiæ, primò natura ſiue ſubſtantia eius in 1 concluſione declaratur. Et cùm habeat quandam regulam, ſecundò, vnde hæc ſumatur, in 2 oſtendit. Tertiò ad alias virtutes, vt meliùs innoteſcat, in 3 comparatur. Quoad partes integrales, quæ inter alias primæ ſunt, primò ipſi duæ in 4. ſc. verecundia & honeſtas aſsignantur. Secundò prima earum in 5. Et tertiò ſecunda in 6 declaratur. Quoad partes ſubiectiuas, quæ integrales ſequuntur, primò ipſi in genere tales partes in 7 attribuuntur. Secundò in ſpecie ſingulæ explicantur, ſc. abſtinentia in 8. ſobrietas in 9. caſtitas in 10. cui pudicitia, tanquam ad illam pertinens, in 11 declarata additur; Et demum virginitas in 12. Hæ omnes ſunt partes ſubiectiuæ temperantiæ. Quoad partes potentiales, primò in genere in 13 ei aſſcribũtur. Secundò in ſpecie explicantur, & ſingulæ ſingulis concluſionibus declarantur. Primò quidem continentia in 14. ſecundò clementia & manſuetudo ſimul in 15. propter conuenientiam earum, quarum prima comparatur ſeueritati in 16. et ἐπιεικεία in 17. vt magis innoteſ-

innoteſcat. Tertiò modeſtia in 18. Et quia plures habet ſpecies, conſequenter in mediũ adducuntur. Prima eſt humilitas interior, quæ in 19. Secunda eſt ſtudioſitas, quæ in 20. Nam & ipſa reſpicit interiorem animum. Tertia & quarta ſunt ornatus & bona habitudo, quæ reſpiciunt exteriores actus corporis, licet diuerſimodè: Et ſimul in 21 declarantur. Quinta eutrapelia, quæ in 22. & hæc reſpicit ludos. 6. eſt modeſtia in exteriori apparatu, quæ plura concernit, et quoad omnia in 23 declaratur.

Concluſio ſiue regula prima

1. Temperantia eſt virtus, per quam delectationes tactus & triſtitias moderamur.

Cùm enim temperantia ad id inclinet, quod ſecundum rationem eſt, vt ipſum nomen denotat: patet, virtutem eſſe. Et licet ſecundum ſuæ ſignificationis communitatem virtus generalis ſit, quòd quandam temperiem, hoc eſt, moderationem, qua in omni virtute morali reperitur, inferat: Si tamen κατ' ἀντονομασίαν, *in quantum appetitum ab ijs, quæ maximè hominem alliciunt, moderatur & refrenat, conſideretur, ita ſpecialis virtus, materiam ſpecialem, quæ ſunt concupiſcentiæ & delectationes, habens, futura. Et quia virtus circa difficile verſatur: ideo temperantia circa maximas delectationes, vt ſunt illæ, quæ operationes maximè naturales, id eſt, quibus natura indiuidui per cibũ & potũ, et natura ſpeciei per coniunctionem maris & fœminæ conſeruantur, occupabitur. Sunt autẽ hæ delectationes tactus. Et quamuis homo ſenſibus, etiam*

etiam propter cognitionem, delectetur: tamen temperantia principaliter non, niſi circa delectationes tactus, puta circa vſum rerũ neceſſariarum ad vitam humanam, vel in ſpecie, vel in indiuiduo conſeruandam, verſatur. Ex conſequenti tamen circa ſenſibilia aliorum ſenſuum, vt circa ſaporem, odorem, mundum muliebrem, & huiuſmodi, quatenus ad delectabilem vſum rerum, quæ ad tactum pertinent, faciunt, occupatur. Quia tamen guſtus tactui alijs ſenſibus vicinior: ideo temperantia magis circa guſtum, quàm circa alios ſenſus eſt. Non eſt autem circa delectationes ſpirituales, tum quia per ſe non contra rationem ſunt, tum quia non vehementer appetitum contra vſum rationis, eò quòd non percipiantur ſenſu, afficiunt. Quia autem virtus cardinalis ea dicitur, quæ principaliter ex aliquo eorum, quæ communiter ad rationem virtutis requiruntur, laudatur: certè moderatio, quæ in omni virtute, præcipuè in temperantia exigitur, laudatur, tum propter difficultatem à delectationibus tactus abſtinendi, tum propter neceſſitatem: Quia talia obiecta tactus ſunt magis præſenti vitæ neceſſaria. Igitur temperantia virtus cardinalis conſtituitur. Unde etiam ei pulchritudo attribuitur. Nam moderatio quandam proportionem, in qua ratio pulchritudinis conſiſtit, deſignat. Et quia per delectationes tactus homo maximè deformari poteſt, quòd naturam beſtialem ſequatur: Ideo pulchritudo illarum moderationi ſiue temperantiæ attribuitur.

Quem-

Quemadmodum autem virtus fortitudinis, de cuius ratione eſt firmitatem præſtare, præcipuè circa paſsionem pertinentem ad fugam malorum corporalium, ſc. timorem, & ex conſequenti circa audaciam. quæ huiuſmodi mala aggreditur, conſiſtit: ita temperantia, quæ moderationem infert, primò circa paſſiones tendentes in bona ſenſibilia, quæ ſunt concupiſcentiæ & delectationes dictæ. Ex conſequenti verò circa triſtitias, quæ ex abſentia talium delectationum contingunt, conſiſtit.

2. Regula temperantiæ eſt à neceſsitate vitæ præſentis ſumenda.

Ratio enim eorum, quæ ſunt ad finem, ex fine ſumenda eſt. Nam virtus ad bonum rationis dirigit, quod maximè in eo, quòd aliqua ad finem ordinet, conſiſtit. Quia ergo omnia delectabilia ſenſus, quæ in vſum hominis veniunt, ad aliquam vitæ huius neceſsitatem, tanquam ad finem, ordinantur: Ideo temperantia à neceſsitate vitæ præſentis, velut à fine regulam delectabilium ſumit, vt ſc. tantum eis vtatur, quantum neceſsitas vitæ huius requirit. Neceſsitatem autem humanæ vitæ non ſolùm illam, ſine qua humana vita eſſe non poteſt, ſed eam quoq;, abſq; qua non conuenienter eſſe poteſt. Temperatus ergo etiam ijs, ſine quibus humana vita eſſe poſſet, vtitur: Moderatè tamen pro loco & tempore, & eorum, quibus conuiuit, congruentia, & conuenientia ſtatus & diuitiarum, dummodo non ſanitatem & bonam habitudinem impediant. *Tem-*

3. Temperantia non eſt maxima virtutum.

Cùm enim virtus circa difficile & bonum ſit: dignitas virtutis magis ſecundum rationem boni, quàm ſecundum rationem difficilis attenditur. Et quia bonum multitudinis diuinius, quàm bonum vnius eſt, quantò aliqua virtus magis ad bonum multitudinis pertinet, tantò etiam futura melior. Iuſtitia verò & fortitudo ad bonum multitudinis ſpectant. Temperantia autem concupiſcentias, quæ ſunt circa ipſum hominem, moderatur. Ergo iuſtitia & fortitudo excedunt temperantiam.

4. Verecundia & honeſtas partes integrales temperantiæ ſunt.

Partes enim integrales alicuius virtutis conditiones ſunt, quas neceſſariò concurrere ad virtutem oportet. Cùm igitur temperantia ſibi quendam decorem vindicet, vitiaq; contraria turpitudinem ipſi inferant: Ideo ad temperantiam verecundiam, per quam aliquis fugiat turpitudinem, & honeſtatem, per quam amet pulchritudinem, concurrere oportet.

5. Verecundia eſt metus vituperij & obſcuritatis.

Non enim eſt virtus, ſed paßio laudabilis. Nam perfectioni repugnat: Quia eſt alicuius turpis timor. Virtus verò perfectio quædam eſt. Ille enim, qui eſt perfectus, non timet turpe, quia id vitare non exiſtimat difficile: Et licet ad id diſpoſitus ſit, verecundia quia præditus, nunquam

quam facturus. Turpitudo igitur, quæ in vituperatione alicuius conſiſtit, quia rationem mali ardui, ſicut honor rationem boni ardui, habet: Illud autem, quod in deformitate actus voluntarij conſiſtit, non rationem mali ardui, cùm in poteſtate hominis ſit, habet: Iccirco verecundia, quæ eſt timor turpitudinis, primò vituperium & ingloriationem: (Nam vituperium debetur culpæ, ſicut honor virtuti) Ex conſequenti verò culpam, ſecundum quod vituperio ſubiacet, reſpicit. Ob cuius timorem vel deſinit homo vitioſa agere, quod ad erubeſcentiam: vel in turpibus, quæ agens ſe occultat, quod ad verecundiam pertinet. Verecundia igitur propriè timor ingloriationis, ſecundum quod debetur culpæ, eſt. Si autem quiſpiam de opprobrijs, quæ ſibi propter virtutem inferuntur, verecundetur, id ex imperfectione virtutis orietur. De operibus enim virtuoſis non eſt, niſi per accidens, verecundia, ſc. quatenus ſecundum hominum opinionem vitioſa reputantur, vel in quantum homo in eis notam præſumtionis vel ſimulationis fugit. Verecundamur autem magis ſapientes & coniunctos nobis, quàm alios: Quia teſtimonium eorum maioris ponderis, vel propter rectitudinem iudicij, vel propter maiorem, quam habent de noſtris defectibus, cognitionem, exiſtimatur. Eos verò, qui nobis ſunt ſimilitudine peccati pares, non formidamus. Non enim, eos defectum noſtrum, aut quicquam in nobis

tur-

turpe apprehenſuros exiſtimamus. Verecundamur autem perſæpe de paupertate vel ignobilitate: Quia vituperium quemcunq; etiam ſecundum opinionem hominum defectum reſpicit. Unde quamuis principaliùs verecundia ad temperantiam, quàm ad alias virtutes, eò quòd vitium intemperantiæ vituperabile & turpiſſimum, pertineat: prout tamen vitia aliis virtutibus oppoſita turpia & exprobrabilia ſunt, verecundia quoq; ad alias virtutes pertinere poteſt. Itaq; verecundia non propriè virtus, niſi virtus largè pro quocunq; bono laudabili accipiatur, exiſtit. Nec, quòd in medio ſecundum determinationem rationis ſit, ſufficit, niſi etiam ſecundum electionem, quod non eſt in verecundia. Nam motus eius ex impetu paſſionis eſt, (cui opponitur verecundia) quæ ex nimio amore turpitudinum procedit, non apprehendens erubeſcibilia, vt turpia, quemadmodum in iis, qui peccatis & ſceleribus nimiùm immerſi ſunt, accidit.

6. Honeſtas eſt ſpiritualis pulchritudo, ſecundum quam hominis conuerſatio iuxta ſpiritualem rationis claritatem diſpoſita eſt.

Honeſtas enim dicitur quaſi ſtatus honoris. Et ideo honeſtum, quod eſt honore dignum, appellatur. Honor autem virtuti debetur. Et ideo honeſtas ad idem cum virtute refertur. Ad rationem autem pulchri qualitas & debita proportio concurrit. Unde ad pulchritudinem ſpiritu-

alem

alem conuerſatio ſeu actio hominis bene diſpoſita ſecundum rationem, quæ omnes res humanas moderatur, requiritur. Et hoc ad rationem honeſti, cùm ſit idem virtuti, quæ ſecundum rationem moderatur humana, pertinet. Cùm igitur pulchro turpe, quod eſt maximè contra temperantiam, cui pulchritudo attribuitur, opponatur: Ideo honeſtas ſpecialiter ad temperantiam pertinere videtur. Vnde honeſtos eos, qui bene ſunt diſpoſiti in ſua conuerſatione, ſecundum actus temperantiæ, maximè verò circa actus venereos, dicimus. Quamuis etiam honeſtas accipi generaliter pro ſpirituali decore ſoleat. Vnde radicaliter in interiori electione: Significatiuè autem in exteriori conuerſatione conſiſtit.

7. Temperantia partes ſubiectiuas habet.

Species enim virtutum ſecundum diuerſitatem materiæ vel obiecti variantur. Delectationes autem, circa quas eſt temperantia, vel ad nutrimentum, & ſic circa cibum abſtinentia, & circa potum ſobrietas eſt: Vel ad vim generatiuam, & ſic quantum ad delectationem principalem caſtitas eſt, pertinent. Quantum verò ad alias circumſtantes delectationes, quæ ſunt in oſculis vel amplexibus, eſt pudicitia.

8. Abſtinentia eſt virtus, quæ delectationes ciborum moderatur.

Quia enim virtus moralis bonum rationis contra impetus paſſionum conſeruat: ideo vbi in

uenitur ſpecialis ratio, qua paßio abſtrahit à bono rationis, ibi neceſſe eſt, eſſe ſpecialem virtutem. Delectationes autem ciborum natæ ſunt abſtrahere à bono rationis, tum propter eorum magnitudinem tum propter neceßitatem ciborum, quibus homo ad vitæ conſeruationem, quam maximè homo deſiderat, indiget. Et idcirco abſtinentia ſpecialis virtus, ſecundum quam delectationes ciborum in ordine ad rationem, non autem in ordine ad valetudinem corporis (Nam hoc ad medicinam ſpectat) temperamus.

9. Sobrietas eſt virtus, menſuram circa potum vini, & omne, quod inebriare poteſt, ſeruans.

Virtutes enim, quæ ab aliqua generali conditione virtutis nominantur, illam materiam ſpecialiter ſibi vendicant, in qua difficilimum & optimum eſt huiusmodi conditionem ſeruare. Ita fortitudo circa pericula mortis, & temperantia circa delectationes tactus occupatur. Nomen autem ſobrietatis à menſura ſumitur. Sobrius enim dicitur, quaſi briam, id eſt, menſuram ſeruans: Et ideo illam materiam ſobrietas ſibi ſpecialiter, in qua maximè menſuram ſeruare laudabile eſt, aſſcribit. Huiusmodi autem eſt potus, inebriare & vſum rationis impedire valens. Idcirco ſobrietas, quæ bonum rationis contra impedimentum potus conſeruat, virtus eſt. Aliquando tamen communiter, prout menſura in omnibus dicitur, accipitur. Et hæc virtus maximè iuueni-

iuuenibus, in quibus viget concupiſcentia, & mulieribus, quibus non eſt ſufficiens rationis robur, & ſenibus, & epiſcopis, & alijs Eccleſiæ miniſtris, item regibus eſt neceſſaria. In his enim maximè vſus rationis vigere debet.

10. Caſtitas eſt virtus, concupiſcentiam venereorum temperans.

Nomen enim caſtitatis inde, quòd per rationem concupiſcentia caſtigatur, deſumitur, quæ in iuuenibus magnoperè refrenanda. Et ideo quia per rationem concupiſcentiam venereorum moderatur, quæ eius ſpecialis materia eſt: Ideo caſtitatem eſſe ſpecialem virtutem oportet. Et quamuis & alia delectabilia caſtigatione indigeāt: Quia tamen venerea maximè hanc poſtulant, hinc eſt, quòd κατ᾽ ἀντονομασίαν virtus contra has concupiſcentias dicatur caſtitas.

11. Pudicitia ad caſtitatem ſpecialiter ordinatur.

Nomen enim pudicitiæ à pudore ſumitur, qua verecundia ſignificatur. Quare pudicitiam circa actus venereos eſſe oportet. Nam in his homines maximè verecundantur, eò quòd motus genitalium membrorum non imperio rationis ſubditur. Verecundatur autem homo non ſolùm de commixtione venerea, ſed etiam de quibuſcunque ſignis eius, circa quæ propriè attenditur pudicitia: Quia hæc exteriora magis ſolent deprehendi ſigna. Caſtitas autem magis veneream commixtionē reſpicit: Et ideo pudicitia ad caſtitatem,

non quaſi virtus ab ipſa diſtincta, ſed velut caſtitatis circumſtantiam quandam exprimens ordinatur. Interdum tamen vnum pro alio vſurpatur.

12. Virginitas eſt virtus, in qua quis à venerea delectatione integer, propter contemplationem Dei, ſibi perſeuerare proponit.

Nomen enim virginitatis à virore ſumtum eſt. Virens autem, quod non ex abundanti a caloris aduſtionem in ſuo virore expertum eſt, dicitur. Vnde virginitas immunitatem à concupiſcentiæ aduſtione infert, ad quam integritas membri per accidens ſe habet. Immunitas autem à delectatione, quæ in ſeminis conſiſtit reſolutione, materialiter ſe habet: Propoſitum verò perpetuò abſtinendi à tali delectatione, formaliter. Si ergo abſque propoſito voluntatis integritas membri corrumpatur, vel contra voluntatem illam delectationem, carne officium ſuum faciente, experiatur: non tollitur virtus virginitatis. Si autem reſolutio ſeminis à voluntate procedat, etiam ſine concubitu: virtus hæc auſertur. Quia ergo vbi eſt materia habens ſpecialem excellentiam, ibi inuenitur ſpecialis ratio virtutis. Vnde magnificentia à liberalitate diſtinguitur, & præſtare ſe ab experimento venereæ voluptatis immunem, quandam excellentiam in eo, quod eſt conſeruare ſe ab inordinatione talis voluptatis immunem, habet. Hinc eſt, quòd virginitas ſpecialis quædam virtus,

tus, habens ſe ad caſtitatem,ſicut magnificentia ad liberalitatem, exiſtit. Si quis autem à voluptatibus præter rationem rectam abſtineat: non ſecundum virtutem agit. Et ideo habere finem debitum, & ad talem abſtinentiam ordinatum, oportet: Hic autem maximè contemplatio diuinorum eſt. Et quamuis non omnis virtuoſus virtutem virginitatis, quantum ad materiale, habeat: Tamen id, quod eſt formale, id eſt, præparationem animi hanc integritatem ſeruandi, ſi hæc ſibi competeret, vel competere poſſet, obtinet. Sic pauper quoque magnificentiam in præparatione animi tenet. Connexio au..m virtutum ſecundum illud, quod in eis eſt formale, hoc eſt, ſecundum prudentiam, non autem ſecundum id, quod eſt in eis materiale, accipitur.

13. Temperantia partes potentiales obtinet.

Partes enim potentiales alicuius virtutis principalis virtutes ſecundariæ dicuntur, quæ modum, quem principalis virtus circa aliquam principalem materiam obſeruat,illæ in quibusdam alijs materijs, in quibus non eſt ita difficile, ſequuntur. Modus autem temperantiæ eſt quædam circa delectationes tactus, quæ difficilis eſt, moderatio. Et ideo quæcunque virtutes quandam moderationem circa aliquam materiam inferunt, poni partes temperantiæ poſſunt. Et ſic continentia, quæ motus voluntatis, ex impetu concupiſcētiæ commotæ,refrenat,pars eius ponitur. Et ſimi-

liter humilitas, quæ ſpem & audaciam refrenat, & manſuetudo ſeu clementia, quæ reſtringit iram, & modeſtia cum partibus eius, quæ actus corporales moderatur. De quibus omnibus nunc dicendum.

14. Continentia perfectam rationem virtutis moralis non attingit.

Continentia enim, ſi propriè accipiatur, non eſt illa, per quam aliquis ab omni delectatione venerea abſtinet, ſed per quam reſiſtit concupiſcentiis, quæ in eo vehementes exiſtunt. Habet ergo rationem virtutis, in quantum ratio contra paßiones, ne ab eis deducatur, firmatur. Non attingit autem perfectam rationem eius, quæ in hoc, vt appetitus ſenſitiuus, ita rationi ſubdatur, conſiſtit, vt in eo non vehementes paßiones rationi contrariæ inſurgant. Et quamuis hoc nomen continentiæ attribui cuicunque materiæ, in qua bonum eſt, ſe refrenare, poßit: Tamen principaliter illi materiæ, in qua difficilimum & optimum eſt, ſe continere, adſcribitur. Et ideo continentia propriè circa delectationes venereas verſatur. Et quia omnis virtus in aliquo exiſtens ſubiecto, illud differre à diſpoſitione, quam habet, dum oppoſito vitio ſubiicitur, efficit: Concupiſcentia autem eodem modo ſe in continente, & in incontinente, & ſimiliter etiã ratio habet, quia vterque rationem rectam obtinet: Continentiam nec in concupiſcibili, nec in ratione, ſed in voluntate eſſe, patet. Quia prima differentia

tia, per quam differt ab incontinentia, eſt electio, eò quòd continens non ſequi concupiſcentias proponit, quas incontinens, non obſtante contradictione rationis, eligit. Quia ergo temperantia plus habet de bono rationis, & de ratione virtutis, quam continentia: ideo ea melior eſt, & continentia ad illam, ſicut imperfectum ad perfectum, comparatur.

15. Clementia & manſuetudo ſunt diuerſæ virtutes.

Cùm enim ex paſſione iræ prouocetur animus ad inferendam grauem pœnam: ad clementiam directè diminuere pœnas: ad manſuetudinem verò impetum iræ refrenare pertinet. Et ſic licet hæ duæ virtutes in eundem effectum concurrant: nihilominus tamen, eas differre, patet. In quantum ergo appetitum rationi rectæ ſubijciunt, virtutes dicuntur, in quantum verò ſunt circa materiam, quæ faciliùs ſubditur rationi, quæ materia concupiſcentiæ: ſic temperantiæ, tanquam ſecundariæ principali, adiunguntur, cum qua in modo, non in materia conueniunt, & aliquando maximæ virtutes nominantur: Quia manſuetudo refrenat iram, quæ rationem impedit: Et ſic hominē ſui compotem reddit. Clementia verò eò, quòd pœnam minuit, maximè pertinere ad charitatem, per quam bona proximis operamur, & mala impedimus, videtur. Potiſſimæ ergo virtutes ſecundum quid, non autem ſimpliciter, exiſtunt.

16. Clementia ab ἐπιεικείᾳ differt.

Diminutio enim pœnarum ſecundum intentionem legiſlatoris, non reſpiciendo verba legis, ad ἐπιείκειαν ſpectat. Sed moderatio affectus, per quam homo non ſua in inflictione pœnarũ poteſtate vtitur, propter aliqua conſiderata particularia, hominem non eſſe magis puniendum, decernens, ad clementiam pertinet.

17. Seueritas clementiæ non contraria eſt.

Seueritas enim eſt virtus, ſecundum quam homo circa exteriorem inflictionem pœnarum, ſi hoc ratio iubeat, inflexibilis eſt. Clementia autem pœnas ſecundum rectam rationem, ſc. quando & quomodo oportet, minuit. Cùm ergo ambæ ſecundum rationem rectam, & non circa idem ſint: non eſſe contraria, patet. Secundum enim diuerſas circumſtantias diuerſimodè operari ſecundum rationem oportet. Deinde ſic quoque ſeueritas manſuetudini non eſt contraria, quia manſuetudo circa iras eſt, ſeueritas verò exteriorem inflictionem pœnarum reſpicit. Et ſic non ſunt circa idem, & vtraq; ſecundum rationem certam exiſtit.

18. Modeſtia eſt virtus, quæ non multùm moderatu in actionibus difficilia moderatur.

Vbicunq; enim eſt aliqua virtus ſpecialiter circa aliquod maximum; eſſe & aliã virtutem circa ea, quæ mediocriter ſe habent, oportet: eò quòd ad omnia vitam hominis ſecundum virtutem eſſe regulatam requiritur. Quia ergo temperantis

tia circa ea, in quibus difficilimũ eſt moderari, verſatur: Aliam quoq; virtutem, circa alia mediocria, in quibus non eſt ita difficile moderari, eſſe, neceſſe eſt. Et hæc modeſtia, quæ eſt annexa temperantiæ, vocatur. Et quia quoddam ſpeciale bonum in moderatione pœnarum conſideratur: ideo manſuetudo & clementia ſubtractæ à modeſtia fuerunt. Et ſic modeſtia circa omnia, quæ moderanda à temperantia, & clementia, & manſuetudine, requiruntur, futura. Huiuſmodi ſunt, ad excellentiam, vel deſiderium cognitionis, animi motus, & motus exteriores corporis, exteriorq́; apparatus. Et quamuis modus in qualibet virtute obſeruetur: hoc tamen nomen iſti virtuti, quòd in rebus minimis verſetur, quaſi ſolum habens abſq; alia excellentia, nomen commune, appropriatur.

19. Humilitas eſt modeſtia, quæ animum, ne immoderatè in excelſa tendat, refrenat.

Circa appetitum enim boni ardui neceſſaria eſt duplex virtus. Vna, quæ refrenat animum, ne immoderatè tendat ad excelſa; Et hæc eſt humilitas: Alia verò, quæ impellat ipſum ad proſecutionem magnorum, ſecundum rationem rectã: Et hæc eſt magnanimitas. Cognitio ergo proprij defectus ad humilitatem, velut regula quædam appetitus directrix, pertinet. Sed in ipſo appetitu humilitas eſſentialiter conſiſtit. Et ideò quilibet homo conſiderans proprium defectum

in ſe, & id, quod eſt donum Dei in altero, ſe debet alteri ſubijcere: Quamuis abſq; præiudicio humilitatis alteri ſe præferre, ſi conſideret, donum Dei in ſe eſſe maius, quàm donum Dei in altero, & multò magis, ſi donum Dei in ſe ad defectum alterius, qui in ipſo eſt, conferat, poßit. Quia autem humilitas hominem vniuerſaliter, quantum ad omnia, ordinationi rationis & iuſtitiæ ſubijciat: Aliæ verò virtutes, quantum ad aliquam ſpecialem materiam ſolùm: Iccirco poſt iuſtitiam potiſſima virtutum dicitur. Omne enim ſubiectionem prohibens, hoc eſt, ſuperbiam remouet. Et quia, vt dictum, refrenare appetitum poteſt: pars temperantiæ ſub modeſtia contenta eſt.

20. Studioſitas eſt virtus, quæ animū, ne immoderatè in rerū cognitionē tendat, refrenat.

Studium enim vehementem mentis ad aliquid infert applicationem. Mens autem non applicatur alicui, niſi cognoſcendo aliquid. Vnde priùs mens cognitioni, quam ijs, ad quæ per cognitionem dirigitur, applicatur. Virtutes autem propriè ſibi illam materiam, circa quam primò & principaliter ſunt, attribuunt. Et ideo ſtudioſitas propriè circa cognitionem verſatur. Cùm enim homo naturaliter ſcire & cognoſcere deſideret: virtus ſtudioſitatis hominem habere appetitum rectum applicandi vim cognoſcitiuam, ſic vel aliter, ad hoc vel ad illud, efficit. Vnde eſſentialiter refrenationem immoderatorum circa cognitionem appetituum obtinet. Quamuis etiam laus eius in vehementia

mentia intentionis ad ſcientiam perdiſcendam, ne timeat labores, à qua etiam vehementia nominatur, conſiſtat: Quia *tamen primum ſibi eſſentialius eſt, ideo ratione illius pars temperantiæ, contenta ſub modeſtia, ponitur.*

21. Ornatus & bona habitudo ſeu ordinatio virtutes circa motus corporis exteriores exiſtunt.

Decor enim honeſtatis ad virtutem pertinet. Compoſitio autem in exterioribus motibus ad decorem honeſtatis ſpectat. Sunt enim per rationem, cùm ad imperium rationis exteriora membra moueantur, ordinabiles. Poſſunt ergo ordinari rectè ſecundum conuenientiam perſonæ. Et circa hoc virtus, quæ dici poteſt ornatus, verſatur. Vel ſecundum conuenientiam ad exteriores perſonas & negotia ſeu loca. Et circa hoc virtus, quæ bona habitudo, ſeu bona ordinatio dici poteſt, occupatur. Ornatus autem ad virtutem, quæ dicitur veritas, in quantum exteriores motus interioris diſpoſitionis ſigna ſunt, & bona habitudo ad amicitiam ſeu affabilitatem, in quantum tales motus ad alterum reduci poſſunt.

22. Eutrapelia ſeu iucunditas virtus circa ludos eſt.

Sicut enim homo corporali quiete ad corporis refocillationem: ita etiam & quiete ſpirituali ad refocillationem animi indiget, eò quòd habet finitam virtutem, & anima tam in ſpeculatiuis quàm in practicis, quando intenta eſt operibus rationis, laborat. Et ideo

ideo remedio per aliquam delectationem, intermiſſa rationis intentione, indiget. Hoc autem per ludum fit. Et cùm aliquis excedere, vel etiam eſſe, quàm par, remiſsior in ludo poſsit: Idcirco aliquam virtutem eſſe, quæ modum ludo conſtituat, oportet: vt ſc. non in rebus vel operibus, verbis aut vocibus turpibus quæratur, neq; tota animæ ſoluatur grauitas. Item vt perſonæ, tempori, & loco conueniat, & ſecundum alias debitas circumſtantias fiat. Hæc autem virtus Eutrapelia, ſeu iucunditas, ſeu bona conuerſatio nuncupatur, & ad temperantiam & modeſtiam reducitur.

23. Humilitas, per ſe ſufficientia, & ſimplicitas, virtutes circa exteriorem apparatum exiſtunt.

Eſſe enim vitium in exteriori apparatu, & maximè in ornatu veſtium poteſt: Uno modo per comparationem ad conſuetudinem hominum, quibus cum viuit, quia non ſecundum conſuetudinem agit. Alio modo propter immoderatum affectum, vtputa, quia per hunc ornatum gloriam hominum vel delitias quærit, vel quia nimiam ſolicitudinem apponit, vel etiam per negligentiam cultus, per quem etiam nonnunquam inanem gloriam homo venatur. Humilitas ergo intentionem gloriæ, & per ſe ſufficientia intentionem delitiarum, & ſimplicitas nimiam ſolicitudinem excludit. Nam in omnibus tenere medium, & conformari bonis aliorum moribus, oportet. De temperantia ergo,

&

& virtutibus ei annexis, deniq; de omnibus virtutibus moralibus paucis hæc dicta ſint.

DE OECONOMICA.

LIBER NONVS.

Summa & diſpoſitio libri IX.

GVbernationem ſui,ad quam in libris ſuperioribus dicta ſpectant, domus gubernatio, quæ œconomica dicitur, ſequitur, de qua hoc libro autor quatuor principaliter determinat. Primò fundamentum & radix, vnde ſocietas domus oriatur,in 1. concluſione oſtenditur.Inde enim, quòd homo animal ſociale eſt, oritur, quod ibi declaratur. Secundò de ipſa domo agitur, autorq́, à partibus eius, quæ tres combinationes, ex quibus integratur domus, exiſtunt, orditur, de quibus in 2. 3 & 4. tractat. Partes enim huiuſmodi ſunt priores toto. Et quia,vtrum combinatio ſerui & domini ſit,velut reliquæ duæ, naturalis, dubium eſſe poterat: id in 5 demonſtrat: In 6. quomodo ſeruitus etiam introducta à legibus, & qualis ſit huiuſmodi ſeruitus, addens. Demum in 7. de communitate domus,quæ ex combinationibus dictis conſtituitur, determinat. Tertiò de principa-

tu domus ſermo eſt, de quo multa dicuntur. Primò de præcipiente principali, qui eſt vir, quomodo ſc. in domo talis præcipientis vnitas requiratur, in 8 explicat. Qomodo diuerſis diuerſimodè præcipere debeat, in 9. Quales ſint hiprincipatus, in 10. Quo ordine debeat procedere, in 11. Et quòd principatus non eſſe ſine virtute & præcipientis & ſubditi poſsit, id in 12 & 13 oſtenditur. Secundò de ſubdito, ſc. de ſeruo, agitur, de quo, quid ſit in 14. qualis debeat eſſe, in 15. et quæ ſint illi neceſſaria, in 16 recenſetur. Tertiò de præcipiente ſecundario, ſc. de muliere ſiue vxore, diſſeritur. Nam & ipſa aliquo modo præcipit. Vnde primò differentia curæ vtriuſque in domo in 17 declaratur. Secundò quomodo vir ſe erga illam gerere debeat, & quoad fidelitatem thori in 18, & quoad prouiſionem neceſſariorum in 19. Tertiò qualem ſe vxor viro præſtare debeat, in 20. Demum quid potiſsimum intereſſe debeat, vt pacificè viuant & dignè domum gubernent, in 21. Vltimò de requiſitis ad domum iam conſtitutam tractatur: Et primò in concluſione 22 enumerantur: Secundò ſigillatim determinantur: Deſpotica in 23. poſſeſsiua in 24. 25. Pecuniaria in 26. 27. 28. 29. œconomica verò in 30.

Concluſio ſiue regula prima.

Homo

1. Homo eſt animal ſociale.

Homo enim non ſibi ſoli ad omnia, quæ pertinent ad neceßitatem humanæ vitæ, ſufficit. Nam cùm natura cæteris animalibus de neceſſarijs ad vitam, miniſtrando eis cibum, contra iniurias frigoris pilos, pro gratia defenſionis cornua, & cætera huiuſmodi neceſſaria præbendo, prouiderit: Homini ſolùm rationem, qua ſibi hæc officio manuum præparare poßit, dedit. His verò omnibus parandis vnicus homo ſibi non ſufficit. Natura quidem cæteris animalibus naturale vtilium & noxiorum iudicium contulit: Vnde inſtinctu naturæ ouis lupum fugit, nonnullaq; animalia medicamentorum appropriatorum ſibi conſcia. Homini verò, quo talem cognitionem acquirere poſſit, lumen rationis tribuit. Vnus autem homo ad hæc omnia cognoſcenda, & maximè particularia, quæ ſunt minùs certa, quàm vniuerſalia, non ſufficit. Igitur vnà conuiuere, & hominem homini doctorem eſſe oportet. Vnde & ſoli homini mentis interpres oratio contributa, quæ fruſtra illi, ſi ſolitarius erat futurus homo, collata fuiſſet. Et ideo ille, qui ſolitarius, quòd ſibi ſat ſit, aut Deus eſt, aut cùm ſibi non ſufficiat, ſuipſius & naturæ ignarus, pertinax quædam & monſtroſa beſtia.

2. Maris & fœminæ coniunctio prima ſocietas eſt.

Hæc enim ſocietas homini à natura, non autem

ab

ab electione eſt. Nam homini, in quantum homo, ſic coniungi non competit: Sed ei ſecundum rationem communem ſibi & alijs animalibus, ac etiam plantis, imò rebus omnibus, quibus idem generandi propter conſeruationem ſpeciei appetitus competit: Et ſine hac aliæ ſocietates non ſubſiſterent. Niſi enim generatio hominum eſſet: nulla ſocietas vel communitas inſtitui poſſet. Hæc ergo prima ſocietas eſt.

3. Domini & ſerui coniunctio ſecunda ſocietas eſt.

Natura enim non ſolùm ad generationem neceſſaria, ſed etiam ad conſeruationem & ſalutem generatorum præparat. Prima ergo generationis, altera verò ſalutis gratia eſt coniunctio, ſine qua prima bene eſſe non poteſt.

4. Parentum & liberorum coniunctio tertia ſocietas eſt.

Præparatis enim omnibus, quæ ad generationem pertinent, nihil aliud reſtat, niſi vt generatio fiat. Et ſic coniunctionem domini & ſerui, parentum & liberorum ſequitur, qui paternorum bonorum hæredes relinquuntur.

5. Coniunctio domini & ſerui naturalis eſt.

Naturaliter enim intellectu vigentes, illorum, qui deficiunt intellectu, domini ſunt. Huius rei ſignum eſt, quòd videmus naturam quibuſdam parcè intellectum, liberaliter verò corporis robur contuliſſe, vt ſeruire; Alijs verò delicata quidem corpo-

corpora, ſed diuina ingenia, vt gubernare poſſint, largitam eſſe. Quando igitur plura ad vnum ordinantur: vnum illorum regere, alia verò regi oportet. Ita membra à corpore mouentur; corpus autem ab anima. Idcirco vnum hominem alium regere, & ab alio regi, vt ſibi inuicem auxilium præſtent, naturaliter oportet.

6. Seruitus à legibus introducta iuſta ſecundum quid eſt.

Iure gentium enim & belli lege conſtituitur, vt capti in bello ſerui capientium ſint: Id quod tamen non ſecundum naturam iuſtum eſt. Vt enim à ſtulto capiatur ſapiens, contingere poteſt. Eſt tamen ex commodo boni communis iuſtum, vt fortiter homines aduerſus hoſtes pugnent, quibus præmium captorum ſeruitus conſtituitur. Ideo & ſapientes ſi capiantur, libenter ſeruire debent: Siquidem bonum commune cauſſæ proprij non infringendum.

7. Domus eſt communitas naturalis.

Illud enim, quod ex partibus naturalibus conſtituitur, eſt naturale. Sed domus ex illis ſuprà enumeratis combinationibus naturalibus tãquam ex partibus conſtituitur. Eſt ergo communitas naturalis.

8. In domo præcipere vir vnus debet.

Expedit enim in ijs, quæ ex pluribus conſtituuntur, vnum eſſe regulans, & alia regulata. Quia cùm omnia particularia ſecundum ſe ad bonum particulare tendant, bonum commune ſer-

uari non poterit, niſi aliquis ipſum reſpiciat, & omnia ad bonum commune ordinet. Et ideo quemadmodum homini, vt à ratione reguletur: ita inferioribus in domo, vt à ſuperiori regulentur, id eſt, ab eo, qui maximè viget intellectu, expedit. Hic autem eſt vir. Nam vir magis intellectu viget, quàm fœmina, & pater filijs, tanquam ſenior, & dominus ſeruis, tanquam regulans. Poſſeſſiones autem etiam ſeruis, ſicuti res inanimatæ & irrationales homini, ſubijciuntur.

9. Differenter vir in domo præcipit.

Mulieri enim politico principatu præcipit, quia non plenam poteſtatem ſuper vxorem, quantum ad omnia, habet: Sed prout lex matrimonij exigit. Et hic principatus ſimilis illius, qui in rectorem ciuitatis eligitur, cui non merum, mixtumq́ imperium eſt, ſed qui ſola ſtatuta exequitur. Unde coniuge non, vt ſeruo, vti debet: quia etiam natura vnum inſtrumentum ſingulare non niſi ad vnam operationem, vt oculum ad videndum, & aurem ad audiendum &c. determinat. Liberis autem regio modo præcipit, ſuper quos pleniſſimam poteſtatem habet. Ita tamen liberis dominetur, quemadmodum rex hominibus liberis. In ſeruos verò, tanquam in non liberos, deſpotico imperio vtatur.

10. Hi principatus ſunt naturales.

In natura enim ſemper illud, quod eſt principalius, dominatur, quemadmodum in homine ratio, & in membris cor. In domo autem vir eſt principalior

palior fœmina, filijs & ſeruis: Et magis viget intellectu, vt dictum eſt. Unde tales principatus naturales ſunt. Omne enim imperfectum naturaliter regulatur à perfecto. Et ideo non variantur ſicut in ciuitate, in qua aliquando ille, qui principatu imperabat politico, rurſum poſtea ſubditus efficitur. Vnde principatus, quo vir mulieri dominatur, à politico differt: Quoniam hic viciſſitudo abeſt.

11\. In principatu hoc ordo præcipuus eſſe debet.

Priùs enim finem totius familiæ & totius domus, qui maximè beatitudo, bonū ciuitatis, ordo et pax familiæ exiſtit, reſpiciat oportet. Et ideo primò intendere ad regimen hominum, quàm poſſeſſionum & iumentorum, atq; magis vacare gubernationi liberorum, quàm ſeruorum, debet, propter commune bonū ciuitatis, ad quam domus, tanquam pars ad totum, ordinatur. Ante omnia autem, vt potiùs benè viuant, quàm multas diuitias poßideant, ipſum proſpicere decet.

12\. Virtus tam in gubernante, quàm in ſubdito eſſe debet.

Bene enim gubernare & bene ſubijci non eſt exiguæ virtutis. Virum enim (ait Bias) magiſtratus oſtendit. Vnde nemo bene imperare, nec quiſquam bene ſubijci abſq; virtute poterit.

13\. Virtutes gubernantis & ſubditorum non eiuſdem rationis ſunt.

In gubernante enim prudentiam & bene & perfectè cōſultandi eſſe oportet. Verùm ſeruus, in quā-

tum huiuſmodi, conſultare de ſuis actibus non debet: Quia non conſilium, niſi de ÿs, quæ ſunt in poteſtate noſtra, inſtituimus. Mulier autem propter mobilitatem & ſuæ naturæ debilitatem, non validum conſilium obtinet. Etſi aliquando bonum capiat conſilium: ab eo tamen ilicò recedit. Pueri verò imperfectum, propter imperfectum vſum rationis, habent. Non enim in iuuenibus prudentia, propter inexperientiam eſſe poteſt. Ex parte autem appetitus, patremfamilias habere virtutem fortitudinis ad imperandum oportet, vt non aliquod bonum propter aliquem metum prætermittat. Subditos verò ſecundum ſuos gradus, fortitudinem ad miniſtrandũ habere decet. Ad mulierem quoq; ornatus, honeſtas, taciturnitas, verecundia pertinet. Ad filios autem ne ſuo regantur ſenſu, ſed pædagogo obediant. Seruus autem diſponere actus ſecundum imperium domini ſui debet. Et ſic per omnes virtutes diſcurrendo, non eiuſdem rationis virtutes præcipientis, cum virtutibus ſubditorum eſſe reperies. In præcipiente enim ſunt imperatiuæ, in ſubditis verò miniſtratiuæ.

14. Seruus eſt organum animatum, actiuum, ſeparatum, alterius homo exiſtens.

Illa enim, quæ ſunt in domo ad vſum familiæ, organa vocamus & inſtrumenta. Non quidem factiua, in quantum ſunt domus: Quia in quantum huiuſmodi, non ſunt facta ad operandum in exteriorem materiam, quod ratio factionis exigit:

git: Sed actiua, hoc eſt, ad vſum ſolum. Seruus igitur, qui ad vſum domini ordinatur, eſt inſtrumentum animatum, qui eſt ſuper alia inſtrumenta domus, ſiue ſint animata, vt iumenta, ſiue inanimata, vt ſunt cætera, quæ ſunt in domo. Ipſe enim vtitur eis, & mouet ea. Eſt autem actiuum inſtrumentum, hoc eſt, ad vſum domini. Separatum dicitur ad differentiam manus & aliorum membrorum, quæ ſunt organa animata coniuncta. Homo ad differentiam iumentorum: Alterius, ad differentiam liberorum dicitur.

15. Optimum genus ſeruorum ad opus faciendum eſt, quod neque timidum, neque nimis ferox eſt.

In vtroq; enim horum genere peccatum eſt. Nam nimis timidi non ferunt laborem, & ferocibus non commodè imperatur. Vtrumque tamen eſt in domo neceſſarium: ſcilicet & vt ſeruus labores ferat in operando, & vt præcipiens liberè ipſi ad peragenda miniſteria imperare poßit: Eis tamen libertatem proponere vtile eſt. Libenter enim labores ſubibunt, ſi propoſitum præmium conſpexerint.

16. Opus, cibus, & caſtigatio ſeruis neceſſaria ſunt.

Cibus enim ſine caſtigatione & opere petulantem; Opus autem & caſtigatio ſine cibo violenta res eſt, & infirmum ſeruum efficit. Reſtat ergo, vt opus faciendum illi tribuatur, & cibus ſufficiens ſuppeditetur. Nam boui trituranti non

obturandum os. Caſtigationes quoq́, vbi opus eſt, verbis & re addendæ: nonnunquam tamen etiam aliquid indulgendum. Expedit etiam præmijs aliquando ad labores alacriores reddere.

17. Curæ viri & vxoris in domo diſtinctæ ſunt.

Et primò quidem quoad prolem. Quia alterius eſt educare, alterius verò erudire. Vxoris quidem educare: Viri autem erudire. Quoad res verò, vir intendere exterioribus debet. Mulierem autem, ſi tamen proba ſit, dominari omnibus, quæ ſunt intus, curamq́ habere eorum, ſic tamen, vt non, quenquam ingredi ſine præcepto viri, permittat, decet. Vtriuſq; verò eſt diligenter negotia inſpicere, maximè tamen viri, cuius principalior cura domus eſt. Verùm hoc in exilioribus quidem administrationibus rariùs: in grandioribus autem, quorum cura alijs committitur, ſæpius ipſi faciendum eſt. Niſi enim in huiuſmodi diligentia bonum de ſe exemplum præbuerit, nec habiturum ſe diligentiæ æmulos, nec in re familiari, nec in alijs exiſtimet: Quoniam impoßibile eſt indiligentis domini diligentes eſſe vicarios. Vnde priùs expergiſci decet dominum, quàm ſeruum, & cubitum ire poſteriùs. Nec vnquam incuſtoditam relinquere domum, quemadmodum nec vrbem, neq; die, neq; nocte, decet. Et debet ſurgere ante lucem. Scire autem omnia, quæ intra ædes fiunt, quorum curam habet mulier, indecens viro eſt. Non tamen ita dedecori ipſi quicquam facere eorum, quæ domi

mi ſunt, ac mulieri, quæ ſunt foris, perquirere, turpe eſt.

18. Viri in vxorem abeſſe debet iniuria.

Si enim aberit, nec ipſe iniuriam patietur. Et quia iniuria viri eſt externarũ mulierũ copula: ideo ab hac ſibi maximè vir cauere debet. Summa namq; eſt ſobriæ fœminæ delectatio, ſi virum ſuum obſeruantem ſibi caſtitatem cernat, nec de vlla muliere magis cogitantem, ſed præ cæteris omnibus hanc, tanquam ſuam, & fidam ſibi exiſtimantem. Tantò enim magis ſtudebit mulier ſe talem præſtare, quantò ſe cognouerit intimiùs à viro diligi. Appropinquandum tamen eſt vxori cum magna temperantia & modeſtia, ita vt pudor verbis, operibus verò fas atq; honeſtas, conuerſationi autem fides & moderatio inſit.

19. Nihil prætermittendum eſt viro, quod ad vxoris pertineat diſciplinam, vt, quantum fieri poteſt, optima tales quoque generet filios.

Nam agricola quidem nihil omittit facere, quò ſemen in optima terra & maximè exculta ſerat, ſperans inde fructus optimos ſe recepturum. Si ergo tanta pro corporis eſca adhibetur cura: Quid pro liberis & matre educatrice non eſt agendum? Quid enim ſanctius viro eſſe poteſt, aut circa quæ magis vir ſanæ mentis occupatus eſſe debet, quàm ex optima, laudatiſſimaq; muliere filios procreare, ſenectutis ſuæ quaſi optimos paſtores, patris & matris reuerentes cuſtodes, ac

totius domus ſeruatores? Hoc etiam ſolo conditio mortalis hominum per ſucceſsionem ſempiternitatem conſequitur, omniaq́ parentum huc vota tendunt.

20. Mulier virum ſuum diligere, timere, honorare, illíque obſequi debet.

Diligere quidem & timere cum verecundia & pudore: Hoc enim ingenuæ mulieris eſt erga proprium virum. Honorare verò, vt nullo modo contemnat: Et ſi quid perturbatione animi deliquerit, ilicò oblita minimè apud animum deponat, ſed ægritudini ignorantiaq́ adſcribat. Vir enim cùm ſuperior ſit, ipſi honor debetur, & hac ratione ipſi vxor obediat. Licet enim de iȷs, quæ intra domum ſunt, ipſa pro libitu diſponat: in cæteris tamen parere viro debet, nec ſine eo quicquam, ad connubia ſpectans, tractet, ſed vbi tempus popoſcerit filias nuptui tradere, aut nurum accipere, in his penitus viro morem gerat, vnaq́ cum illo deliberet, ita tamen vt ſcientiam viri ſequatur, exiſtimans mores viri eſſe legem vitæ ſuæ, ſibi à Deo per legem matrimonȷ impoſitam. Si quid tamen turpiter imperet, ab huiuſmodi cauere debet: in aliȷs verò magis obtemperare, quam ſi empta in domum veniſſet. Magno enim pretio empta fuit, ſocietate ſc. vitæ, & procreatione liberorum. Debet autem non ſolùm in proſperis, ſed etiam in aduerſis vnanimem ſe præſtare viro, ipſiq́ inſeruire. Et ſi ſit in rebus defectus vel ægrotatio, vel alienatio mentis, æquo ferat animo, & obſequatur,

quatur, niſi ſit aliquid turpe & indignum. Proſperitatis enim facile eſt reperire participes: Aduerſitatis verò, niſi ſint optimi, participes eſſe renuunt.

21. Inter virum & mulierem vigere concordia debet.

Vbi enim hoc contingit, inimici eorum anguntur plurimùm: Amici verò lætantur. Hanc autem concordiam præcipuè in gubernatione filiorũ alant, vt ſecundũ virtutem educentur: Quibus & bono vitæ exemplo præeant. Si enim ſecus egerint, eis cauſſam euidentem excuſationis relinquunt: timendumq́ eſt, ne cõtempti à filijs, quaſi nõ bene vixerint, in ſenectute deſerantur. Debent & concorditer omnem curam parentibus exhibere. Vir quidem parentibus vxoris, non minùs quàm proprijs: Vxor autem viri. Deinde amicorum, rerum, & totius domus tanquam communis, curam habeant, ſeipſos ſtudio ac diligentia certatim ſuperare contendant.

22. In domo deſpoticam, poſſeſsiuam, pecuniariam, & œconomicam eſſe oportet.

Imperantem enim habere ſcientiam & diſpoſitionem ad dominandum ſeruis, quæ ad deſpoticam pertinet, neceſſe eſt. Quia *regulans vigere intellectu debet. Et quia domus non ſine neceſſarijs ad vitam ſubſiſtere poteſt, quæ maximè ex poſſeßionibus rectè gubernatis, & ex acquiſitione pecuniarum habentur: ideo in domo eſſe artem poſſeßiuam & pecuniariam oportet.* Quoniam autem *ea,*

quæ ſunt ad vitam neceſſaria, niſi rectè & ordinatè ſecundum gradum vniuſcuiuſq; diſpenſentur, confuſionem in domo generent: ideo ibi œconomicam eſſe, quæ eſt ars bene diſpenſandi, neceſſe eſt.

23. Deſpotica non eſt ſcientia.

Non enim ſufficit ad id aliquem diſpoſitum eſſe, vt ſcientiam rectè gubernandi ſeruos habeat: Sed talem etiam ita diſpoſitum à natura vel lege eſſe oportet. Vnde deſpotica eſt diſpoſitio ſecundum naturam vel legem, qua aliquis eſt diſpoſitus ad dominandum ſeruis. Non eſt ergo ſcientia, ſed ſcientiam præſupponit.

24. Poſſeſsiua eſt naturalis.

Poſſeßiua enim eſt ars cibos acquirens. Videmus autem, quòd natura omnibus animalibus cibos, etiam in prima eorum generatione præparârit. Si ergo brutis animalibus in eo prouidit: multò magis homini. Vnde fructus terræ, & carnes quorundam animalium terreſtrium & aquaticorum natura ad cibum hominis deſtinauit: Sed magis naturalis cibus fructus terræ exiſtunt, qui ad animalia ordinantur. Vnde ars poſſeßiua magis, quàm piſcatoria vel venatoria, naturalis eſt. Hæ enim à natura aliqualiter recedunt, ita vt talis cibus non tam nobis à natura, quàm ab arte paratus ſit. Terra autem nobis ſponte cibum offerre videtur.

Poſ-

25. Poſſeſsiua non eſt infinita.

Non enim in infinitum acquirere vult, cùm ſit acquiſitrix diuitiarum, quæ neceſsitati naturæ ſubueniunt: Sed potiùs finita eſt. Nam neceſſaria naturæ finita ſunt, cùm natura paucis & minimis contenta ſit. Item cùm ſit naturalis, & natura non tendat ad infinitum: patet, non eſſe infinitam. Vnde etiam nullius artis inſtrumenta, nec ſecundum multitudinem, nec ſecundum quantitatem continuam, infinita ſunt.

26. Pecuniaria non eſt naturalis.

Pecuniaria enim eſt ars acquirendi multitudinem pecuniarum. Pecunia verò permutationis gratia inuenta. Nam cùm homines priùs res pro rebus commutarent, vt vinum pro grano, neceſſeq; eſſet aliquando, res aliquas neceſſarias à partibus longinquis deferri, reſq; ad commutationes faciendas transferre, nimis laborioſum foret: pro rebus metalla efferre cœptum eſt, quibus deinde à lege dictum pretium, quod ſignum monebat. Et ſic gratia commutationem ſignati nummi, non vſurarum cauſſa, quòd lucrum neq; naturale eſt, neq; legibus permiſſum. Lucrum ergo pecuniæ ſiue ars cogendi pecunias in domo, non à natura, quaſi naturale lucrum vel fructum præbeat: Sed à ratione & lege propter commoditatem hominum, & opportunas commutationes faciendas, neceſſaria.

Pecu-

27. Pecuniaria ad poſſeſsiuam ordinatur.

Poſſeßiua enim, vt dictum eſt, cibum & diuitias naturales: pecuniaria verò diuitias artificiales quærit. Sicut ergo diuitiæ artificiales ordinatæ ad naturales ſunt: ita & pecuniaria ad poſſeßiuam. Vnde quemadmodum poſſeßiua finita, vt dictum eſt: ita & pecuniaria eſſe finita debet.

28. Pecuniaria inordinata eſt infinita.

Inordinatam ipſam appello, quando non pecuniarum acquiſitionem ad diuitias naturales, tanquam ad proximum finem, ordinat. Infinitam verò, quia pecunias abſq; vllo termino quærit. Si enim eſſet ordinata, tot quæreret pecunias, quot ſufficerent ad diuitias naturales habendas, quarum acquiſitio finem habet, vt dictum eſt. Sed quando finem in pecunia ponit, propter ſe amat pecuniam. Et quia finis & illud, quod propter ſe quæritur, quantò ſemper eſt maius, tantò etiam ſemper plus amatur, & plus quæritur vſq; in infinitum, eò quòd amor finis modum non habeat. Hinc eſt, quòd pecuniaria inordinata pecunias abſq; vllo termino quærat, quia creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit. Vnde pecuniaria ordinata laudabilis eſt, vtpote ad bonum finem ordinata: Inordinata verò vituperabilis, vtpote ponens finem in pecunia.

29. Pecuniaria inordinata maximè communitati noxia eſt.

Primò enim nocet domui, tum quia pecu-

niaria inordinata ſolùm acquiſitioni pecuniæ tanquam fini vacat, nec bonam vitam in ſe, nec in ſibi ſubiectis curat. Vnde, vt non bene in domo, ſed ſecundum prauos appetitus viuant, contingit. tum quia ſpecies pecuniariarum malas in domo, vt vſuram, vel alias huiuſmodi ſpecies, introducit. Nam pecunia acquiri per commutationem rerum, quemadmodum huius rei cauſſa inuenta eſt, debet. Hoc ipſo etiam poſtea communitatis bonum deſtruitur. quoniam abuſus officiorum & artium in ciuitate ob pecuniæ ſtudium introducitur. Atq; ſic pecuniariam inordinatam valde noxiam eſſe patet.

30. Oeconomica eſſe ordinata debet.

Hæc enim eſt ars diſpenſandi pecuniam & alias diuitias. Non æqualiter autem omnibus diſpenſare, ſed proportionaliter, vt ſuprà de iuſtitia diſtributiua dictum, eas opportet. Vnde ordo domus ſapientiam gubernatoris oſtendit: Quia ſapientis eſt ordinare. Quatuor igitur agere circa diuitias debet: ſc. illas quærere, quæſitas tueri, illis ornari & frui, ac eas bene diſpenſare. Primò, quidem, quia ſunt neceſſariæ ad ſuſtentationem vitæ, tam ſui quàm ſuorum. Secundò, quia nihil prodeſt illas acquirere, niſi conſeruentur. Tertiò, quia huius rei gratia expedit illas habere, & ad hoc ſunt vtiles & ordinatæ. Ornatur autem illis & fruitur, ſi ſumptus opportunè cum decore faciat, atq; ſi ea, quæ pertinent ad commoditatem ſuam, inde ſumpſerit, illarumq; dominus, non ſeruus, exiſtens in ſuum vſum verterit. Quartò,

ſi

ſi ÿs, quibus decebit, diſtribuerit, eas rectè diſpenſabit. Et hæc de œconomica dicta ſint.

DE POLITICA ET REGNO.

LIBER DECIMVS.

Summa & diſpoſitio libri X.

Regimen domus gubernatio ciuitatis, quæ politia ſiue regnum dicitur, ſequitur. De quo in hoc vltimo libro tali agit autor ordine. Primò de ciuitate, de qua politia eſt, à 1 concluſione vſque ad 14 incluſiuè. Secundò de principantibus in ciuitate, vſque ad 18. Tertiò de regno ſiue rege vſque ad finem libri determinat. Quoad primum, primò naturam ſiue ſubſtantiam ciuitatis per definitionem eius materialem in concluſione 1 declarat. Et quia ex ea eſſe communitatem quandam, patet: Conſequenter qualitatem huius communitatis, quoad naturalitatem in 2. & quoad perfectionem in 3 oſtendit. Quia vero omnis communitas gratia alicuius boni, quod finis eius eſt, exiſtit: Ideo ſecundò, cuius boni gratia ciuitas inuenta, in 4. quantum illud bonum ſit, in 5. quàm excellens, in 6 demonſtrat. Et quia per illud bonum felix efficiatur: Quæ ad eius felicitatem requirantur, in 7 exponit.

Tertiò

Tertiò rurſum naturam eius per definitionem formalem in 8 deducit,& ex quibus partibus conſtet,in 9. Quartò quaſdam proprietates ſiue conditiones ciuitatis, duas quidem materiales,& duas formales oſtendit. Materiales ſunt, quo loco ratione ſalubri talis ædificanda,in 10: Et vnde ipſi neceſſaria vitæ quærenda in 11,& quòd in amœno loco conſtituenda,in 12 agit. Formales verò ſunt, vnitas eius, de qua in 13.& perfectio, de qua in 14. tractat. Quoad ſecundum, primò neceſsitatem principantium in ciuitate, concluſione 15. Secundò qualitatem eorũ, qui debeant gubernare, in 16 docens, declarat. Et quia non idem principatus omnibus gentibus conuenit; Tertiò diuerſitatem illius ſecundum diuerſitatem gentiũ in 17. Quartò naturalitatem eiuſdem in 18 oſtendit. Quoad tertium de tribus his, ſc. de principatu regali, qui eſt principatus vnius, de ipſo rege, & de requiſitis ad regem agit. De principatu primò eius perfectionem per comparationem ad alios principatus, & per collationem quidém bonorum in 19. malorum verò in 20 oſtendit. Nam oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. Secundò, quid pro vitando oppoſito principatu, ſcilicet tyrannico, & ante & poſt factum, agendum, docet. Ante factum quomodo vitandus, & quoad qualitatem regiminis in 21. & quoad qualitatem regen-

regentis in 22. inſtituit. Poſt factum verò quomodo remouendus tyrannus ſit, in 23. & quomodo puniendus, in 24. inſtruit. Tertiò fortitudinem huius principatus per comparationem ad oppoſitum, ſc. tyrannicum, in 25 oſtendit. Quoad ipſum regem, primò quantum præmium, ſi debita ratione recturus ſit, conſecuturus ſit, vt inde ad optimè gubernandum inſtigetur, in 26. Secundò, quomodo ſuum regnum ad regni Dei, qui eſt Rex regum, & Dominus dominantiũ, ſimilitudinem inſtituere debeat, in 27 edocet. Tertiò, vnde regulam imperandi ſumere debeat, in 28. Quartò, quæ requirantur ad regem, quoad diuitias quidem, in 29. quoad miniſtros, in 30. quoad munitiones, in 31. & quoad numiſma in 32. Quintò, qualem ſe erga exteros, vt ſecurè in regno ſuo viuere poſsint, gerere debeat, in 33: Qualem erga pauperes, in 34: Qualem erga patriam & ſubditos, in 35. Demum qualem erga Deum, vt ab eo regatur & conſeruetur, præſtare ſe debeat, in vltima.

Concluſio ſiue regula prima.

1. Ciuitas eſt communitas ex pluribus vicis conſtituta.

Vicus enim ex pluribus domibus fit. Nam ex multiplicatione prolis, cùm domeſticos vna domus non caperet, per diuerſas domos diuiſi ſunt:

Et

Et ſic factus vicus. Quemadmodum ergo domus ex pluribus cõiunctionibus, et ex pluribus domibus vicus: ita et ex pluribus vicis cõſtituta ciuitas eſt.

2. Ciuitas eſt communitas naturalis.

Eſt enim finis communitatum naturalium. Nam domus ex coniunctionibus naturalibus conſtituitur. Et ideo eſt communitas naturalis, & ſimiliter vicus, qui ex domibus fit. Nã quod ex omnibus partibus naturalibus componitur, naturaliter ad ipſum ordinatis naturale eſt. Finis autem rerum naturalium eſt natura ipſarum, eò quòd natura illud eſt, quod rei, vbi ratio perfecta eſt, conuenit: Quod quidem eſt finis omnium, quæ ante generationem ipſius exiſtunt. Quia ergo omnes aliæ coniunctiones & communitates ad ciuitatem tanquam ad finem ordinantur, & ſunt naturales: ideo ciuitas eſt communitas naturalis ex naturalibus communitatibus generata.

3. Ciuitas eſt communitas perfecta.

Quia enim dictum eſt, hominem eſſe animal ſociale propter neceßitatem huius vitæ, eò quòd vnus homo non ſibÿpſi ſufficiat: ideo communitas inuenta eſt neceßitatis vitæ præſentis gratia. Domus autem vna non ſibi in omnibus ſüfficit: Similiter nec vicus vnus. Quando ergo ex pluribus vicis communitas, quæ ſibi in omnibus ſatagit, fit, talis communitas perfecta, & ciuitas dicitur. De ratione enim ciuitatis eſt, vt in ea omnes artes & alia, quæ ſunt vitæ humanæ neceſſaria, reperiantur. Hunc enim in finem ordinata ciuitas. Igitur perfecta communitas eſt. Aaa Ci-

4. Ciuitas inſtituta eſt non ſolùm,ut homines viuant,ſed etiam vt bene viuant.

Omnis enim homo,ratione agens, gratia alicuius boni & finis operatur. Cùm ergo homo communitatem ciuitatis inuenerit: certum eſt, quòd eam gratia alicuius boni inſtituerit.Hoc autem bonum eſt bonum hominis, in quantum homo: Viuere autem omnibus animantibus. Verùm bene & beatè ſoli interanimalia homini competit. Ciuitas ergo maximè,vt homines bene viuant,inſtituta.

5. Communitatis ciuitatis inuentor maximi boni autor exiſtit.

Cùm enim ciuitas, ut homines bene viuant, inuenta ſit: ideo leges,ignaros ad bonum rationis & ad finem vltimum ducentes, & prauos,ne innoxios opprimant, & plurima mala committant, cohercentes, inuentæ. Nam homo,varijs armis inſtructus, ad nocendum idoneus,omnium animantium foret deterrimus,ita vt niſi legibus, ceu catenis,conſtrictus, ſi non virtutis amore, ſaltem pœnæ formidine à flagitijs abſterreretur: nullus humano conuictui relinqueretur locus. Qui igitur ciuitatem, in qua leges hæ, de virtute commonefacientes,vigent,inuenit,maximi boni autor eſt.

6. Bonum, ad quod ordinatur ciuitas,omnium bonorum principaliſsimum eſt.

Omnis enim communitas ad aliquod bonū ordinata.Principalis ergo ad principale & principaliſsima ad principaliſsimū bonū deſtinata. Talis autē eſt ciuitas, quæ omnes alias communitates continet.Igitur ipſa ad principaliſsimum bonū ordinata.

7. Ciuitas vt felix ſit, omni virtutum genere prædita eſſe debet. *Felici-*

Felicitas enim, vt dictum, primò propriè in contemplatione diuinæ eſſentiæ cōſiſtit. In præſenti ergo vita diuinorum pura meditatio, eſt quædam futuræ felicitatis inchoatio. Nam ſi quæ beatitudo in hoc mundo haberi poteſt: certè nulla alia, niſi hæc contemplatio, futura. Verùm cùm huiuſmodi non ſine alijs virtutibus moralib9 haberi poſſit: ideo omnes ciues, vt felices efficiantur, ad virtutes excitare oportet. Vbi igitur omnes virtutes, tam practicas, quàm ſpeculatiuas, nacti fuerint, cùm bonū quantò communius, tantò etiā ſit diuinius: Nihil in rebus humanis melius reperiri poterit. Et ſic ciuitas felicitatem præſentem & futuram conſequetur.

3\. Ciuitas eſt multitudo ciuium, per ſe ad vitam humanam ſufficiens.

Nam totum ex ſuis partibus conſtituitur. Ciuitatis autem partes ciues ſunt, quia ex illis primùm ac præcipuè ciuitas aggregatur, cogitur, et coaleſcit: perinde atq; totius numeri multitudo ex ſuis vnitatibus conflatur, et tota acies ex militibus, eam conſtituentibus. Eſt igitur ciuitas nihil aliud, quàm ciuiū multitudo, quæ per ſe in reb9 humanis ſufficiens. Eſt enim perfecta, vt dictum eſt, communitas. Dicitur autem propriè ciuis, qui in ciuitate publicè poteſtatē habet deliberandi, de negotijs reipub. conſultandi, iudicandi, & magiſtratum ipſum ſubeundi. Si quis autem horū facultatem non habeat, quamuis eodem cum ciuibus murorum ambitu & loco contineatur: minimè ciuis habendus eſt: Quoniam propria ciuitatis munera, publicaq; officia obire non poteſt, id eſt, deliberationem, conſultationem, iudiciariam autoritatem & magiſtratus geren-

di poteſtatem. Quocirca ciuitate donati inquilini, alienigenæ, aduenæ, & peregrini, quamuis eundem cum ciuibus locum habeant, nequaquam ciues cenſendi ſunt, quòd hæc reipub. munia exercere non poßint. Pueri item & extremo confecti ſenio, ſimiliter & mulieres, ciuium, hoc modo ſumtorum, haud quaquam comprehenduntur nomine, quòd minùs idonei ſunt, nec admittuntur vnquam ad reipub. adminiſtrationem, licet aliquid ſint ciuium, vt filij, parentes, vxores, & ea ratione etiam ad ciuitatis integritatem pertineant. Siquidem quamuis ciues omnes ad ciuitatis faciant conſtitutionem: non tamen è diuerſo quicquid ad ciuitatis confert coaleſcentiam, ciuis nomi, e nuncupari debet. Quis enim ſeruos vnquam ciues dixerit, quos tamen conſtat ad ciuitatis, ſicut & domus integritatem pertinere?

9. Ciuitas multas habet partes.

Cùm enim ciuitas ſit eò, vt hom. ies ſufficienter & bene viuere poßint, inſtituta ſit: in ea multas partes inueniri oportet. Cùm enim non omnes vigeant intellectu, imò plurès ſint, qui deficiant: conſultores eſſe in ciuitate, neceſſe eſt. Quia verò alij concupiſcentias & vitia ſequuntur: qui hoc compeſcant, rectores requiruntur. Neceßitatis verò humanæ vitæ gratia quoſdam diuites, alios verò artifices, ad delectandum muſicos, victus cauſſa agricolas, ſecuritatis & defenſionis fine milites habere oportet. Vnde ab bellum idonei gymnaſticis exercitijs iuuenes efficiendi. Sacerdotes

tes quoq; diuini cultus directores conſtituendi. Hi ſtipend s ſuis contenti, non ſuperbi, auari, aut πολυπράγμονες, religioni vnicè dent operam, bono exemplo præeant alijs, nec, quod Apoſtolus monet. vna quod manu ædificant, altera deſtruant: Sed in patientia & ſpe ſortes laborum ſuorum præmia, vbi eorum meßis frequens futura eſt, in cælo expectent.

10. In ciuitatis extructione aëris tempèrati locus eligendus.

Sic enim homines conſeruantur ſani: Quia ſanitas in quadam humorum temperie conſiſtit, & ſimile ſimili conſeruatur: Similiter diutius quoq; viuunt. Quia in locis nimis calidis humidum radicale citò per calidum exiccatur: Et in locis nimis frigidis humidum per frigus facilè congelatur, atq; ita calidum deficit. Aërem ergo eſſe temperatam, vt diutius viuant ciues, oportet: Sic enim prudentiores euadent. Ita etiam ciuitas magis à bellis ſecura futura eſt. Quia regiones calidæ propter ſiccitatem & modicum ſanguinem timent vulnera: vnde facilè iugo alieno ſubijciuntur. Regiones autem nimis frigidæ intellectu, licet non animoſitate, propter abundantiam ſanguinis, deficiunt. Et ideo etiam iſtæ facilè in deditionem veniunt. Sed mediæ intellectu & ſanguine vigent. Vnde animoſitate dotantur, & ideo ſunt magis à bellis ſecuræ. Hac de re non tacenda veterum curioſitas. Hi ſalubritatem locorum captantes pecoribus immolatis, quæ in ijs paſcerentur, vbi

oppida conſtituere, aut ſtatiua habere concepiſſent, ex iecinoris habitu aëris modum coniectabant. Nam ſi liueſcens, vitioſumq; in pluribus compertum foret, inſalubritatis videri argumentum, arbitrabantur, pabuli & aquarum ratione. Eligenda ergo eſt aëris temperies.

11. Ciuitatem neceſſaria vitæ ex agris proprijs, quàm ex negociatione habere, melius eſt.

Tum quia melius eſt ex proprio viuere, quàm ex alieno, tum quia negociatio poteſt ab alijs impediri: Non autem ita ager proprius: Tum quia frequenter euntes corrumpuntur à legibus & moribus aliorum nationum: Tum quia cupiditas per negociationem augetur, ex qua poſtea, vt omnia in ciuitate ſint venalia, ſequitur, & locus fraudibus, & litibus via aperitur, bonum publicum contemnitur. Vnde non pigeat hac de re Marcum Catonem, initio ſui operis ſic differentem, audire: Eſt interdum præſtare populo mercaturis rem quærere, ni tam periculoſum ſiet, & item fœnerari, ſi tam honeſtum ſiet. Maiores enim noſtri ſic habuerunt, & ita in legibus poſuerunt: Furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Quantò peiorem exiſtimârunt fœneratorem, quàm furem, hinc licet exiſtimari. Et virum bonum cùm laudabant, ita laudabant, bonum agricolam, bonum colonum: Ampliſſimè laudari exiſtimabatur, qui ita

ita laudabatur. Mercatorem autem ſtrenuum, ſtudioſumq́ rei quærendæ exiſtimo; Verùm, vt ſupra dixi, periculoſum & calamitoſum. At ex agris viri fortißimi & milites ſtrenuißimi gignuntur, maximeq́ pius quæſtus, ſtabiliſsimuſq́ cõſequitur, minimeq́ inuidioſus: minimeq́ malè cogitantes ſunt, qui eo ſtudio occupati ſunt. Hac Cato. Cùm autem non facilè aliquis reperiatur locus, qui largiatur omnia vitæ neceſſaria imò quædam tribuat ſuperflua, hæc aliò efferri, inde alia rurſum inferri, cùm mercatorum opera neceſſe ſit: ideo & perfecta ciuitas nonnullis quoq́ mercatoribus habitari debet.

42. Ciuitas amœno in loco extruenda.

Ita enim non facilè deſeretur, & ad eum multitudo hominum facilè confluet. At hanc autem amœnitatem, vt ſit locus camporum planicie diſtentus, arborum ferax, montium propinquitate conſpicuus, nemoribus gratus, & aquis irriguus, pertinet. Prouidendum tamen eſt, ne immoderatè ciues delectationibus vtantur, tum quia iudicium hebetant & virtutes deſtruunt: tum quia ſemper appetitus earum magis creſcit, quantò plùs eis vtuntur: tum etiam quia hominem tolerandis laboribus ineptum efficit, totumq́ eneruat.

43. Vbi ſemper eadem politia, ibi ſemper eadem ciuitas eſt

Quamuis enim quotidie aliqui moriantur, & in locum eorum alij ſuccedant: quando tamen eadem politia, id eſt, idem ordo regentum ad ſubiectos remaneat, eadem quoq; ciuitas remanet. Nam dato, quòd in corpore animato materia propter fluxum & deperditionem vel appoſitionem humidi uarietur: tamen quia eadem forma, quæ dat eſſe ſubſtantiale, perſtat, etiam idem animatum permanet. Forma autem ciuitatis politia eſt. Ex ordine etiam imperantium & ſubiectorum conſtituitur ciuitas. Unde politicè viuere eſt aliquo modo viuere ad inuicem ciues. Non enim communicatio loci ciuitas eſt, ſed communicatio bene viuendi ex diuerſis generibus hominum gratia vitæ perfectæ & per ſe ſufficientis compoſita.

14. Politica, quæ multos habet medios ciues, optima eſt.

Medios ciues voco eos, qui nec ſunt nimis opulenti, nec nimis egeni. Tales enim optimi ciues exiſtunt. Nam nimiùm diuites parùm ratione reguntur, & tanquam delicati ſubijci nequeunt. Egeni autem non facilè rationi obediunt, quia vt plurimùm viles ſunt, & diuitibus inuident, ſeſeq; ſemper à principibus opprimi exiſtimant. Medij autem meliores ſunt, & magis ſecundum rationem viuunt, valentioreſq; exiſtunt. Nam ſi diuites contra principem inſurgant, adhærent pauperibus. Si autem pauperes ſeditioſi tumultuentur, diuitibus ſe coniungunt. Vnde per iſtos medios principatus

patus melior & fortior eſt, hæcq́ politia pluribus ciuitatibus communis.

15. In ciuitate aliquis, vel aliqui directores conſtituendi.

In omnibus enim, quæ ad aliquem finem ordinantur, in quibus ſic & aliter ad illum finem procedere contingit, aliquo directore, per quem ad debitum finem perueniatur, opus eſt. Homines autem ad finem intentum diuerſimodè procedunt: Ergo, in multitudine hominum conuenientium directores conſtituere, neceſſe eſt: Aliàs vnuſquiſq́ ſua tantùm quæreret, & ſic communicatio diſſolueretur. Quia ergo rectè & non rectè ad finem procedere euenit: diligenter, vt ſupra multitudinem directores, non autem diſſipatores, conſtituantur, prouidendum. Vt ſi ordinetur vnus, is rex, non tyrannus ſit, qui non publicum; ſed priuatum quærat commodum: Sin autem paucorum, hoc eſt, diuitum, valdeq́ potentum inſtituatur potentia: is magiſtratus penes optimates ſit, non plebem opprimentes. Sin autem multitudo plebis dirigat, ea nequaquam diuites opprimat, ſed inter eos optimus ordo dominandi & vera politia exiſtat.

16. virtute excellentes dominari debent.

Naturaliter enim tales aliorum domini ſunt, & hi ſoli multitudinem rectè dirigere poſſunt. Si ergo quiſpiam, qui alios virtute ſuperet, reperiatur, illum dominari decet. Tale enim imperium toti vniuerſitati ſimilimum, in quo Deus ipſe regit, nec ob id alij inhonorati remanent: Quia vnuſ-

quiſq; in politia ordinata gradum ſuum, & honorem ſecundum gradum diligit. Vnde in politia regali non dominari ciuis debet, ſed aliquis ſecundum virtutem ſupra ciues. Si autem virtus vnius non excedat virtutem alterius: vel multitudinem dominari, vel ſapientiores, ſi in ea plures ſapientes inueniantur, expedit. Sic enim maiorem potentiam & meliorem directionem habituri ſunt.

17. Diuerſæ prouinciæ diuerſos principatus habent.

Prouinciæ enim ſeruilis naturæ, ſc. quæ vel deficiunt ſanguine, vt in parte orientali, vel deficiunt intellectu & abundant ſanguine, vt in aquilone, regi principatu deſpotico & regali debent, quia ſubÿci facilè poſſunt, & directione vel violentia, vt ad bonum commune conuertantur, indigent. Talis verò vis in rege eſt. Prouinciæ verò, quæ & ſanguine & intellectu abundant, & cordis audaciæ, & mentis intelligentiæ confidentes, regi principatu politico vel poteſtate optimatum, cùm ſummitti nequeant, debent: Id quod in Italia obſeruatur, in qua vidimus, eos, qui trahere ad principatum deſpoticum vel regalem ſubditos volunt, neceſſe habere, vt tyrannizent. Vnde principes inſularum, earundem ſemper fuerunt tyranni, vt in Sicilia, Sardinia & Corſica patet. In Lombardia quoq; nullus principatum perpetuum, niſi per viam tyrannidis, duce Venetiarum excepto, cuius tamen imperium admodum temperatum eſt, obtinet. Eam enim Reipub. formam ſapientiſſimi

patres

patres conſtituerunt, vt ex omnibus miſta ſit. Comitia enim, quibus magiſtratus creantur, quòd maxima in his ciuium multitudo ſit, quanquam nullo pacto huc quiſquam è populo aſpirare poßit, atq; vnius ſint nobilitatis omnia: Speciem tamen quandam popularis gubernationis præ ſe ferunt. Vnius dominatio in eo, qui dux creatur, conſpicitur: Cætera omnia optimatum adminiſtrationi conueniunt. Atq; vnum quidem ex omnibus eligi, qui toti præeſſet reipub. cùm ob alia multa, tum ob id maximè conſtituerunt, quòd videbant in hac Repub. quod in omni optimatum & populi imperio fit, fieri, neceſſe eſſe, vt annui ſcilicet magiſtratus, aut aliquo certè non longo tempore definiti crearentur. In eo verò id eſſe incommodi, quòd cùm ij plerunq;, qui ea, quæ in Repub. agenda, ac quò omnia dirigenda conſilia eſſent, tenerent: peracto magiſtratus tempore, priuati fierent, noui verò ac rerum, quæ gererentur, ignari ſuccederent: prætermitti multa, ac magno affici rempub. detrimento, neceſſe erat. Ob hæc illi vnum aliquem reipublicæ præfici vtile eſſe opinati ſunt, qui ad Reipub. gubernacula aßiduus ſedeat, cæteri munus quiſq; ſuum exequatur: Ille omnia diſponat, & quæ viſa fuerint imperet, atq; eò curſum dirigat, vbi maximè & ſalutem & vtilitatem Reipublicæ eſſe cognoſcat. Neq; verò, quemadmodum in Rege ſuo Lacedæmoniorum Reſpublica ſucceßione

hoc

hoc fieri, ſed ex ijs, qui in repub. verſati eſſent, atq; egregij in Rempub. animi, ac virtutum omnium ſigna multa dediſſent, ſapientiſsimum eligi, voluerunt. Huic autem, ne imperandi dulcedine tranſuerſus aliquando rapi poſſet, ita ſuas direxerunt leges, vt cùm in ſumma rerum omnium poteſtate ſit, non minùs tamen, quàm reliquorum quilibet, eas ſeruare teneatur: Adeò vt principi ſimul omnia incumbant onera, ſimulq; ipſi ſeueriſsimis legibus obtemperandum ſit.

18. Dominium hominis ſuper hominem naturale eſt.

Naturaliter enim homo brutis animalibus, & cæteris creaturis corporalibus dominatur, quia imperfectiora ad perfectiora ordinata ſunt, & Deus inferiora per ſuperiora gubernat. Homo igitur cùm habeat veram rationem prudentiæ, & ſit quoddam perfectum, cæteriſq; animalibus, quæ aliquid prudentiæ imperfectæ participant, ſuperior: patet, naturaliter hominem animalibus brutis dominari. Cùm ergo homines quidam magis prudentes, quidam minùs ſint: dominium hominis ſuper hominem naturale eſſe, prout officium conſulendi & dirigendi infert, dicendum. Quatenus autem ſeruitutem importat, vt dominatus deſpoticus eſt, magis ſecundum legem, quàm naturam, vti in præcedenti libro dictum eſt, exiſtit.

19. Vnius imperium optimum eſt.

Nam ibi vnus rerum gerit ſummam, eximia virtute cæteros præſtans, quos ſingulari prouidentia

uidentia & ſolicitudine ad commune bonum & virtutis opus dirigit. Illi obediunt omnes, illius audiunt dicto, & ad illum ſolum reſpiciunt. In cæteris verò duobus generibus Reipub. plures tenent principatum, totiuſq; communitatis gubernationem tractant. Vnum autem prius eſt multis, & vnus princeps pluribus eligibilior, quòd in plurium principatu æmulationes, diſſenſiones, & ſimultates inter principantes oboriri ſoleant, & exinde ipſius Reipub. pernicies & exitium inferri: Quod, vbi vnus ſolus ſummum gerit magiſtratum, habere locum non poteſt. Præterea regius principatus ipſi ſupremo principatui, quo Deus toti dominatur orbi, ſimilior & affinior eſt: Quoniam Rex omnis terræ Deus totam huius mundi machinam mirabili prouidentia, adminiſtrationeq; (vt ita dixerim) regia gubernat: Ipſe vnus cæleſtia, terrena & inferna, ſapientiſſima ſua diſpoſitione moderatur. At clarum eſt, neq; optimatum, nec politicam gubernationem tantam ſimilitudinem cum Dei in totum hunc mundum principatum gerere, quòd ponendi ſint plures ipſius mundi rectores. Eſt igitur regia reſpublica longè cæteris præſtantior. Adhæc videmus naturam, imò totius naturæ optimum opificem, hanc regiam gubernationem, cùm in cæteris animalibus, tum in rebus inanimatis, quibuſdam notis expreſſiſſe, quod daret eminentis eius excellentiæ indicium. Nonne apes ſuum habent regem, cuius auſpicijs vniuerſa diſponunt, bella gerunt, & quandam reipub. formam tenent?

tenent? Nónne & grues vnum ſequuntur totius gregis ducem, & cætera animalia gregaria ſocialem vitam ſeruantia? Neq; ouium gregi deeſt ſuus dux aries, neq; armento ſuus taurus. Nonne item conſpicimus Solem, vt regem quendam, cæteris aſtris longè præeminere, & in toto illo ſiderum choro ſceptra tenere? Nónne in tota numerorum ſerie monadem ipſam contuemur, vt radicem, fontem, ac principium omnium ſuperemínentiam ſortitum? Sed quid illud oro ſignat, quod in omni rerum conditarum genere, vnum quiddam eminere cernimus, quod cæteris eiuſdem generis dignius? vt in quadrupedum genere leo, inter aues aquila, inter fruges triticum, inter pocula vinum: Rurſum in metallorum genere aurum, in elementis ignis. Nónne hæc omnia præferunt quædam indicia, ſigna, & argumenta regiæ reipub. in qua vnus pluribus dominatur, qui omnium virtute eſt excellentiſſimus? Conſtat igitur, naturam multis indicijs effigiaſſe, ac hanc perfectiſſimam gubernandi formam declaraſſe: Et exinde illam cæteras duas longè anteire.

20. Mali vnius imperium inter omnia regimina peſsimum eſt.

Tum quia opponitur optimo, tum quia propt maiorem vnitatem fortius eſt, tum quia à bono recedit communi. Non enim ſecundum leges rectè in-

inſtitutas, neq; iuſtitiæ præcepta, ciuitatem moderatur, ſed pro animi ſui arbitrio, & quemadmodum ipſum in præceps trahit improba voluntas, omnia licenter agit. Non etiam vtilitati ſuorum conſulit ciuium, neq; commune illorum bonum intendit, ſed ea diripit & in proprios vſus conuertit. Talem igitur qui principatum gerit, tyrannus dicitur. Huiuſmodi apud Romanos fuerunt Nero & Domitianus, vterq; Romanæ reipub. lues & peſtis. Apud Syracuſanos vterq; Dionyſius & permulti alij in alijs locis, tyrannidis nota inſignes & apud poſteritatem infames. Habet autem tyrannus mores regijs oppoſitos: Subditis violentia & armis dominatur, dura eos premens ſeruitute. Hinc à ſubditis capitali habetur odio, & quemadmodum ab ipſis timetur, ita ipſos timet. Hinc ſatellites, & quidem barbaros & peregrinos ad corporis cuſtodiam adhibet, potentiores, quaſi eminentiora papauerum capita, truncat, ſodalitates & collegia tollit, ciuium amicitias omnino dirimit, diſcordias inter ſubditos ſerit, dein ex eorum cædibus & mutuis iniurijs fiſcum auget, omnisq; honeſtatis & religionis hoſtis exiſtit.

21. Magis imperium vnius, quàm multorum, vbi periculum tyrannidis immi-net, optandum.

Faciliùs enim imperium plurium in tyranni-dem

dem vertitur: Quoniam è pluribus vnum degenerare facilius eſt. Unde regimen plurium frequentiùs ſeditionem parit. Nam ſi vnus deuiet, corrumpere partem populi poteſt, & ſic publicam pacem frangere. Verùm ſi vnus imperet, non ita mox vnionem vel pacem rumpere valet, nec tam citò opprimere populum audet: In qua quidem oppreſſione, dictum eſt, regimen eius eſſe peßimum. Præterea cùm facile ſit vnum ex pluribus corrumpi, hunc ſi cæteris ſuperare & imperium capere contingat, ſummum fore tyrannum, credendum eſt: Id quod vſus toties in Repub. Romana docuit. Ubi ergo periculum immineat, imperium vnius, quàm multorum, tutius eſt

22\. Multitudinem de eo rege, qui minimè in tyrannum conuerti poſsit, proſpicere decet.

Hoc enim bono communi omnium expedit. A Deo ergo, qui boni omnis cauſſa, is primò exorandus. Pòſt, diligenter capto conſilio, vir pius, prudens, iuſtus, temperans, fortis, imperio præficiendus.

23\. Contra tyrannum publica autoritate procedendum eſt.

Sicut enim ad nullam perſonam priuatam occidere hominem, & ſibiipſi iuſtitiam adminiſtrare pertinet: ita quoq; priuati tyrannum occidere vel deponere non eſt: Quoniam ordinationi diuinæ non reſiſtendum. Sed contra hunc procedere is, qui Dei locum tenet, id eſt, publica poteſtas debet.

debet. Et hæc vel populi eſt, ſi ad eum inſtituere regem pertinet: ſiquidem initum non ſeruet pactum: Vel poteſtas hæc alicuius ſuperioris domini, ad quem inſtitutio pertinet, futura eſt. Et ſi hoc modo deponi non poßit, ad Deum recurrendum, vel aliter prouidendum eſt. Hoc autem intellige, ſi iuſtè acquiſieris dominiũ. Si verò vi, nolentibus ſubditis, vel etiam ad conſenſum coactis, illud vſurpat: quilibet de populo illũ occidere, tanquam hoſtem publicum, poteſt. Nã populus iuſtum bellum contra eum habet. In bello autem iuſto cuilibet occidere hoſtem permiſſum. Vnde, qui illum occiderit ad patriæ liberationem, ſi recurſus ad ſuperiorem non pateat, & ſi abſq; periculo multitudinis occidi non poßit, laudatur. Melius tamen eſt aliquando toleráre tyrannum, modò non nimis grauis ſit, quàm periculoſis molitionibus periclitari.

24. Tyrannus grauiſsimè puniendus eſt.

Tum quia non ſolùm damno afficit & expoliat vnum, ſed totam etiam multitudinem: tum quia vix, vel nunquam læſis ſatisfacit, cùm tamen id teneatur: tum quia, cùm omnia ſibi licere exiſtimet, multa iniuſta, quæ deinde poſteri ſequuntur, ſtatuit: tum etiam quia libidini deditus vt plurimum agenda negligit. Vnde tanquam hoſtis partim, partim vt malus miniſter, propter exemplum, grauißimè puniendus.

25. Regnum veri regis in omnibus, quàm tyranni, fortius eſt.

Rex enim eſt, qui vnus multitudinem ciuitatis vel prouinciæ propter bonum commune regit. Ergo ſi propter bonum proprium regat, tyrannus futurus eſt. Rex igitur fortiſſimum habet regnum, quia cum ſubditis alit amicitiam, quæ vehementer vnit & fortificat: Vnde multis ſatellitibus non indiget, nec in eos pecunias expendere opus habet. Hinc, ipſum primò magnam voluptatem, cùm nihil dulcius amicitia ſit: & cùm inter amicos, defendentes ipſum, degat, ſecuritatem: & cùm parùm expendat, ciuiumq; bona, vt amicorum, ſibi quoq; communia habeat, diuitiarum cumulum & diuturnitatem conſequi, ſequitur. Nam contra eum agere nemo tentat, & ſi periculum faciat, nihil proficiat, ſiquidem amicorum multitudine ſtipatus ſit. Tyranni verò imperium modo ſe habet planè contrario.

26. Rex dignè imperium adminiſtrans ſublimem conſequitur beatitudinem.

Tum quia maiori virtuti maius præmium debetur, regere autem multitudinem maximè virtutis eſt, tum quia maiori operi maius præmium datur. Regere autem multitudinem eſt maximum opus, cùm ſit communiſſimum, tum quia eſt magis Deo ſimilis, & per conſequens ei magis acceptus, tum quia plùs laborat, & maioribus periculis ſe propter Deum & bonum commune exponit. Idcirco maiorem beatitudinem, cùm in finem vſq; perſeueret, conſequitur.

Rex

27. Rex in regno, velut rex in Mundo, eſſe debet.

Ars enim imitatur naturam, & effectus ſuam cauſſam, & cauſſæ ſecundæ primam. Sicut ergo anima corpori eſſe, et potentias diuerſas dat, ipſumq; regit: Et quemadmodum Deus eſſe vniuerſo, & vnicuiq; diſtinctas partes dedit: Ita rex quoq; in regno primò locum congruum, temperatum, vberem, amœnum, ſecurum, eminentem, aquisq; ſalubribus ſcaturientem, vbi habitet, eligere: Dein regnum in partes ſecundum eius & ſubditorum exigentiam diſtinguere, eos congregare, & vnicuiq; officia proportionabiliter tribuere, atq; ad commune bonum omnia, quantum poteſt, reuocare debet.

28. Rex gubernandi regulam ſumere à fine debet.

Finis enim eſt ratio & regula eorum, quæ ſunt ad finem. Cùm ergo beatitudo vltimus finis ſit: ideo, vt omnes ad beatitudinem deducat, ipſi laborandum. Propterea ea, quæ ab ipſa remouent homines, depellere, & ea, quæ ad ipſam ducunt, accerſere debet, vt quàm optimæ vitæ ciues dediti ſint. Primò multitudinem ad pacem reducendo. Secundò pacificos ad bonum virtutis dirigendo. Tertiò eis neceſſaria ad vitam prouidendo. Quartò de ſucceßione hominum deliberando. Quintò ſuis legibus & pœnis à malo coërcendo. Sextò tutos eos ab hoſtibus reddendo. Septi-

Septimò omnibus defectibus quamprimum oc-currendo. Maturè verò, ne diſsidia inter ſubditos gliſcant, cauſſas remoueat, atq; ſic ſeditiones omnes præueniat. Hæ verò cùm ob lucrum, honorem, conuitia, iniurias, timores, & huiuſmodi alia exoriantur: curandum ipſi erit, vt proportionabiliter omnes lucrentur, ſecundum gradus omnes honorētur, iniuriantes verò puniantur. Ipſius quoq; muneris eſt, de optima puerorū educatione, vt quàm optima fiat, ſolicitum eſſe. Tales enim is olim ciues habiturus eſt, quales educati fuerint: Et vt quantum ad corpus bene diſpoſiti ſint, non ex pueris & ſenibus, ex quibus non niſi imperfecti partus eduntur, naſcantur, ſed ex conſiſtentis vtriuſq; ætatis coniugio procreentur, infantes materno lacte nutriantur, adoleſcentes ob ægritudines plurimas vino abſtineant, iuuenes laboribus & ferendis aëris iniurijs aſſueſiant, corpora agilia gymnaſticis luſibus efficiantur, delectationis cauſſa in muſicis inſtituantur, à turpiloquijs & rerum inhoneſtarum aſpectu arceantur, ſeruorum conuerſatione prohibeantur, ſed diuinis præceptis, artibus liberalibus erudiantur, elegantibuſq; moribus expoliantur.

29. Regem abundare diuitijs oportet.

Diuitiæ enim hominum neceſsitates ſuſtentant ac emendant, deſideria perficiunt, damnis reſiſtunt, curant corpus, animæ gratificantur, ſplendent in pace, militiæ ſumtus ſuppeditant. Vnde

diuiti-

diuitiarum deus apud Teletem ita ſe iactat: Per me magnæ ſunt ciuitates, & regna propter me potentiora, mœnia, portus, claſſes, mea opera ſunt: ego templa & ciuitates orno, feſta celebro, mihi hoſpitalis menſa eſt: ego artes omnes meliores facio, dum illis ſpem inijcio. Atqui tu ipſe, Iupiter, diuitiarum vſum hominibus feciſti neceſſarium. Corpus enim dediſti nobis, quod non, vt reliqua animalia, pilis ac pellibus munitur, ſed veſtibus indiget, & alimentum nobis non herbas, aut alia ſponte naſcentia produxiſti, ſed perpetuò ad victum aliquid emendum eſt. Item domos habitari neceſſariò, &, ciuitates conſtitui, voluiſti. Morbis quoq; tentantur homines. Propter hæc omnia pecunijs opus eſt, &c. His igitur cùm miles gregarius carere non poßit: quantò ergo ditiorem regem eſſe, cui frequentur & liberaliter domi, foriſq; ſumtus faciendi ſunt, requiri, exiſtimas?

50. Regem miniſtris eſſe munitum oportet.

Nam ipſum non ſolùm principatu regali & politico, ſed etiam deſpotico in improbos vti oportet, quos violenter refrenari neceſſe, vnde militibus opus habet. Et cùm is ſolus regimini non ſufficiat, præfectis, locum tenentibus, conſiliarijs, & inferioribus nonnullis magiſtratibus indiget. Non poſſunt verò ſe defendere principes, qui hodie imperant, quòd non ipſi, ſed eorum miniſtri iniuſta agant. Nam hoc ipſo ſuis ciuibus eſt iniuriam facere, quòd illis gubernandis miniſtros

præfecerint, qui & iura vendant, & ciuium bona abſq; vlla cauſſa peſſundant, & religiones profanant, & omnia pro arbitrio & licentia agunt, nec pœnæ, nec prouocationis metu. Plura enim ſunt, vt ait Flauius Syracuſanus, quæ principis nomen ac celebritatem deturpant. Potiſſimùm ſunt diſpenſatores auari, miniſtri & ſatellites deteſtabiles. Unde Pythagoras: Qui malos non plectunt miniſtros, volunt bonis iniuriam inferri. Et Seneca ait: Probis nocet, qui parcit malis. Heroes quidem priſcis ſeculis ideo diuinis honoribus a gentibus ac nationibus colebantur, quòd nullos iniuſtè, impiè, aut crudeliter gubernare permitterent, quin eos coërcerent atq; vlciſcerentur. Ægyptiorum reges ex ſua ipſorum lege iudices iureiurando alligabant, ne quid iniuſtè, etiamſi rex imperaret, iudicarent. Antiochus tertius ad miniſtros ſcripſit: Si quid contra leges facere iuſſerit, ne ſibi, tanquā ignaro, pareant. Cambyſes iudicem quendam ſuum miniſtrum, alioquin ſibi chariſſimum, quòd iniquam ſententiam tuliſſet, è veſtigio comprehendi, ac, eius pelle diſcerpta tribunal conſterni, iuſſit. Qua ratione eorum ſententiam approbo, qui ſtatuunt, iuſtos principes eſſe dicendos, qui vltores eorum, qui aliena inuadunt, aut iniuſtè gubernant. Ut enim iuſtis miniſtris adeſſe, ita iniuſtis obeſſe optimi principis officium eſt. Nam cùm regna à Deo principibus credita ſint, cauere debent, ne prauo quopiam fortè vtantur ad rerum adminiſtrationes. Quæ enim in illis perperam

peram fecerint, eorum rationem reddent DEO, quòd peccandi licentiã ipſis indulſerint. Princeps ergo eos ſuorum populorum gubernatores eligere debet, qui, ut inquit Bion, non ditiores, ſed illuſtriores à reipub. adminiſtratione diſcedant.

31. Rex habere munitiones fortiſsimas debet.

Tum propter ſui & ſuorum ſecuritatem, ita vt audacter exequi iuſtitiam poſſit, tum propter maiorem autoritatem, gratia item cuſtodiendarum diuitiarum, & maximè vt ab hoſtium incurſionibus tutiſsimus degat.

32. Rex publicas vias ſecuras præſtare debet.

Sic enim plurimi ad regnum confluere, & inprimis mercatores vitæ & reipub. neceſſaria deferre poterunt. Ob id enim telonia & vectigalia penduntur.

33. Regem numiſma proprium habere decet.

Ita enim cùm perpetuò in manibus imago ipſius verſatur, plùs honorabitur, & in contractibus magis timebitur, atq; ipſius etiam, præ cæteris, numiſmatibus valor conſtabit.

34. Rex pauperibus prouidere debet.

Sic enim naturam imitabitur, quæ non deficit in neceſſarijs, ſed ex abundantibus alijs tribuit, veluti in generatione animatorum, quæ ex ſuperfluo procreantur alimen-

to, patet. Hoc verò idcirco ipſum inde maximè, quòd pater ſit omnium, decebit.

35. Rex amare patriam, atque pius & beneuolus erga ſubditos exiſtere debet.

Nullum enim firmius principis præſidium, quàm firma & conſtans beneuolentia. Cùm enim ſubditi aſſuefacti fuerint, non principem, ſed principi timere: tum multis oculis videbit, multis auribus audiet, ac, quæ geruntur, præſentiſcet. Hoc verò principis boni vnicum ſit lucrum, omnia ſic facere, vt & in ipſo imperij tempore, & poſt id iuſtitiæ ac bonorum omnium à ſubditis teſtimonium habeat.

36. Regem maximè diuino cultui deditum eſſe oportet.

Omne enim dominium à Deo, ſicut omne ens ab Ente primo eſt; Et quemadmodum omne, quod mouetur, à primo Motore mouetur, quia prima cauſſa plùs in effectum, quàm ſecunda, influit. Ideo Rex ſemper diuino cultui intentus eſſe debet, & Deo gratias agere, & quòd homo ſit, & dominus ſuper homines conſtitutus: Ab eoq; indeſinentibus votis pro felici gubernatione auxilium & ſapientiam rogare, vt ipſi grata, reipub. verò vtilia fiant; Cuius nomen, qui ſolus potens, Rex regum & Dominus dominantium, ſempiternùm honoratum ſit, Amen.

HIERONYMI SAVONAROLÆ,

F. ORDINIS PRÆDI-catorum, de diuiſione, ordine, ac vtilitate omnium ſcientiarum, nec non poëſeos ratione,

OPVSCVLVM QVADRIPARTITVM.

BARTHOLOMÆO SPENLINO, VIRO OPTIMO S.

IESSENIVS.

OMnium, Spectatiſſime Secretarie, duo quidam, Plato & Ariſtoteles, philoſophantium ſoles ſunt. Erga hos non modò noſtri huius rudioris ſeculi, ſed & ſuperiorum homines, variè fuêre animati. Sunt, vt & fuerunt, adeò extremè quidam peruerſi, vt vtrumq; ſpernerent: Alij hunc, nonnulli illum, præferrent. Aliqui tamen feliciores, qui vtrumq; huma-

humanæ ſapientiæ lumen iudicarent, reperti. Et non iniuria, ſiquidem ambo, diſtinctis ſolùm vijs, ad ſapientiæ culmen progreſſi. Et cùm duplex aſſequendi ſcientias viæ genus, vnum per doctrinam, diſciplinam, & auſcultationem: per inuentionem, excitationem, & reminiſcentiam alterum. Primum, humanam mentem potentia tantùm natam eſſe fieri omnia, quod Ariſtoteles: Alterum ideas & rerum rationes habere latentes, & ob corporis commercium obſcuratas, quod Plato cenſuit. Et rurſum primum infera ex materia & forma conflata, ſenſibus obuia, reſq; abſolutas: Alterum eadem,

vt

vt vmbras & idola ad internas animi rationes,mentisq́; ideas excitantia,præſupponit. Ariſtoteli mos docendi continuatus & auſcultatorius, quòd is doctrinæ & diſciplinæ accommodatiſſimus: Platoni dialogicus per diſputationem, cum interrogatione & reſponſione,placuit. Ariſtoteles in ſcientiarum formatione,ordine compoſitiuo, ex eſſentialiter connexis depromta methodo, verbisq; proprijs vſus. Pro excitandis ingenijs argutiæ, metaphoræ vtiles Platoni viſæ ſunt. Conſtituendis ſcientijs principia ſolida, firmaq; , & ex ſenſibilibus nobis familiaribus depromta neceſſaria,quod ab Ariſtotele

ob-

obſeruatum eſt: Pro excitandis ingenijs dialecticæ & rhetoricæ rationes ſatis, quas pulchrè Plato formauit, vt inferiora hæc, vilia nimis atq; vmbras, quorum opinio ſolùm ſit, oſtenderet, atq; ad ſublimium contemplationem certiorem nos excitaret. Ariſtotelem verò, cùm ex ſenſibilibus ſua hauſerit principia, magni illa facere oportuit. Hinc ſe formatorem ſcientiarum profeſſus, & cùm docere potuerit, ſcientem confeſſus eſt. Sed econtra Plato, cum ſuo Socrate, vt aliorum ignorantiam argueret, doctam ſuam inſcitiam faſſus eſt. Vnde nec ordinare ſcientias, nec principijs vti voluit: Modos excitandi ingenia

genia

genia patefacere ſatis exiſtimans, ſiquidem animæ inſertæ ſcientiæ ſint, eæq; deſuper ex rationibus & ideis per reminiſcentiam recuperari poßint. Plato cuncta per vmbras, ſemina, rationes, & ideas hauſit. Ariſtoteles, relictis his, de integro imprimendas ſcientias docens, ea tantùm, quæ ſenſibus, experientiæ, ac ex eis deductis demonſtrationibus reſponderent, rata habuit. Atq; ſic exactiùs vires humani ingenij Ariſtoteles periclitatus: Plato ſuperno lumini magis confiſus. Ariſtoteles in apparentium explicatione: Plato in ſublimiorum abſtractione

magis

magis valuit. Ariſtoteles firmiùs adhærens mortalibus, in hac vita felices docet: Plato ſublimis ad futuram dirigit. Vterq; in ſuo genere excelluit, itaq; præcedentium gloriam obſcurauit, vt poſteris etiam omnem æquandi ſpem abſtulerit. Cùm vterq; igitur humana ſapientia fulgeat, & philoſophiæ regnum teneat: coniuncti amandi & legendi ſunt. Viſum hoc eſt præclarum inprimis Iacobo Carpentario, Sebaſtiano Foxio, & præceptori meo Franciſco Picolhomineo: nec ab hoc conſilio Hieronymus Sauonarola alienus fuit. Is quanquam in tractanda philoſophia genium Ariſtotelis ſequi maluit: nihilominus

nus

nus tamen ſublime Platonis lumen vbique micare voluit. Huius de ſcientijs opuſculum, egregium diſcentibus directorium, ſub tuo nomine editum, bene fer, & cùm valeas, antiquum obtine.

Ccc HIE-

HIERONYMI SAVONAROLÆ F. ORD. PRÆD. DE OMNIVM SCIentiarum diuiſione.

LIBER PRIMVS.

VNiuerſam philoſophiam in partes duas ſecari, in rationalem ſc. & realem, & autoritas excellentiſsimorũ virorum & ratio probat. Cùm enim nõ entium non ſit ſcientia, ſed eorum duntaxat, quæ ſunt, ut Philoſophi teſtantur; Et ſcientiæ, quemadmodum & res, iuxta ſententiam Philoſophi libro de anima, ſecentur. Diuidatur autem ens principaliter in ens reale, & ens rationis: Philoſophiam in duas partes diuidere, neceſſe, quarum vnà ens reale reſpiciat, altera verò circa ens rationis verſetur; Quas partes qui ignorat, Philoſophus & ſapiens appellari non debet. Sapientem enim, teſte Ariſtotele, omnia ſcire vt decet: Philoſophia quoque realis in duas partes diſtinguitur: in practicam & ſpeculatiuam. Practicam ſcientiam habitum intellectus, immediatè ad operatio-

rationes earum potentiarum, quæ ſunt infra intellectum, regendas, ordinatum, dicimus: Vnde finis practicæ eſt opus, vti 2. Metaphyſ. docet Philoſophus. Quod quidem opus πρᾶξιν Græco nomine vocamus, & eſſe opus alterius potentiæ ab intellectu naturaliter eo poſterius, & aptum natum ab eo regi, definimus. Quia autem quædam animæ operationes alienæ ab intellectu ad exteriorem materiam tranſeunt, quædam verò minimè: practicam ſcientiam duplicem, exiſtimamus. Quædam enim practica operationes animæ, ad exteriorem materiã pertingentes, regit: Quædam autem operationes, ipſam animam perficientes, dirigit, quæ propriè ad bonos mores pertinet. Primã ergo ad mechanicas artes pertinere dicimus, quæ cùm nec ex obiecto, nec ex modo ſuo habeant dignitatem, etſi quandoq; Philoſopho expediat aliquid de eis noſſe; ignorantia tamen illorum nomen ſapientis non tollit. Secundam autẽ in tres partes diſtinguimus. Nã ad bene, beateq; viuendum hominem in bonis actibus & ratione ſuiipſius & alterius, dirigi opus eſt. Ad habitũ ergo animæ & ad rationis ordinẽ, quo homo bene ad ſeipſum regitur, ſcientia, quæ in libris ethicorum Ariſtotelis habetur, ordinata eſt. Sed quiá ad alterum homo dupliciter ordinari poteſt, videlicet ſpecialiter ad familiam, & vniuerſaliter ad Rem-

 publi-

publicam: ideo hanc partem in œconomicam & politicam diuidimus. Sub politica autem legum ſcientia clauditur. At ſpeculatiua ſcientia realis in tres partes ſcinditur. Cùm enim intellectus noſter ſit à materia ſeparatus, neceſſe eſt, in tantum vnumquodque eſſe intelligibile, in quantum eſt aliquo modo à materia ſeparabile. Quædam autem in particulari, nec à materia ſenſibili, nec à materia intelligibili ſeparari poſſunt. Et hæc ſunt omnia naturalia. Verùm quia intellectus, vt diximus, immaterialis eſt: ideo id, quod eſt materiale immaterialiter intelligere, & particulare vniuerſaliter apprehendere poteſt. Vnde cùm in ſingularibus Plato jubeat quieſcere, & ſcientia ſit ſolùm vniuerſalium: de his, quæ nullo modo poſſunt à materia ſenſibili & intelligibili particulariter ſeparari, philoſophia naturalis tractat. Quæ quamuis non abſtrahat à materia ſenſibili, abſtrahit tamen à materia particulari. Quædam autem etſi à materia ſenſibili realiter nequaquam ſunt ſeparata: poſſunt tamen per intellectum ab ea ſeparari, licet à materia intelligibili abſtrahi nequeant. Et hæc ſunt omnia mathematica. De quibus ſcientia ſpeculatiua, alia à naturali, Geometria ſcilicet & Arithmetica, agit. Quædam verò tàm à materia ſenſibili, quàm ab intelligibili ſunt ſeparata, circa quæ alia ſcientia verſatur

ſatur, quæ Metaphyſica nuncupatur. Prima ergo horum, hoc eſt, Philoſophia naturalis, cùm ſit de rebus naturalibus, quæ ideo naturales dicuntur, quia naturam, quæ eſt principium motus & quietis, habent: De motu & mobilibus tractet, neceſſe. Hæc ab Ariſtotele in multas partes diuiditur. In prima enim conſiderat de motu ſimpliciter, ijs libris, qui Phyſica auſcultatio inſcribuntur. In ſecunda de motu per comparationem ad corpora nobiliſsima, videlicet in libris de cœlo. In tertia de motu ipſo per comparationem ad corpora ſimplicia, generabilia & corruptibilia, quæ ſunt elementa in libris de generatione & corruptione. In quarta item de motu per comparationem ad ea, quæ in media aëris regione generantur, in libris meteororum. In quinta per comparationem ad ea, quæ generantur in terra, in libris de mineralibus: Quod opus cùm apud Ariſtotelem deſideretur, ab Alberto Magno ſubſtitutum eſt. In ſexta per comparationem ad ea, quæ vitam habent, quæ cùm diſtincti generis ſint, ea diligentiùs tractare oportuit. Et quia à communioribus inchoandum: primò de his, quæ ad omnia animata ſpectant, determinare, neceſſe fuit: De quibus tractatur in libris de anima. Quia autem, vt dicit Philoſophus, quatuor ſunt genera viuentium, quorum vnum habet ſolùm animam

vegetatiuam: Aliud verò cum vegetatiua, ſine motu tamen, ſenſitiuam: Alterum autem cum his motum quoque localem obtinet: Quartum autem genus hominum eſt, qui ſupra ſenſum & motum intellectum habent: Ideo poſt ſcientiam, qua, quid ſit anima, ſcimus, & per quam, quas habeat partes & potentias in genere, cognoſcimus, ſpecialiter ad hæc viuentium genera deſcendere, vt perfectiùs natura eorum cognoſcatur, neceſſe eſt. Verùm quia intellectus eſt immaterialis, non pertinet ad Phyſicum, ſed Metaphyſicum, de intellectu ſeparato diſquirere. Vnde ſingularem aliquem librum edere in Philoſophia naturali, qui de intellectu ſeparato ageret, non opus fuit. De anima enim intellectiua phyſicus, vt corpori vnita eſt, non autem in quantum ſeparata, tractat: De ſenſu autem exteriori Philoſophus naturalis eam cognitionem, quam Ariſtoteles in libro de ſenſu & ſenſili tradit, habere debet. Et quia ſenſus interior ab exteriori ſpecies ſuas (cùm phantaſia ſit motus à ſenſu factus) accipit: in Phyſico de ſenſu interiori notitiam requiri, conſequens eſt. Hanc Ariſtoteles partim de anima, partim verò de memoria & reminiſcentia docet. Et quia per ſomnum & vigiliam ſenſus ligantur: horum quoque ſcientia ad Phyſicum ſpectat, de quibus libro proprio

ab

ab *Ariſtotele* agitur. De ijs autem, quæ ad tertium genus viuentium, ſcilicet ſenſum cum motu habentium, pertinent: Philoſophus in lib. de cauſſa motus animalium, & in lib. de animalium progreſſu, vbi, quæ ſint optimæ partes, ad hunc motum pertinentes, oſtendit, tractat. De his vero, quæ ad id genus viuentium, quod tantummodo vitam habet, ſpectant, libro de vita & morte explicat. Et quia vita animalium per inſpirationem & reſpirationem conſeruatur: ideo huic de inſpiratione & reſpiratione animalium librum adiungit. Et quia hæc inueniuntur in diuerſis ſtatibus viuentium: ideo præcedentibus librum de iuuentute & ſenectute copulauit. Et quia iuuentus, ſi præciſa fuerit, breuis, ſenectus autem longa vita eſt: ideo conſequenter de longitudine & breuitate vitæ agit. Et quia vita vſque ad ſenectutem maximè conſeruatur per ſanitatem, & per infirmitatem præciditur: præcedentibus librum de ſanitate & ægritudine annectit. Et quia per conueniens nutrimentum ſanitas conſeruatur, & per contrarium deſtruitur, & ægritudo ſuperuenit: ideo de his ſingularibus libris egit. Poſtremò de omnibus animatis dicendum erat: Et primò de plantis, de quibus & Ariſtoteles, & copioſiùs Theophraſtus in libris de plantis egit.

Deinde de animalibus ſecundum ſpecies omnibus, quod & Ariſtoteles, & Albertus Magnus prolixè effectum dedit: Quibus Philoſophia naturalis finitur. Mathematica autem ſcientia, quæ à materia ſenſibili, non autem ab intelligibili abſtrahit, in duas partes ſecatur. Nam huiuſcemodi abſtracta aut conſiderantur ſine aliqua ſui poſitione, & ſic vnitatem & numeros habemus, de quibus Arithmetica conſiderat: Aut cogitantur, ſecundum quod habent poſitionem, & ſic habemus magnitudines, circa quas ſe exercet Geometria. Inter mathematicas autem & naturales ſcientias quædam ſunt ſcientiæ mediæ, vt Aſtrologia, quæ circa aſtrorum motus verſatur: Et perſpectiua, quæ de linea & magnitudine viſuali tractat: Et Muſica, quæ de numeris ſonoris, & eorum proportionibus conſiderat. Nam hæ, quantum ad modum, ſunt mathematicæ, eò quòd mathematicorum principijs, & maximis, ac demonſtrationibus vtuntur; quantum verò ad obiectum, ſunt naturales, eò quòd circa res naturales verſantur. Et quia obiectum eſt magis de eſſentia ſcientiæ, quàm modus: iudicio meo potiùs naturales ſcientiæ, quàm mathematicæ appellari debent. Metaphyſica autem, quæ eſt de abſtractis, à materia ſenſibili & intelligibili, in duas partes

tes

partes ſecari poteſt. Nam huiuſcemodi abſtracta duplicia ſunt. Quædam enim eò dicuntur ab utraque materia abſtracta, quia ſua generalitate ea, quæ nullo modo à materia dependent, comprehendunt. Vnde ſecundum ſe non ſunt in materia, & hæc vocamus tranſcendentia, ut ens, res, bonum, & cætera id genus, de quibus metaphyſicus diſputat. Vnde ſubiectum eius, iuxta Philoſophum, ens, in quantum ens, exiſtat. Quædam verò ſunt abſtracta, quia nullo modo materiæ coniunguntur, ut ſunt intelligentiæ ſeparatæ, de quibus principaliter metaphyſicus conſiderat. Rationalis autem ſcientia eſt illa, quæ circa ens rationis verſatur. Ens autem rationis dicimus id, quod ita à ratione inventum eſt, & fabricatum, ut extra ipſum inueniri non poſſit, ut ſunt vniuerſalia, propoſitiones, ſyllogiſmi, & cætera huiuſmodi, quæ nullus, rectè ſentiens, extra intellectum inveniri poſſe putabit, niſi fortè tanquam in ſigno. Cùm enim philoſophi rerum ſcientiam acquirere cœpiſſent, & frequenter, quemadmodum Boëtius teſtatur, in ſuis diſputationibus & ſtudijs per diuerſos diſcurſus rationis in contradictionem, ignorantes naturas argumentationum ac ſyllogiſmorum, incurrerent; nimiùm ſe angebant & morabantur. Vnde ipſis, priùs artem diſputandi inveniendam & diſcendam eſſe, quàm circa res natu-

rales & motus cæcutiendo verſari, viſum eſt. Nam ſicut cæteræ potentiæ animæ in ſuis actibus: ita & intellectus errare poteſt. Et quẽadmodum ratio de operibus aliarum potentiarum ratiocinatur, easq́;, ut per debita media ad ſuos fines perueniant, ordinat: ita & de ſuo proprio actu ratiocinari & ſeipſam ordinare, ut per debita media ad ſuos fines ſine errore perueniat, poteſt. Sicut ergo ipſa ratio diuerſas artes inuenit ad dirigendum hominem ad diuerſos fines, ad quos per exercitium corporis peruenit: ita congruum fuit, ut aliquam artem inueniret, qua ſeipſam in ſuis operibus dirigeret. Nihil enim aliud ars eſſe, quàm quædam rationis ordinatio, videtur, per quam homo per debita media ad finem intentum perducitur. Illæ autem artes, quæ per corpus, quod animæ deſeruit, exercentur, ſeruiles dicuntur. Eæ verò, quæ per ſolum intellectum, qui liber eſt, tractantur, liberales appellantur. Licet autem omnes ſcientiæ ſecundum rationem ſint: non tamen omnes rationales dicuntur, ſed ſolùm hæc, de qua loquimur. Quoniam ipſa non ſolùm ſecundum rationem eſt, ſed quoque omnia rationis opera dirigit. Operationes verò rationis tres ſunt, videlicet ſimplicium apprehenſio, compoſitio & diuiſio, & diſcurſus ſeu argumentatio, circa quas tota rationalis ſcien-

tia

tia verſatur. Primæ enim intellectus operationi liber prædicamentorum Ariſtotelis: ſecundæ autem liber περὶ ἑρμηνείας, id eſt, de interpretatione: Tertiæ verò reliqui libri Logices, qui ſunt de ſyllogiſmis, inſeruiunt. Sed quia in ſyllogiſmo duo ſunt, forma & materia: Hæc pars tertia in duas principaliter diuiditur. Vna enim tractat de ſyllogiſmo ſimpliciter & eius forma, & huius gratia philoſophus librum priorum analyticorum conſcripſit. Altera verò ſyllogiſmi materiam conſiderat, quæ eſt id, ex quo conficitur. Id verò propoſitiones ſunt, ex quibus diſcurrendo ad concluſionem peruenimus. Et quia ars imitatur naturam, ſicut natura ex ſuis cauſsis procedit ad effectus; ita & rationalis ſcientia ex propoſitionibus ad concluſiones pergit. Nam propoſitiones à logicis cauſa concluſionis dicuntur. Natura autem aliquando per cauſas neceſſarias, aliquando per eas, quæ ut in pluribus & non ex neceſsitate producunt ſuos effectus, operatur: Quarum quantò virtus fuerit fortior, tantò etiam frequentiùs ad effectus intentos perueniunt. Ratio igitur quandoque ex propoſitionibus neceſſarijs & euidentibus ita ſuas colligit concluſiones, ut nunquam in tali proceſſu fallatur: Et huic liber poſteriorum analyticorum, qui de ſyllogiſmo apo-

apodictico tractat, inſervit. Quandoque verò ex propoſitionibus probabilibus procedit, per quas etſi ſcientiam non generat: opinionem tamen faciens intellectum ad unam partem contradictionis inclinat: Et huic topicorum confert liber. Aliquando autem ex ſignis per ſyllogiſmum, qui Enthymema dicitur, progreditur, qui quamvis opinionem non generet, aliquam tamen rei probandæ conciliat exiſtimationem: Cui ars rethorices inſeruit. Nonnunquam verò ex ſimilitudinibus & exemplis per ſyllogiſmum, quem Philoſophus Exemplum vocat, incedit: Cui ars poëtica præſtò eſt. Et quia in omnibus his proceſſibus propter alicuius principij, ad ſyllogiſmum pertinentis, defectum errare contingit: huiuſcemodi deceptionis cognitionem tradere, neceſſe fuit, cui liber Elenchorum dedicatus, quo vniuerſa philoſophia rationalis finitur. Grammatica autem propriè nec eſt ſcientia realis, nec rationalis, quia de vocum ſignificatione, & orationum conſtructione, & literarum inſcriptione pertractat, quæ ſignificant, ordinantur, atque ſcribuntur ſecundum placitum hominum. Poſſent enim homines unà conuenire, & uniuerſum modum loquendi & ſcribendi, quem nunc ſervant, immutare, ſicut & nunc multa antiqua immutata ſunt. Id autem in alijs ſcientijs fieri nequit. Scientia enim immutabilium

&

& ſempiternorum exiſtit. Vnde Grammatica inter ſcientias non connumeratur, niſi nomen ſcientiæ latiſsimè vſurpare voluerimus. Hac igitur de diuiſione, ni fallor, omnes ſcientias, quæ vi humani ingenij inueniri poſſunt complexi ſumus. Et ſi fortè aliæ inueniantur, vel non ſunt veræ ſcientiæ, ut multæ ſuperſtitioſæ, quæ diuinatoriæ appellantur, vel ad iſtas, enumerauimus, reducuntur. Quas omnes philoſophiæ partes qui non poſſidet, ſimpliciter philoſophus & ſapiens appellari non poteſt, ſed ex parte ſolùm, ſi partem aliquam ſolam poſsideat: Quia, ut dictum eſt, ſapiens ſimpliciter dicitur, qui omnia ſcit, ut decet. Hoc autem dico, philoſophicè, non chriſtjanè loquendo. Sacra verò Theologia noſtra inter has connumerari nequit, quia nec virtute humani ingenij, nec alicuius intellectus creati, quamlibet excellentiſsimi, inueniri aliquo modo poteſt. Verſatur enim circa illud Ens, quod à nullo intellectu naturaliter poteſt intelligi, & tamen complectitur omnia, quæ aliæ ſcientiæ conſiderant ſub una ratione formali,ut ſit vna ſcientia, & non plures. Si enim loquamur de ratione formali ex parte objecti, in quantum eſt quædam res: dicimus, ipſam tractare de Deo ſub ratione,deitatis. Et hoc eſt eius obiectum principale: Quia ſi de alijs tractat, hoc agit, prout ad Deum diuerſimodè, vel

vt

ut ad cauſam efficientem, uel ut ad finem ordinantur. Si autem loquamur de ratione formali ex parte cognoſcentis, ſic obiectum eius commune eſt ens diuinitus reuelabile. Tractat enim de omnibus rebus tam diuinis & ſupernaturalibus, quàm naturalibus & moralibus, non quidem per rationes naturales vel per creaturas, ſed per lumen ſuper naturale procedendo. Vnde in creaturis non conſiderat proprietates rerum & eſſentias, cauſasq; proximas, ac proxima earum principia, eo modo, quo philoſophi faciunt: Sed altiùs eleuatur, conſiderans in eis principaliter diuinam potentiam, ſapientiam, ac bonitatem, & per eas inueſtigat proprietates diuinarum rerum non manu ducta à naturali, ſed diuino lumine ſubuecta, quod ſplendore ſuo adiuuat intellectum, & mentem ab omni labe purgatam confortat, ut in creaturis, tanquam in ſpeculis, diuinam contempletur bonitatem, paulatimq; ipſum ſuper altitudines terræ attollit, ac mirabili quodam modo in ſinum ſanctiſsimæ & indiuiduæ Trinitatis perducit, ubi paſcitur & quieſcens decantat: In pace in id ipſum dormiam & requieſcam. Omnibus ergo ſcientijs hoc pacto diſpoſitis ac diuiſis, reliquum eſt, ut comparemus eas ad inuicem, conſiderantes earum dignitates: Et conuenienter vnam alteri præponentes, ut cognoſcamus,

.camus, quam tranſeunter inſpicere, & in qua paulliſper immorari, & quam, tanquam omnium noſtrarum operationum finem, amplecti debeamus, ut aliqua etiam ex parte in hac vita beati efficiamur.

DE SINGVLARVM SCIENTIARVM ORDINE.

LIBER SECVNDVS.

SCientiarum aliæ ſunt honorabiles, aliæ verò laudabiles. Honorabiles ſunt ſpeculatiuæ, laudabiles practicæ. Honoramus enim fines: Laudamus verò ea, quæ ſunt ad finem. Quia ergo ſpeculativæ ſunt propter ſe, practicæ verò propter aliud, cum finis illarum ſit contemplatio veritatis, iſtarum verò finis opus ſit; manifeſtum eſt, ſpeculatiuas ſcientias practicis digniores ac honorabiliores eſſe. Practicas enim ſcientias non honoramus propriè, ſed laudamus. Nam ſcire ea, quæ ad bonos mores pertinent, ſine opere (ut Philoſophus teſtatur) nihil eſt. Multò autem magis, artes mechanicas ſcire, vile putatur. Quoniam hæ nec ex obiecto, nec etiam ex modo dignitatem habent.

Vnde

Vnde ſi quis moralia ſciat, & non operetur, nec honoratur, nec laudatur, imò potiùs vituperatur: Quia tota vis eius in opere eſt. Quia ergo practicæ ſcientiæ non ſunt propter ſe, ſed propter aliud, comparantes eas ad inuicem, dicimus, illas præſtare, quæ ad nobiliorem finem ordinantur. Et ideo morales præponuntur mechanicis: Quia illæ ad perficiendam animam, iſtæ verò ad bona corporis ordinantur. Inter morales autem politica œconomicæ, & œconomica ethicæ præfertur: Quia bonum quantò communius, tantò eſt diuinius. Politica enim ad bonum commune ciuitatis & regni immediatè: œconomica verò ad bonum familiæ: Ethica autem ad bonum vnius hominis ſolùm ordinatur. Scientiarum verò ſpeculatiuarum altera alteram, vel quia certior, vel quia de nobilioribus & excellentioribus tractat, excellit. Propoſitis ergo duabus ſcientijs, quarum vna alteram certitudine & obiecto ſuperet, ea proculdubio dignior futura. Si autem in altero ſolùm præcellat: illam ſimpliciter præponendam, quæ nobilius habet obiectum, quamuis minorem habeat certitudinem, decidimus: Obiectum enim magis eſſentiale ſcientiæ, quam ſciendi modus eſt. Vnde potentiæ & habitus non à modo, ſed ab obiecto ſpeciem accipiunt. Quamuis ergo illá ratione certitudinis dignior ſit: Siquidem autem

de

de rebus ignobilioribus tractet, minùs digna ſimpliciter. Igitur ſcientias reales ſimpliciter dicimus eſſe nobiliores ſcientia rationali, eò quòd nobilius habeant obiectum : Quia ens reale nobilius eſt ente rationis. Inter reales verò mathematicæ quamuis certiores ſint naturalibus: Quia tamen circa quantitates & qualitates verſantur, ſimpliciter ſunt ignobiliores eis, quæ ſubſtantias naturales conſiderant, quemadmodum accidens ignobilius ſubſtantia eſt. Puræ autem mathematicæ, ut eſt Arithmetica & Geometria, quantum ad aliquid, ſcientijs, quæ mediæ ſunt, id eſt, quantum ad modum, præferuntur. Vnde à philoſophis Arithmetica & Geometria principales & ſubalternantes dicuntur: Mediæ autem ſubalternatæ. Principalis autem ſemper dignior eſt ſubalternata, quòd hæc omnem firmitatem & certitudinem ab illa habeat. Verùm in quantum hæ mediæ ſunt naturales (ut ſuperiùs diximus) illis præferuntur: Quia res naturales, circa quas mediæ verſantur, numeris & figuis anteponuntur, quæ à puris mathematicis conſiderantur. Arithmerica verò meritò Geometriæ antefertur: tum quia obiectum nobilius, utpote magis abſtractum habet, tum quia magis certa exiſtit. Nam Geometria, docente Philoſopho, ſe per appoſitionem ad Arithmeticam habet. Punctus enim poſiti-

onem includit, quam vnitas non reſpicit, & ſine numeris & vnitatibus Geometria ſuas demonſtrationes non facit. Aſtrologia autem dignior eſt perſpectiua & muſica, tum quia eſt nobilioris obiecti, tum quia ſecundum ſe magis certa eſt. Verſatur enim circa cœlum & aſtra, quæ ordinem inuariabilem & certiſsimum habent. At perſpectiua ſimpliciter dignior eſt muſica: tum quia objectum viſus objecto auditus nobilius, tum quia ſtabilius ſit: Vnde & ſecundum ſe maiórem habere certitudinem videtur. In ſcientia autem naturali quamuis liber de phyſico auditu, ratione ordinis doctrinæ, alijs libris præferatur: non tamen ratione dignitatis, niſi fortè quis opinetur, eum cæteris libris præſtare, ratione dignitatis primi motoris, de quo in octauo libro tractatur. Pars autem illa, quæ de anima & de animalibus tractat (ut Philoſophus in 1. de anima docet) omnibus alijs partibus, propter obiecti ſui maiorem nobilitatem præferenda. Et ſi quis, librum de cœlo cæteris eſſe præferendum, exiſtimet, quòd de corporibus nobiliſsimis, præſertim cùm ſecundum Ariſtotelem & Platonem cœlum ſit animatum, tractet: Reſpondendum, ſecundum Boëtium, Philoſophum non arbitratum, corpora cœleſtia eo modo, quo Platonici crediderunt, animata eſſe, id eſt, a-

nima informante & dante eſſe. quam mundi animam vocârunt: ſed ea impropriè per vnionem intelligentiæ ad talia corpora, quemadmodum motor unitur mobili, animata eſſe, intellexiſſe. Vnde Ariſtoteles in libro de cœlo non de corporibus iſtis per relationem ad intelligentiam mouentem agit, nec de eius natura dicit, & rectè. Exceſsiſſet enim metas philoſophi naturalis, cùm ſit officium metaphyſici de ſubſtantijs ſeparatis tractare. Tractat ergo de huiuſcemodi corporibus per comparationem ad motum & ad formam naturalem dantem eſſe, quæ non eſt anima. Cùm itaque animata, ut huiuſmodi, nobiliora inanimatis ſint: partem philoſophiæ naturalis, quæ circa animata verſatur, præferre illi, quæ circa motum cœli & naturam eius, excluſa contemplatione de natura intelligentiæ mouentis, neceſſe eſt. Quamuis enim forma cœli, in quantum forma, nobilior anima, in quantum anima eſt forma, exiſtat, eò quòd illa eſſe incorruptibile, hæc autem corruptibile det: Tamen anima, in quantum hæc & talis forma, nobilior eſt forma cœli: Quia anima dat eſſe animatum, non autem forma cœli. Et ſimpliciter & abſolutè loquendo anima eſt nobilior forma, quàm forma cœli. Non enim ſimpliciter forma cœli animæ, quòd eſſe incorruptibile & ſempiternum det,

præferenda. Alioquin formæ lapidum & quarundam rerum ignobilium animæ præferendæ eſſent, eò quòd eſſe vel ſempiternum, vel durabilius, quàm anima, largiantur. Libri itaque de anima omnibus libris philoſophiæ naturalis præferuntur. Liber verò de cœlo dignitate alter futurus eſt. Si quis tamen cum Thoma in ſum. contra gen. Ariſtotelem opinatum, corpora cœleſtia eſſe animata anima informante & dante eſſe, ſuſtinere voluerit: non tamen huic præferre librum de cœlo libro de anima licebit. Quia ibi Philoſophus non de cœlo, in quantum animatum eſt, agit: ſed ſolùm de his, quæ ad modum cœlorum & elementorum pertinent, conſiderat, nulla ipſorum animæ ratione habita. Sed quia ad alia feſtinamus, de ordine dignitatis cæterorum librorum taceo: Quem facilè cognoſcere poterit is, qui ea, quæ ſuprà diximus, diligenter inſpexerit. Metaphyſica autem, eò quòd maximè de Deo ſit, eamq; maximè, teſte Ariſtotele, Devs habeat: meritò omnibus anteponenda eſt. Hæc enim, ad quem philoſophus & ſapiens peruenire contendit, & in quo quieſcit, finis eſt. At rationalis philoſophia, quæ inter ſpeculatiuas ſcientias infimum tenet locum, cùm & ipſa multas habeat partes: hæ qualiter ordinandæ ſint, videndum. Qui-

dam

dam eam adeò ignobilem reputant, ut ſpeculatiuam appellare non dignentur, eò quòd quidam ſciendi modus, & ad aliud, quemadmodum practicæ ſcientiæ, ordinata videatur. Sed ſi quis rem recta via reputet: eam inter practicas ſcientias non connumerabit, cùm practicæ ſcientiæ ad opus alterius potentiæ, quàm intellectus, deſtinatæ, ad quod hæc nequaquam ordinatur, ſed opus intellectus tantùm reſpicit, & ipſa ſecundum ſe non eſt modus ſciendi, ſed ſcientia in pleriſque multò, quàm philoſophia naturalis, certior. Nam Philoſophus libro priorum analyticorum ita certas demonſtrationes facit, ut nullum poſſit eſſe dubium, quin verè & propriè de ſyllogiſmorum formis ſcientiam habeamus. In cæteris quoque libris ita efficaciter ſuas probat concluſiones, ut non videam, qua ratione Logica non poſsit & ſcientia, & ſpeculatiua ſcientia nuncupari: Quamuis quoq;, dum ſuas regulas ad obiecta aliarum ſcientiarum applicat, dici modus ſciendi poſsit. Sed ſiue ſit ſcientia ſpeculatiua, ſiue non: manifeſtum tamen eſt, illam partem, quæ de demonſtratione agit, cæteris eſſe digniorē, eò quòd demonſtratio nobiliſsimus ſyllogiſmus ſit. Nam primæ duæ partes, quarum una eſt de ſimplici intellectus apprehenſione, altera verò de compoſitione & diuiſione, ad ſyllo-

 giſmum

giſmum tanquam ad finem referuntur Vnde tertiæ parti, quæ eſt de ſyllogiſmo, quemadmodum & ea, quæ ſunt ad finem, ipſi fini poſtponuntur. Ideo etiam prima pars ſecundæ, cùm ad eam ordinetur, poſtponitur. Secundum ergo ordinem doctrinæ liber prædicamentorum librum περὶ ἑρμηνείας præcedit, & hic librum priorum analyticorum. Secundum verò ordinem dignitatis ad inuicem ſe ordine retrogrado habent. Liber autem priorum analyticorum etſi omnes alios libros philoſophiæ rationalis ſecundum ordinem doctrinæ præcedat: non tamen omnibus ordine dignitatis anteponitur. In libro enim prædicto de ſyllogiſmo ſimpliciter, qui eſt genus ad omnes ſyllogiſmorum ſpecies, tractatur. Species verò genere digniores & perfectiores ſunt: Quarum una tantò dignior eſt altera, quantò efficaciùs ſuam cõcluſionem probat, & quantò excellentiorem habitum generat. Quia ergo ſcientia dignior eſt opinione, & opinio exiſtimatione, exiſtimatio autem ſuſpicione: Syllogiſmus demonſtratiuus dignior eſt dialectico, & dialecticus rhetorico, rhetoricus autem poëtico: Et ideo libri poſteriorum analyticorum dignitate libros Topicorum præcellunt: hi autem libros rhetoricorum, qui libro poëticæ meritò anteponuntur. Poſtremo verò loco liber elenchorum, qui de ſyllogiſmo ſophiſtico tractat, collocandus. Sacra autem Theolo-

gia

gia practica eſt & ſpeculatiua. Nam ſub ratione formali obiecti ipſius omnia entia tam diuina, quam naturalia & moralia (ut dictum eſt) includuntur: Principaliter tamen eſt ſpeculatiua, Quia quamuis finis præcepti ſit ex corde puro charitas: Tamen charitas vlterius ad contemplationem primæ veritatis, tanquam ad finem, ordinatur, iuxta illud Domini, Iohan. 14. Qui diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Theologia ergo, quantum ad utramque partem, dignior eſt omnibus ſcientijs humanitus inuentis. In quantum enim eſt practica, ad nobiliſsimum finem, utpote ad ultimum, ordinatur. Cùm ergo una ſcientia practica alteri propter nobiliorem finem præponatur; nulla in genere practicarũ poterit huic noſtræ comparari ſcientiæ. In quantum verò ſpeculatiua, eam ſimpliciter omnibus digniorem eſſe, eò quòd obiectũ eius ſit Deus ſupernaturaliter cognitus, palàm eſt. Quantũ etiam ad modũ ſciendi, omnes alias præcedit. Nam ſcientiæ humanitus inuentæ certitudinem à lumine naturali, quod multipliciter deficit, habent. Theologia autem à lumine diuino, quod nullo modo deficere poteſt. Vnde meritò hæc ſola digna eſt nomine ſapientiæ, cuius ſtudium homines perfectos reddit ac propemodũ beatos: Et præponenda eſt regnis, & totius Mundi ſplendoribus, atq; huius comparatione omnia ſtercora, & ſi

quid hoc utilius eſt, euadunt, Sap. 7. Tantum enim hæc ab alijs ſcientijs, quantum Deus à creaturis, diſtat. Hæc enim infinitus ille hominum theſaurus eſt, quem qui nacti, participes amicitiæ Dei effecti ſunt. Scientijs itaque omnibus hoc modo ordinatis, manifeſtum eſſe poteſt, quas tranſeunter legere, & in quibus paulułum immorari, & quam, tanquam finem, amplecti debeamus. Rationales enim & mathematicæ cùm ex obiecto magnam dignitatem non obtineant, tranſeunter & quantum pro aliarum ſcientiarum inueſtigatione ſufficit, inſpiciendæ ſunt. In philoſophia autem naturali & morali aliquantiſper immorandum eſt, tum propter obiectorum dignitatem, tum etiam propter vtilitatem: Quia naturalia animum ad diuina eleuant. Metaphyſica verò in ſcientijs humanis finis omnium eſt, cui tamen ſemper ſacram Theologiam, in qua vir ſapiens perpetuò quieſcere debet, præferimus. Poſtquam igitur de numero, ordine, ac dignitate ſcientiarum diximus; reliquum eſt, ut de earum vtilitate pauxillum diſſeramus.

DE SCIENTIARVM VTILITATE.

Liber Tertius.

Finem

FInem humanæ vitæ eſſe contemplationem primæ veritatis, non ſolùm Fides catholica, ſed etiam excellentiſsimi omnium Philoſophorum, Plato & Ariſtoteles, eorúmque ſectatores teſtantur, & ratione manifeſtiſsima comprobant. Nam finis vniuſcuiuſq; rei eſt propria operatio, quam Philoſophus vocat ſecundam rei perfectionem. Prima enim eſt forma. Operatio autem hominis propria eſt intelligere veritatem. Quantò autem veritas eſt nobilior & prior, tantò operatio hominis propria, hanc veritatem inſpiciens, eſt nobilior, & magis, vt ſit vltimus finis, proxima. Vnde Philoſophus in 10. Eth: vltimum finem hominis eſſe operationem nobiliſsimæ potentiæ per comparationem ad nobiliſsimum obiectum, ait. Nobiliſsima autem potentia in homine eſt intellectus, & nobiliſſimum obiectum eſt prima veritas, quæ eſt Deus. Ergo operatio intellectus, quæ eſt cõtemplatio Dei, eſt vltima hominis perfectio. Verùm in hac vita, qualiter homo poſsit fieri beatus, intellectu eſt difficile, imò explicatu impoſsibile, quòd, quenquam in hac miſera vita mortali verè eſſe beatũ, impoſsibile ſit. Et propterea Ariſtoteles, vt patet in ethicis, non parùm angebatur. Cùm enim de alia vita per rationes naturales nihil poſſet affirmare, & in hac qualiter aliquis verè poſſet eſſe beatus

minimè diſcerneret: nullam certam potuit de beatitudine proferre ſententiam. Nos autem facilè, nullum omnino in hac vita mortali verè poſſe fieri beatum, oſtendimus. Ad quod brobandum etſi multæ nobis rationes & penè demonſtrationes occurrant: Quia tamen iam res in promtu eſt, & experientia probatiſsima per multa millia annorum id nobis demonſtrauit, quandoquidem adhuc de nullo mortalium verè dictum ſit, vel dici potuerit, in hac vita verè beatum fuiſſe: Vnicam tantùm rationem, ne omnino videamur hanc partem prætеriјſſe, adducturi in medium. Conantes enim oſtendere, quantum religioni Chriſtianæ proſint aut profuerint ſcientiæ ſeculares: Neceſſarium priùs, quis ſit finis humanæ vitæ, non ſolùm ſecundum fidem, ſed etiam vi rationis naturalis, & ſimiliter quod & quale ſit medium, per quod ipſum finem attingimus, declarandum putamus: Hoc enim patefacto, eò faciliùs ad propoſitum deueniemus. Vt autem ratio ſit potentior, & nullus poſſit eius virtutem ſubterfugere, ſtatuemus in medio aliquem, qui omnia bona creata poſſideat, hoc demto duntaxat, quòd diuinam eſſentiam non videat, cognoſcat tamen naturam omnium rerum creatarum, & ſit dominus angelorum ac totius vniuerſi. Hunc ergo, quiſquis ille fuerit, ſiue homo, ſiue angelus,

gelus, probo, non eſſe verè beatum, ſi beatitudo eſt quies deſiderij. Nam cùm non quieſcit naturale deſiderium: certum eſt, ipſum ad finem nondum perueniſſe. Quòd autem huius naturæ creaturæ, in tanta ſublimitate conſtitutæ, naturale deſiderium non quieſcat, ſic probamus: Omnes homines natura ſcire deſiderant, vt Philoſophus ait. Quod quidem non ſolùm verum eſt de hominibus, ſed etiam de omni creatura intellectuali: Quia vnumquodque inclinatur naturaliter ad ſuam perfectionem. Perfectio autem intellectus eſt ſcientia,& veritatis contemplatio. Cùm igitur ſcire ſit rei cauſſam cognoſcere, & quoniam illius eſt cauſſa, quod impoſsibile eſt aliter ſe habere, vt Philoſophus primo analyticorum poſteriorum dicit: Naturale deſiderium eſt vnicuiq; intellectui,viſo effectu,deſiderare cognoſcere cauſſam. Vn̄de propter admirari,inquit Ariſtoteles, cœperunt homines philoſophari. Propter naturale enim deſiderium ſciendi,Philoſophi videntes effectus, animū ad inueſtigandas cauſſas inclinârunt. Quicunq; ergo ſuper angelos fuerit conſtitutus, cùm habeat intellectum, non poterit ab hoc naturali deſiderio liberari, eò quòd naturalia auferri non poſsint. Ergo viſis angelis & alijs nobiliſsimis effectibus, aut eos cognoſcet perfectè,aut imperfectè. Si imperfectè, ſtatim ex naturali deſiderio ad

acqui-

acquirendam perfectam eorum cognitionem inclinabitur: Quia omne imperfectum naturaliter deſiderat ſuam perfectionem. Vnde & materia naturaliter formam, quemadmodum fœmina virum, appetit, & turpe pulchrum, vt 1. Phyſ. dicitur. Ergo naturale deſiderium eius nondum quieſcit. Adhuc ergo mouetur & ita ſequitur, quòd nondum finem vltimum nactus, nec verè beatus ſit. Si autem perfectè huiuſcemodi effectum cognoſcit: Ergo intelligit, eos dependere ab aliqua ſuperiori cauſſà, quam ſtatim ex naturali deſiderio cognoſcere optabit. Quia, vt dictum eſt, omnes naturaliter ſcire deſiderant: Et ſcire eſt rei cauſſam cognoſcere. Non ergo quieſcet adhuc eius naturale deſiderium, imò videtur minùs quieſcere, quàm naturale deſiderium aliorum intellectuum inferiorum. Quia id, quod naturaliter mouetur, quantò propinquius eſt termino, tantò velociùs mouetur. Cùm igitur intellectus prædictus ſit termino, iuxta caſum poſitũ, proximus: Sequitur, quòd ad ipſum vehementiùs, quàm alius intellectus remotior, moueatur. Et ſic non videns Deum quieſcere non poterit. Non ergo erit verè beatus. Si igitur tali caſu facto probatum eſt, excellentiſsimam creaturam ſine viſione Dei nullo modo verè poſſe eſſe beatam: Quis poterit aſſerere, hominem mortalem, & in hac miſerabili carne,

&

& in tam craſſa ignorantia ac cæcitate, beatum effici poſſe? Beatitudo ergo noſtra eſt viſio primæ veritatis, id eſt, Patris & Filij & Spiritus ſancti, iuxta illud Domini Saluatoris, Iohan. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Nec curandũ eſt nunc, vtrùm beatitudo in actu intellectus vel in actu voluntatis conſiſtat. Nos enim, eſſentialiter in actu intellectus, perfectiſsimè verò in in actu voluntatis conſiſtere, aſſerimus. Sufficit tamen nobis in præſentia, beatitudinem eſſe operationem partis intellectiuæ, id eſt, ſuperioris partis animæ rationalis, quantum ad homines per comparationem ad Deum, non in ænigmate, ſed apertè viſum & cognitum, pertinet, noſſe. At quia non ſolùm ſecundum Fidem, ſed etiam iuxta ſententiam Academicorum & Peripateticorum contemplatio primæ veritatis puritatem animi requirit, ſecundum illud Philoſophi: Anima ſedendo & quieſcendo prudens fit; qui etiam in libro Ethicorum, neminem fieri poſſe beatum, niſi virtutes morales poſsideat, quibus ab omni labe concupiſcentiarum & paſsionum mundetur animus, oſtendit: Ideo medium perueniendi ad beatitudinem cordis puritatem ſtatuimus, dicente Domino: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Cùm ergo poſt creationem vniuerſi labentibus homini-

leuata, & perfectiùs purificata in carne mortali particeps beatitudinis deſideratæ efficitur. Cùm itaque quæritur, an ſcientiæ, quas gentiles inuenerunt, ſint Chriſtianæ religioni neceſſariæ: Reſpondendum puto, eas ſimpliciter minimè eſſe neceſſarias, cùm ſine his Chiſtianus & eſſe & viuere poſsit. Placuit; enim Domino noſtro Ieſu Chriſto homines ad pauca Sacramenta adſtringere, eóſque breuiſsimo charitatis ac puritatis verbo ſaluos facere, vt Eſaiæ vaticinium impleretur, qui 10. cap. ait: Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam: Conſummationem enim & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. Verùm cùm in populo Chriſtiano quidam aliorum doctores conſtituti; hæ ſcientiæ illis neceſſariæ fortè videbuntur. Si quis tamen diligenter conſideret ſacram ſcripturam, quæ Eccleſiæ magiſtris ad ſuam & aliorum ſalutem data eſt: potiùs puritate cordis, operibus bonis, & contemplatione, ac Spiritus ſancti illuſtratione, quàm vi ingenij & exercitio ſtudii humani addiſci, ſentiet. Nec video, quomodo hæ ſcientiæ adeò neceſſariæ ſint, vt ſine illis Reſpub. Chriſtiana viuere nequeat. Profectò quòd ſi ſic foret, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui tantam pro noſtra ſalute ſuſtinuit curam, nullo modo prætermiſiſſet, quin vel ipſe,

pſe, vel per Apoſtolos & Prophetas, diſciplinas has aut docuiſſet, aut ad diſcendas in libris Philoſophorum Eccleſiæ prælatis præcepiſſet. Si quis tamen omnino putat, eas prędicatoribus, Eccleſiæque Doctoribus eſſe neceſſarias: legat, rogo, ſacras ſcripturas, non in ſenſus ſui vanitate, ſed in conſcientia pura & Fide non ficta, & experientia diſcet, earum ſenſum non ex ſubtilitate humani ingenij, ſed de Spiritus ſancti illuſtratione prouenire. Et quanquam multa ſint in nouo & veteri Teſtamento, quæ ad Phyſicas pertinent diſciplinas: id tamen me non mouet, vt credam, ſacras literas Chriſtianum Doctorem nequaquam ſine harum diſciplinarum ſcientia poſſe tenere. Poſſet enim conſcribi liber (vt Auguſtinus in libro de doctrina Chriſtiana inquit) in quo de quibuſdam rebus naturalibus, & de numeris, & alijs multis, quæ ad ſcientias humanitus inuentas pertinent, quantum opus eſſet ad ſacræ ſcripturæ intelligentiam, tractaretur. Quæ omnia paruo volumine perſtringi poſſent, ita vt non indigeremus tot Philoſophorũ libros quotidie reuoluere. Quemadmodum etiã S. Hieronymus libellũ edidit de interpretatione ac ſignificatione Hebraicorum nominum adeò copioſè, vt lingua Hebraica tantopere non egeamus. Quanquam perutile exiſtimamus, præſertim jis, qui cum Iudæis diſputare velint, literarum Hebrai-

Hebraicarum habere peritiam. Si quis autem vlterius inſtet,&,hæreticos homines,eorúmque peruerſa dogmata nequaquam ſine philoſophia confutari poſſe,dicat: Huic reſpondemus; In concilio Niceno fuiſſe quendam philoſophum, artis dialecticæ peritiſsimum, qui à nullo vnquam epiſcoporum illorum & ſacerdotum, ſecularium diſciplinarum doctiſsimorum, potuit virtute philoſophiæ ſuperari, & tamen à quodam ſimpliciſsimo viro, literarum prorſus ignaro, ſed fide atque charitate Dei munito, paucíſsimis, non fucatis, ſed virtute Dei ſuffultis verbis ſuperatus eſt, & ad fidem Chriſti conuerſus. Vnde circumſtantibus dixiſſe fertur, ſe hactenus pro verbis verba dediſſe: Virtuti autem Dei ſe reſiſtere non potuiſſe. Mihi credite: Spiritus, qui ſcripturas ſacras nobis tradidit, armis philoſophorum, ut ſe defendat, non indiget. Sapientia enim noſtra fortior eſt, cordis puritate roborata, quàm armis fulta gentilium. Dauid enim 1 Reg. 17. arma abijciens, jactu lapidis vaſtiſsimum gigantem, in ſua virtute confidentem, interemit. Sed ne omnino videar multorum opinionibus, & magnorum virorum autoritatibus contradicere, aliter hoc pacto reſpondeo. Dupliciter, inquit Philoſophus, dicitur neceſſarium. Eſt enim neceſſarium abſolutè dictum, quale eſt, hominem eſſe animal: Et hoc modo philoſophiam

dicimus, nulli Chriſtiano eſſe neceſſariam. Eſt etiam neceſſarium ex ſuppoſitione, quod in duas ſecatur partes. Nam aliquid interdum eſt adeò neceſſarium ad aliquem finem conſequendum, ut ſine eo finis haberi non poſsit. Et hoc etiam modo Philoſophiam putamus non eſſe Chriſtiano neceſſariam, nec ad ſalutem conſequendam, nec ad ſacram ſcripturam perdiſcendam. Et hoc dictum volo de ea Philoſophia, quæ per ſtudium & magnam ingeniorum attritionem acquiritur. Nam ſine cognitione aliquarum rerum, ad philoſophiam naturalem pertinentium, quæ ſine magno labore acquiritur, ut iam dictum eſt, haberi non poteſt. Si autem neceſſarium illud appellaueris, ſine quo finis quidem haberi poteſt, ſed non ita bene & perfectè: non negabo, philoſophiam Chriſtiano fore neceſſariam, id eſt, utilem. Quia ſi quis ſacram Theologiam cum philoſophia teneat, & in conſcientia pura cuſtodiat: perfectior Theologus & potentior Chriſti miles dicendus erit, cæteris paribus, quàm ille, qui ſolam Theologiam poſsidet. Sciendum tamen, Theologiam abſque philoſophia in pectore mundo Theologiæ cum philoſophia in pectore ſuperbo præponendam eſſe. Illa enim fortiùs inimicorum iniuriam propulſat, quàm iſta: Quia Spiritus eſt qui viuificat. Caro autem non prodeſt quicquam, Ioh. 6. Et quamuis ſcientia naturalis multùm Chriſtianæ religioni ad errores confutandos, & ſuperbiam

huius ſeculi ac ſapientum retundendam, profuerit: non minùs tamen eidem nocuit. Scientia enim per ſe bona eſt & utilis: Per accidens autem mala & noxia. Bona igitur & vtilis eſt Eccleſiæ philoſophia per ſe, & ad fidem confirmandam, ac omnem altitudinem, extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, deſtruendam admodum neceſſaria. Quoniam Chriſtianus doctor, dum veram Philoſophiam ſacræ ſcripturæ non modò non repugnare, ſed magis ei deſeruire, oſtendit: Superbos huius ſeculi ac inflatos vacuóſq; intellectus in quos eorum propria tela retorquet, pedibus (vt ita dixerim) calcat, & eorum imprudentiam obtumeſcere facit, garrulitatemq́; reſtringit, atq; oues Chriſti, agnóſq; ac paruulos & vbera ſugentes ab eorum rabie potentiſsimè defendit. Sed multi hodiernis tẽporibus, qui videri legis doctores ac defenſores cupiunt, in vaniloquium conuerſi ſunt, & cor eorum inſipiens obſcuratum eſt. Dicentes enim, ſe ſapientes eſſe, ſtulti facti ſunt, quia, relicta ſacrarũ literarum ſimplicitate, ad gentilitatem ſe penitus conuerterunt, & adulterantes verbum Dei, chartas ſuperbiſsimis obſcuritatibus vaniſsimíſque verborum ornatibus, ac ſtulta apud Deum ſapientia, pompaque rhetoricorum verborum, Deo odioſa, nec non infinitis quæſtionibus inexplicabilibus ac inutilibus repleuerunt, quæ homines in interitum mergunt, audientéſque ſubuertunt. veſtitúq; ouium induti defenſores fidei volentes

haberi, populo Dei lupi rapaces effecti ſunt. Dicunt enim, ſe philoſophiæ operam dare, ut meliùs ſacras ſcripturas, quas nunquam legere volunt, intelligant, meliusq; veritatem Dei fidemq; defendant. Sed reuera quærunt, quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti, ſemper addiſcentes (ut Apoſtolus 2. Tim. 3. loquitur) & nunquam ad veritatis ſcientiam peruenientes. Qui dixerunt, ait Propheta pſal. 11. Linguam noſtram magnificabimus, labia noſtra à nobis ſunt: Quis noſter Dominus eſt? Et tantum hic morbus increuit, vt vniuerſum ferè populum Chriſtianum tabefecerit. Adeò autem inueteratus eſt, ut non ſolùm glorientur Chriſtiani, & tumenti animo de gentilium literis, extollant ſeipſos, ſed, quod deterius eſt, paganorum ſcientias, qui in vanitate ſenſus ſui ambulantes, nihil verum, niſi quod inflata verborum compoſitione ornatum eſſet, probabant, præponere ſcientiæ Dei, à quo eſt omnium ſapientia, & qui linguas mutorum aperit, facitq; diſertas, non veriti ſint. Et multi hodie eò inſaniæ, blaſphemiæq, proruperunt, ut ſacras ſcripturas rugato naſo ſubſannantes ita deſpiciant & irrideant, ut earũ ſectatores nihili habeant: Adeò enim princeps huius ſeculi excæcauit eos, ut tanquam mente capti cùm nihil ſciant, ſe omnium rerum ſapientiam apprehendiſſe arbitrentur. Taceo de multis, qui cultum Dei, fidémq;

eius

eius abnegârunt, eò quòd, nulla alia ratione ſe ingenioſos,doctoſq́; videri poſſe,arbitrantur, niſi Deum viuum, à quo & eſſe & vivere & moueri ingrati acceperunt, blaſphemando vituperent. Contra quos profectò aliquid dicerem, niſi ſcirem, quibus viribus opus ſit, ut perſuadeatur ſuperbis, quanta ſit virtus humilitas. Sed quis poſſet aduerſus horum vaniſsimam loquacitatem, & ſuperbiſsimam ſtoliditatem, admirandamq́, cæcitatem ſtomachum continere? Scientia itaque cùm per ſe bona ſit, per accidens facta eſt mala. Bona quippe eſt bonis, & mala malis; Quia (ut dicit Apoſtolus) omnia munda mundis: Immundis autem etiam ipſa mundiſsima immunda ſunt. Idcirco religioni Chriſtianæ ſcientias ſeculares ita paſsim admittere nón expedit. Nam niſi cautè recipiantur, filios blaſphemos in Eccleſia gignere,experientia docuit. Omnia quidem (inquit Apoſtolus) mihi licent, ſed non omnia expediunt. Quamuis ergo per ſe philoſophiæ ſtudere non ſit illicitum: non expedit tamen omnibus in ea ingenium perdere. Feliciſsimam profectò judicarem rempublicam Chriſtianam, ſi, retenta priſtina ſcripturarum ſimplicitate, quoſdam duntaxat probos ac ingenioſos viros eligeret, qui propter hæreticorum verſutias, cum Theologi, diſciplinas has perdiſcerent: Cæteri verò

 poſt

poſt Grammaticæ ſcientiam cum bonis moribus ſacras literas docerentur. Sed nunc ad Poëticen tranſeamus.

DE POETICÆ RATIONE

Liber Qvartvs.

TRia in arte Poëtica mihi conſideranda videntur, videlicet obiectum, vſus & modus. Quæ ſi ſubtiliter examinentur, multos fortaſſe, qui ſe magis poëtas eſſe, inaniſsimè gloriantur, nec dum, quid artis poeticæ nomen ſignificet, nouiſſe, reperiemus. Cùm enim hæc diſciplina ſit pars philoſophiæ rationalis: oportet obiectum eius eſſe partem entis rationis. Nam cùm totius philoſophiæ rationalis obiectum ſit ens rationis: non poterit hoc, ſic abſolutè conſideratum, eſſe alicuius partis eiuſmodi philoſophiæ obiectum, quia obiectum non poteſt potentiam aut habitum ſuperare. Ex his autem, quæ in ſuperioribus diximus, manifeſtum eſt, ſyllo-

ſyllogiſmum illum, qui à Philoſopho vocatur Exemplum, obiectum eſſe artis Poëticæ, quemadmodum Enthymema obiectum Rhetoricæ, Inductio ac ſyllogiſmus probabilis topicæ, Demonſtratio libri poſter. analyticorum, Syllogiſmus ſimpliciter libri priorum analyticorum, Syllogiſmus ſophiſticus libri elenchorum, Enunciatio libri περὶ ἑρμηνείας, & prædicamentum libri prædicamentorum. Hæ enim partes philoſophiæ rationalis quodam modo ſcindunt ens rationis, & vnaquæque eam partem ſibi vendicat, quæ eſt ſibi proportionata. Exemplum autem, ut Philoſophus teſtatur in prior. analyticis, eſt ſyllogiſmus, in quo medium extremo ineſſe oſtenditur per id, quod eſt ſimile tertio. Oportet enim tertio medium & primum ſyllogiſmi euidentius ineſſe. Vt ſi volumus oſtendere, quoniam Thebanos contra Phocenſes pugnare malum eſt: Sumendum eſt, quoniam confines pugnare contra confines malum eſt. Cuius veritatis fides ex ſimilibus erit facienda. Qua facta, ſyllogiſmus hoc modo componetur: confines contra confines pugnare malum eſt. Sed Thebanos contra Phocenſes pugnare eſt confines pugnare contra confines: Ergo Thebanos contra Phocenſes pugnare malum eſt.

Poëtæ igitur eſt docere, ex quibus et qualibus exemplum conſtituatur, & quibus mōdis & ſimilitudinibus ad diuerſa genera & ad diuerſos ſtatus hominum, conditionésque negotiorum hoc ſyllogiſmo uti debeamus. Nam & cæteræ partes philoſophiæ rationalis hoc idem faciunt circa proprium objectum. Demonſtratiua enim docet, ex quibus & qualibus fiat demonſtratio: Et Topica, ex quibus & qualibus ſyllogiſmus probabilis. Rhetorica quoque, ex quibus & qualibus Enthymema fiat: Et ſic de alijs. Cùm enim omnes iſtæ partes verſentur circa ens rationis, quod eſt objectum in tota philoſophia rationali: non poſſunt ſe vltra ens rationis extendere. Non enim philoſophia rationalis tractat de rebus naturalibus aut moralibus vel diuinis, ut quidam ignoranter dicunt: Sed ſolùm de ſyllogiſmis & de ente rationis, cuius limites excedere non poteſt, ut facilè in Logica etiam mediocriter inſtructi cognoſcunt. Verùm huiuſcemodi philoſophia per omnes ſcientias currit. Eſt enim ſicut aliarum ſcientiarum inſtrumentum & ſuppellex. Vnde ſicut malleo eodem quis operari poteſt in omnibus metallis: ita & Philoſophia rationali uti poſſumus in omnibus ſcientijs.

Finis autem Poëtæ eſt inducere homines

ad

ad aliquid virtuoſum per aliquam decentem repræſentationem, ad modum, quo fit homini abominatio alicuius cibi, ſi repræſentetur ei ſub ſimilitudine alicuius abominabilis. At quoniam Poëtæ proprium eſt ex particularibus procedere, non quemadmodum Dialecticus, qui ex omnibus particularibus per inductionem oſtendit propoſitum ſuum, ſed ſolùm ex aliquibus, eò quòd, vt in Analyticis prioribus dicit Philoſophus, exemplũ non eſt, ſicut pars ad totum, nec ſicut totum ad partem, ſed ſicut pars ad partem. Et quoniam ſingularia ſunt incerta: neceſſe eſt, propter debilitatem rationum ſuarum ipſum inducere aliquas decentes ſimilitudines, & diuerſis modis, verborúmque ornatibus ac lenocinijs animos hominum ad ſe trahere ac delectare. Et quia anima noſtra canticis & harmonijs vehementer delectatur, vnde & quidam, eam harmoniam eſſe, crediderunt: inuenerunt antiqui Poëtæ modum metrorũ, pedum, ac numerorum, vt vel ſic animos hominum ad virtutem & bonos mores inclinarent. Hic ergo modus metricus & harmonicus vtendi arte poëtica non eſt ei eſſentialis. Poteſt enim Poëta vti argumento ſuo, & per decentes ſimilitudines diſcurrere ſine verſu. Huiuſcemodi enim pedum ac numerorum vſus ſe habet ad artem poëticam, ſicut

 pul-

pulchritudo ad iuuentutem. Vnde qui per metrorum pedes facilè ludere nouit ſi de arte poëtica nihil aliud didicerit, ita Poëta dici, quemadmodum anus pulchra iuuenis appellari, poteſt. Impoſsibile eſt enim quenquam Logicæ ignarum verè Poëtam eſſe. Poëta enim eſt, qui artem habet poëticam. Hæc autem eſt cognitio ſyllogiſmi, qui dicitur Exemplum, quod neceſſe eſt ignorari, ignorato ſyllogiſmo: Quia impoſsibile eſt ſcire ſpeciem, ignorato genere. Syllogiſmus autem nequaquam poteſt ſciri ſine Logica: Ergo, ſine Logica neminem poſſe poëtam appellari, manifeſtum eſt. Si quis autem dixerit, ſufficere Logicam naturalem, quia quilibet homo inclinatur ad arguendum & reſpondendum: poterit etiam dicere, poëticam artem eſſe naturalem, & ſic non oportebit libros de arte poëtica edere. Sed quia hoc dementis eſt dicere, cùm ars poëtica ſit pars Philoſophiæ rationalis, & inter artes liberales connumeretur, quæ etſi initium habeant à natura, perfectionem tamen ab humana inuentione acceperunt. Quicunq; ergo de Logica & arte poëtica hoc ſolum habet, quod natura largitur; certè neque Logicus, neque Poëta dici poterit, niſi fortè omnes homines Mundi, tàm vrbanos, quàm ruſticos, & ipſas etiam mulieres Poëtas, oratrices, & Logicas appellare voluerimus. Itaque ſi quis

quis credit, artem poëticam ſolùm docere dactylos & ſpondæos, ſyllabas longas & breues, ornatúmque verborum: magno profectò errore detinetur. Sequeretur enim, ipſam non eſſe ſcientiam. Nam cùm non ſit ſcientia realis: nec rationalis dici poterit, eò quòd hæc cognitio non rationem, ſed voces & ſcripta dirigit, cùm ordinem vocum & ſcripturæ modum doceat. Cæterùm ſcientia eſt de incorruptibilibus & ſempiternis. Huiuſcemodi autem verborum ac verſuum, pedúmque ordines ſecundum placitum hominum conſtituti ſunt. Poſſent enim homines hodie hunc ordinem mutare, & ab hac conſuetudine ſeipſos alienare: Quia nihil aliud eſt integritas locutionis, niſi alienæ conſuetudinis conſeruatio, veterum autoritate firmata. Cur enim non eodem accentu aquas vocemus maria, quo mulier nuncupatur Maria, cùm eiſdem literis nomen vtrunque ſcribatur? Quis poteſt aliam aſsignare rationem, niſi quia ſic antiquis viſum ſit? Vnde de huiuſmodi non poteſt eſſe ſcientia, ſi propriè ſcientiæ nomine vtamur. Nam & nos homines, quemadmodum & ipſi, ſumus, & æqualem imponendi nomina rebus poteſtatem à Deo accepimus.

Poſſumus ergo addere & minuere, ſicut

&

& illi potuerunt, vti & multa iam mutata ſunt. Quis enim hodie dicit noſtrâs, veſtrâs, & alia multa, quæ apud antiquos erant vſitata? Quidam tamen adeò obſtrinxerunt ſe, & carceri antiquorum intellectum proprium mancipârunt, vt non ſolùm contra eorum conſuetudinem aliquid proferre, ſed ne quidem dicere, quod illi non dixerunt, velint. Cùm enim antiqui nomine virtuoſus vſi non ſint: noſtri quoque pro magno crimine habent, ſi quis eo nomine vtatur, quaſi nos imponere nomina rebus nequeamus, nec noua inuenire vocabula, nouos loquendi modos nobis liceat. Quæ enim ratio eſt, quæue virtus argumenti? Antiqui non ita locuti ſunt: Ergo nec nos ita loquamur. Aliud eſt enim dicere: Antiqui hoc modo locuti ſunt: Ergo & nos eodem modo loquamur: Aliud autem negatiuè arguere. Quaſi ſi quid ab antiquis non bene factum ſit, id corrigere nobis non permittatur. Nec hoc eò dico, quaſi velim eos, qui morem antiquorum in hac parte ſequuntur, reprehendere. Loquendum eſt enim, inquit Philoſophus in Topicis, cum pluribus, & ſapiendum cum paucioribus. Sed quoſdam ſciolos mordeo, qui, vt dicit Auguſtinus, eò magis offenduntur, quò ſapientiores videri volunt, non rerum ſcientia, qua ædificamur, ſed verborum, qua non inflari difficile eſt. Cùm igitur de his non

pro-

propriè ſit ſcientia: hi, qui Poëtæ dicuntur, ſolùm hanc ſcientes, eſſentialia autem artis poëticæ ignorantes, profectò falſo nomine gloriantur. Quales ferè omnes noſtri temporis Poëtæ ſunt, quibus inde craſsior prouenit error, vt artem poëticam omnium ſcientiarum digniſsimam putent, quibuſdam ineptiſsimis & puerilibus argumentis ſuffulti. Aiunt enim, Poëtas de rebus diuinis, naturalibus, & moralibus pertractare, ſiquidem de his carmina cudant. Addunt, ſimiliter Prophetas diuina verſibus cantaſſe: Item, ſacram Scripturam, quemadmodum & poëticen, metaphoris & ſimilitudinibus vti, nihilque aliud eſſe poëticam, quàm Theologiam. Sed certè ſi hæc vera ſunt, omnes ſcientias oportebit in vnum confundere, & chaos Anaxagoræ reuocare. Hoc etenim modo ars oratoria ſcientia diuina, quòd de diuinis oratores ſæpiſsime tractent, & maximè Logica, futura. Grammatica quoque omnis ſcientia, quia omnia ſcientiarum genera complectatur, dicenda. Cùm ergo hoc ſit ſcientias cõfundere: ſciant Poëtæ, ſcientiam rationalem dupliciter poſſe conſiderari. Vno modo vt docens eſt, id eſt, vt eſt ſcientia de ente rationis & de ſyllogiſmis tractans: Alio modo vt inſtrumentum ſeu aliarum ſcientiarum ornamentum, in quantum videlicet aliæ ſcientiæ ad ſuam vtilitatem eam conuertunt.

Primo

Primo ergo modo eſt ſcientia ab alijs diſtincta. Scientiæ enim diſtinguuntur per obiecta, & habent partes ſuas, formaliter diſtinctas, vt ſuperiùs diximus. Cùm igitur artis poëticæ obiectum formale ſit ſyllogiſmus, quod vocatur Exemplum: per ipſum ab omnibus alijs ſcientijs, tàm diuinis, quàm humanis, & tàm rationalibus,quàm realibus diſtinguitur. Vnde nec eſt diuina, nec realis ſcientia, ſed rationalis tantùm & inter omnes ſcientias ſpeculatiuas infima,vti patet ex his,quæ ſuperiùs, de omnium ſcientiarum dignitate tractantes, diximus. Secundo verò modo conſiderata ſcientia rationalis, non eſt ſcientia, ſed ſcientiarum inſtrumentum, & quidam ſciendi modus. Et hoc modo alijs ſcientijs,quemadmodum malleus fabro,& ſeruus domino, comparatur. Nunquam ergo malleus faber, & ſeruus dominus erit. Scientia autem diuina eſt illa, cuius obiectum eſt Deus; non illa,cuius obiectum eſt exemplum. Scientia diuina non tractat de ſyllogiſmis, nec de his, quæ à ratione humana fabricantur, ſed de Deo, qui cuncta creauit. Scientia deniq; diuina non eſt de ente rationis,ſed de ente reali, imò de cauſſa entis realis, ſi tamen cauſſa dici poteſt. Non enim facilè nomen, quo tanta maieſtas exprimi queat,reperitur. Prophetæ igitur diuina verſibus deſcripſerunt,

runt,

runt, non tamen ob id vſi arte poëtica. Quia, vt iam dictum eſt, cognitio, quæ de carminum compoſitione nobis tradita eſt, non eſt ars poëtica, nec ad eam pertinet niſi per accidens. Et ſi in tali verſuum deſcriptione ea vſi ſunt: ad alliciendum animos hominum infirmos tanquam inſtrumento conati. Eſt etiam inter verſus Poëtarum gentilium & Prophetarum magna diuerſitas. In illis enim magnus diaboli laqueus abſconditus eſt. Sicut enim diabolus ad ſui cultum & ſuperſtitionem hominum nutriendam ea carmina docuit: ita & in eis ſuperbiſsimam vanitatem, inaniſque gloriæ intolerabilem fœtorem reliquit. At Prophetarum carmina, ſicut à Spiritu ſancto inuenta ſunt, ita & ſapientiam & amorem diuinum, ſanctámque redolent humilitatem. Non enim magnum ſtudium verbis componendis, ſed veritati dicendæ adhibuerunt. Et Chriſtiani doctores, Scripturarúmque ſtudioſi, quia à Spiritu ſancto intus illuſtrantur, non verborum compoſitionem, ſed abſconditam æternam veritatem, mirandáque myſteria inueſtigare conantur. Quanquam enim ſacra Scriptura, vt in libro de doctrina Chriſtiana probat Auguſtinus, ſit eloquentiſsima, vtpote à Deo ſcripta, qui ſua myſteria enarrauit eo modo, quo nullus melior inueniri poteſt: Tamē animos ſpiritu plenos in cortice literæ

non detinet, ſed mox ad medullam inuitat; eáque paſcit integerrima. Si enim eloquentia inuenta eſt ad inclinandum hominum animos atque in bonis moribus firmandos; illa meritò facundia præſtat, & omnibus anteponenda eſt, tanquam omnium potentiſsima, quæ ſtatim animos inclinat ad bene, beatéque viuendum, ſubitóque oculos aperit, vt intueantur, ament, conſequantúrque æterna. Huiuſmodi autem ſanctæ Scripturæ eloquentia, iuxta illud Domini, Eſa. 55. Verbum meum non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet, quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud. Eloquentia enim ſecularis paſcit aures, & rarò vel nunquam ad finem intentum perducit. Vnde & ipſi Patres eloquentiæ, qui contra vitia luculenter ſcripſerunt, & virtutes ſummo ſtudio ac facundia ſuauiſsima laudauerunt, efficaciſsiméque perorantes, verborum lenocinijs aures populi demulſerunt, nec alios, nec ſeipſos vnquam ita perſuaſos reliquerunt, vt vitijs carere potuerint. Nam eorum verba plena erant ambitioſiſsima vanitate, nec largiri ea, quibus ipſi deſtituebantur, vlla ratione valebant. Noſtri autem oratores, ſcripturarum facundia pleni, breuiſsimo tempore non cum magna difficultate totum Orbem, eis repugnantem & contradicentem, eorúmque inopiam ac doctrinam deteſtantem, irridentem, cru-

crudeliterq; perſequentem, ac immaniſsimè diſcipulos eorum innumerabiles occidétem, Chriſti dominio,eiuſq; doctrinæ ſubegerunt. Quid ergo prodeſt illa eloquentia,quæ ad finem intentum peruenire nequit? Quid prodeſt nauis picta & ſertis ornata, ſi ſemper fluctibus maris iactatur,& nunquam portui reddat hominem? Quid, ſi ab hoc magis abducat? Ita profectò ſecularis eloquentiæ faſtus magis Chriſtianos à felicitate diſtantiores, quàm proximiores ſtatuit. Scio autem, multos mihi opponere Hieronymum, Auguſtinum, Ambroſium, alióſque excellentiſsimos viros, fidei Chriſtianæ defenſores, qui in ſcripturis ſacris exponendis magna eloquentia,& grandi genere dicendi vſi ſunt. His primùm reſpondeo,me nequaquam damnare ſcientiam Rhetorices aut poëticæ artis, quam laudaui ſuperiùs, & inter partes philoſophiæ rationalis retuli, nec etiam ornatum linguæ, cultúmque eloquentiæ: Sed vaniſsimam in his poëtarum elationem,qui, ſe omnia ſcire, arbitrantur, cùm nihil ſciant, & cùm non habeant, niſi dactyli & ſpondæi,numerorumq; cognitionem, quam probauimus non eſſe ſcientiam, & gloriantur, ſe omnes habere ſcientias, cùm nec ipſam, quam putant ſe habere, poëticam ſcientiam teneant. Dico etiam, viros illos ſanctiſsimos, priuſquam ſcripturarum mel ſua-

uiſsimum deguſtâſſent, ſeculares literas di. diciſſe, nec tamen eas ad ſeruitium Chriſti conuertiſſe cum ea pompa verborum & ſeculi vanitate, qua eas didicerunt. Manifeſtum eſt enim, eos ſtylum temperâſſe poſteaquam à spiritu ſancto edocti fuerunt, quo tempore eis maiori curæ fuit veritas rerum, quàm integritas verborum. Deinde ij ipſi, qui pro defenſione in medium adducti, longè ſe acriùs, duriúſque contra hanc vanitatem oppoſuêre. Legatur Hieronymus, vt de reliquis taceam, in quo priſca præ cæteris redolet eloquentia, & apparebit in pleriſque libris eius, quàm acriter mordeat vanam, ſuberbámque ſeculi & eloquentiam & ſapientiam. Legant amatores fabularum, quid ſcripſerit ad Damaſum Papam. Nónne per ſiliquas porcorum, quibus ille prodigus luxurioſúſq; filius non poterat ventrem ſuum ſaturare, interpretatus eſt carmina Poëtarũ, Rhetorúmq; pompã verborum, et cæteras vanas huius ſeculi artes, de quibus luxurioſi, vaniſsimiq; homines quãtumcunq; comederint, ſaturari non poſſunt? Et inter alia inquit: Nónne vobis videtur, in vanitate ſenſus obſcuritatem mentis ingredi, qui diebus ac noctibus in dialectica arte torquetur, qui Phyſicus perſcrutator oculos trans cœlum leuat, & vltra profundum terrarũ abyſsi in quodam inane demergitur, quia iambum ſtruet,

&

& tantam metrorum ſyluam in ſuo ſtudioſus corde diſtinguit & congerit? Et ad Pammachium: Eccleſiaſtica interpretatio etiamſi habeat eloquentiæ venuſtatem, diſsimulare eam debet & fugere, vt non otioſis philoſophorum ſcholis, paucíſq; diſcipulis, ſed vniuerſo loquatur hominum generi. Demum polliceor, me non damnaturum huius ſeculi eloquentes & ſapientes, ſi Hieronymum & Auguſtinum, cæteróſq;, quos pro ſua defenſione nobis opponunt, in omnibus imitentur. Viuite, poëtæ & oratores ac philoſophi, ſicut ipſi vixerunt, & veſtram ſapientiam, linguæq; nitorem Chriſto Domino conſecrate, & os compeſcá digito. Abraham plures habuit uxores, Iacob quoq; duas matrimonio ſibi cõiunxit ſorores & earum ancillas: Hoc multis placet, hoc volunt imitari, hoc in excuſationẽ ſui peccati proferunt. Sed Abrahæ fidẽ & caſtitatem ac opera non attẽdunt, Iacob ſimplicitatem & ſanctimoniã non reſpiciunt. Opus eorum quod magis delectat, imitari geſtiunt, reliqua verò opera perhorreſcunt: Et tamen opus illud, quod carnale videbatur, caſtitatem non fugabat. Tu autem non tale opus diligis, ſed operis voluptatẽ, & cùm luxuriã ſequaris, opus caſtũ in operimentũ tuum ſumis. Nonnulli etiã, in excuſationẽ iudicij ſui lapſus, Apoſtolum Paulum adducunt, quòd & is verſus poëtarum, ſcribendo ac prædicando, non abhorruerit.

Quàm verò parcè & breuiter id fecerit, ipſi videāt. Quem ſi adeò imitari cupiunt, eius erga Chriſtum amorem, ac in prædicando feruorem ſequantur: Et ſi ipſius more poſtea tranſeunter & rarò verſum vnum intermixtè allegauerint, veniam merebuntur. Sed vrgent & hoc poetæ, artem ſuam ſacræ ſcientiæ æquiparantes, quòd illa ſcilicet, quemadmodum & hæc, ſenſus habeat allegoricos, verùm ſine judicio iſtud. Cùm enim quotidie in ſignificationbus vocum perdiſcendis laborioſiſsimè verſentur, nondum, quid ſenſus literalis, quídue ſpiritualis ſeu allegoricus ſignificet, diſcernunt. Quare diſcant priùs, nullam ſcientiam præter diuinam ſenſum habere allegoricum & ſpiritualem. Literalem quippe ſenſum dicimus non illum, quem ſonant voces & literæ, ut ipſi poëtæ, grammaticiq; credunt, ſed illum, quem autor per illas voces & literas principaliter intendit. Vnde in parabolis euangelicis ſenſus literalis non eſt ille, quem voces grammaticæ ſonant, ſed quem Dominus Ieſus per illas voces intendit exprimere. Nam per voces ſignificatur aliquid propriè, & aliquid figuratè, nec eſt ſenſus literalis ipſa figura, ſed id, quod per ipſam figuratum exprimitur. Non enim, cùm ſcriptura brachium Dei nominat, videlicet cùm dicit: Fecit potentiam in brachio ſuo, literalis ſenſus eſt, in Deo eſſe membrum huius-

huiuſmodi corporale: Alioquin ſenſus literalis, qui eſt cæterorum ſenſuum fundamentum, mendacium contineret. Sed literalis ſenſus eſt id, quod per hoc membrum ſignificatur, id eſt, virtus Dei operatiua, vt intelligatur feciſſe potentiam in virtute ſua, quæ Chriſtus eſt, ſecundum Apoſtolum dicentem: Chriſtum eſſe Dei virtutem & Dei ſapientiam, id quod & de cæteris parabolis aſſerimus. Spiritualis autem ſenſus ex Deo petitur, quòd res, curſum ſuum peragentes, ſignant aliquid aliud, quod per ſenſum ſpiritualem accipitur. Vnde tria ad ſenſum ſpiritualem exiguntur. Primum eſt hiſtoria, vt videlicet per verba prolata aliqua hiſtoria, non fabula ſeu figmentum, enarretur. Quandoquidem hiſtoriam dicimus ad ſenſum literalem pertinere, quem ſenſus ſpiritualis, tanquam fundamentum, præſupponit. Secundum eſt, vt per illam hiſtoriam alterius rei, quæ facta, vel præſens, vel futura eſt, inſtituatur ſignificatio. Tertium eſt, vt illa hiſtoria ad hoc ſignificandum & prouiſa, & ordinata, & facta ſit, ne, ſi aliter dixerimus, cum Theodoro damnemur, qui allegorias de Chriſto & Eccleſia ex curſu rerum geſtarum veteris & noui Teſtamenti eſſe ſignificatas negauit: Sed Apoſtolos & alios Eccleſiæ doctores eas poſt

Chriſti & Eccleſiæ geſta inueniſſe aſſeruit, non autem hiſtorias id ſignificâſſe. Similiter errore corripiuntur è noſtris nonnulli, qui hiſtorias Romanorum, aliorúmque gentilium allegoricas, non aliter, ac ſacræ ſcripturæ, ſtatuunt: Non conſiderantes, illas ad hoc ſignificandum minimè fuiſſe ordinatas. Sic enim res in curſu ſuo diſponere, ut ex eis talis ſenſus capi poſsit, ſolius Dei eſt, qui ſua prouidentia res diſponit eo modo, tempore, & nominibus, atq; per hoc homines, quibus ſcit has ſignificationes congruere. Non enim poteſt aliqua creatura Mundi infallibili curſu ordinare vitas hominum, loca, nomináque eorum, bella item & regna, cæteráque geſta ad aliqua præterita & futura, vel etiam præſentia ſignificanda, ſiquidem ſolus Deus futura cognoſcat & prouidentia ſua contineat. Homines verò nec futura contingentia cognoſcunt, nec eorum prouidentiæ hominum geſta ita ſubduntur, quin multipliciter eorum conſilia, conatúſque impediri atque fruſtrari contingat. Nulla ergo ſcientia præter ſacram ſcripturam propriè & verè ſenſum habet ſpiritualem. Nam ſenſus metaphorarum poëticarum eſt literalis tantùm, ſicut & ſenſus parabolarum Euangelicarum. Ne dum autem harum

meta-

metaphorarum vtrarumque facultatum par ratio. Aliud eſt enim metaphoris vti propter neceſsitatem & rerum magnitudinem, aliud verò propter delectationem & veritatis debilitatem. Theologus enim, cùm de his loquatur, quæ omnium intellectum & capacitatem excedunt, inprimis ſub ſimilitudinibus rerum domeſticarum ea tradere, quæ nullus poſſet nuda in ſuo ſplendore comprehendere,cogitur. Non enim, vt inquit Dionyſius, poſsibile eſt, aliter nobis lucere diuinum radium, niſi varietate ſacrorum velaminum, quibus infirmus noſter animus ſurſum manu ducatur, circumvelatum. Poëta verò ſimilitudinibus propter ſuarum rerum debilitatem vtitur. Niſi enim metaphoris ſua argumenta velaret, magna eorum foret debilitas. Nam cùm ſingularibus procedat, quæ infinitis modis variari poſſunt, vel nullam vel modicam æſtimationem de re, quam intendit probare, generaret, ſi nuda argumenta proponeret. Præterea cùm intellectus noſter maximè veritate paſcatur, & poëtica ars ad eam demonſtrandam debiliſsimè ſe habeat, ſi ſimilitudines & verborum ornatus ei quoque deeſſent, nullus quippe poëtas audiret, quia nec veritate animos paſcerent, nec aliquibus lenocinijs delectarent. Non ergo

ergo eadem ratione Theologus, qua Poëta, metaphoris vtitur. Quibus etiamſi eadem ratione vteretur: non hac de cauſſa tamen Poëtarum ars Theologiæ æquiparanda eſſet: Quia metaphoræ non ad eſſentiam ſcientiæ, ſed potiùs ornatum pertinent. Nam Plato ferè in omnibus libris ſuis metaphoris vtitur. Non tamen philoſophia Platonis eſt ars poëtica. Item Scriptura veteris & noui Teſtamenti ſimilitudines longè à metaphoris Poëtarum diuerſas vſurpat. Aut enim hiſtorias plenam veritatem continentes, aut parabolas decentiſsimas, plenas honeſtate verborum, proponit. Poëtæ verò figmentis, omnia inuoluunt, fabuláſque tàm de dijs,quàm hominibus comminiſcuntur, quæ libidinibus & ſtultiſsimis ac nefandiſsimis deorum,hominúmque commixtionibus plenæ ſunt. In quibus quidem nugis & puerilibus ludis, ſceleſtiſsimis,libidinoſiſsimiſque dijs animos adoleſcentulorum teneros nutriunt, repléntque intellectus eorum puros ac nudos primùm falſitatibus, deinde idolatrica ſpurciſsima ſuperſtitione, adeóque totos perdunt. Qua de cauſſa Plato legem ferendam cenſuit, quam noſtri Chriſtiani hodie,proh mores,nec intelligere, nec ſeruare volunt, vt Poëtæ de ciuitatibus pellantur: Quia omnia & exemplo

& autoritate falſorum, nefandiſsimorúmque deorum, ac turpiſsimorum verſuum pruritu, titillationéque deuaſtantes, libidinibus ignominioſiſsimis repleant. Quid igitur faciunt principes noſtri? Cur hæc mala diſsimulant? Cur legem non ferunt, vt non ſolùm tales Poëtæ ciuitatibus expellantur, ſed etiam libri eorum, aliorúmque veterum, qui de arte amandi, de meretriculis, de idolis, ac de dæmonum ſpurciſsima, nequiſsimáque ſuperſtitione editi fuerunt, igne vſque ad puluerem conſumantur? Sed erunt fortaſsis, qui non amatoria, non laudes idolorum ſcribant, ſed veri, omnipotentíſque Deï hymnos, & fortium virorum geſta canant, & arte poëtica rectè vtantur. Hos quanquã fero, & libenter debeo: Eorum tamen carmina Deum, ſub nomine ſpurciſsimi, libidinoſiſsimíque Iouis, & aliorum fictitiorum deorum plaſphemant potiùs, quàm laudant, quem tamen nominare minimè aliter licet, quàm qualem ſe in ſcripturis appellauit. Et quamuis rectè verba ſua interpretari poſsint: ſciant tamen, Deo huiuſcemodi præconia, ſub tam indignis nominibus, nullo modo placere. Scriptum eſt enim Oſeæ 2. Non vocabit me vltrà Baalim, quæ vox ſuperiorem notat.

Quamuis de Deo rectè Baalim dici poſ-

ſit: propter ſimilitudinem tamen nominis idoli caueri debet. Devs enim, qui eſt ſuper nomen, laudari non debet, niſi per nomina, quæ in Scripturis ſanctis & doctrina Eccleſiæ ſunt vſitata. Hinc Auguſtinus in lib. 10 de Ciuit. Dei ſic inquit: Liberis verbis loquuntur Philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficilimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt: Nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ ipſis ſignificantur, impiam gignat opinionem. Ex Poëtis facundiam & eruditam eloquentiam comparari, vrgent. Non nego. Verùm DEVS, qui linguas fecit diſertas, ſcripturas ſuas ornari facundia paganorum, noluit. Vnde & ſanctus Hieronymus, qui nobis eas Latinas fecit, ſeculari eloquentia facundiſsimus, à Spiritu ſancto permiſſus non eſt, vt diuinas hiſtorias, ſententiáſque verbis Tullianis & Virgilianis decoraret. Vnde etiam Euſebius Pamphilius in 8 libro ſuo de Euangelica præparatione quoſdam, quòd ſacras Scripturas oratorio ac poëtico fuco ornare voluerint, à Deo percuſſos fuiſſe, recitat. Scribit enim, Ptolemæum auditis de Lege Moſaica multis, quæ in Græcam linguam fuerant translata, miratum dixiſſe Demetrio: Quomodo nemo Poëtarum, neque hiſtoricorum de tot, tantíſque rebus geſtis

ſtis vllam mentionem fecerit. Cui Demetrius: Diuina hæc lex eſt, & à Deo data, vt vides: Ac ideo, ſi qui tetigerunt, à Deo percuſsi abſtinuerunt. Voluit ergo Devs talem loquendi modum inuenire, quo nullus vnquam vſus, nec aliquis poſtea vti poſſet, qui humilitate animos ſtabiliret, & charitate inflammaret. In hoc enim maximè ſacra Scriptura ab alijs ſcientijs diſtat, quia hæc dum legitur, humiliat animum & calefacit: Scientia autem paganorum inflat, & ad terrena dejicit. Libri itaque, quos noſtri Poëtæ de religione, de moribus, & de virtutibus ediderunt, veritatem fidei lenocinijs paganorum, fucóque tegentes, etiamſi videantur prima facie valde vtiles ac neceſſarij: Tamen ſapientibus, quæ Dei ſunt, & ſpecies intimas cernentibus, ſpiritualibúſque viris, qui ſecundum Apoſtolum 1 Cor. 2. omnia iudicant, & à nemine iudicantur, ad bonos mores nutriendos, ad veræ fidei ſoliditatem, charitatémque parùm vtiles videbuntur. Vnde & viri ſancti, huiuſmodi legere, aut eis immorari haudquaquam voluerunt, fortaſsis quòd reliquarum artium infima ſit. Cur ergo & vos Poëtæ humi repitis, natura aliàs glorioſè faſtuoſi? Ad ſupera, quæſo, aſcendite, ſcholaſtico puerorum commercio valedicite, vaniſsimam idolorũ ſuperſtitionem fugite, ad Chriſti

ſti crucem aduolate, ſub cuius alarum vmbra tutiſsimi, non terreſtri hedera, ſed cœleſti lauro coronati, æuum ducetis. Vni & ſoli Deo laus, honor & gloria in æternum Amen.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

VVITEBERGAE
Excuſum typis Simo-
nis Gronenbergij.
M. D. XCVI.

GOTTSCHER
RESTAURO
1910